J. V. Meat
Lawrence
Mass

Aug. 25. 1862
$1.25

NOVUM

TESTAMENTUM

VULGATAE EDITIONIS.

Bürke, Mr. ... 187

NOVUM
TESTAMENTUM
VULGATAE EDITIONIS

JUXTA

TEXTUM CLEMENTIS VIII. ROMANUM

EX TYPOGR. APOST. VATIC. A. 1592. ACCURATE EXPRESSUM.

CUM VARIANTIBUS IN MARGINE LECTIONIBUS

ANTIQUISSIMI ET PRAESTANTISSIMI CODICIS

OLIM MONASTERII MONTIS AMIATAE IN ETRURIA,

NUNC BIBLIOTHECAE

FLORENTINAE LAURENTIANAE MEDICEAE

SAEC. VI. P. CHR. SCRIPTI.

PRAEMISSA EST COMMENTATIO

DE CODICE AMIATINO ET VERSIONE LATINA VULGATA.

EDENTE

FERDINANDO FLORENTE FLECK,

THEOL. DOCTORE ET PROFESSORE LIPS.

CUM FACSIMILI INCISO LAPIDI.

LIPSIAE

SUMTIBUS ET TYPIS CAROLI TAUCHNITII.

1840.

Factum est autem, ut et me ante iter biblicum criticum et theologicum, quod in Germaniam meridionalem, Italiam, Siciliam, Galliam, per aliquot annos suscepi [1]), cujus luculenta descriptio una cum commentationibus literariis atque theologicis ab aliquo tempore in lucem emissa est [2]), Codicis praeclari praesentia et domicilium fugerent, et quidem iisdem de causis, quas in aliis esse indicavi. Quocirca, quum primum in urbe pulcherrima Etruriae principe versarer, aliis de graeco N. T. textu laboribus distractus, securus insciusque praeterivi hunc thesaurum, qui inter alia Bibliothecae κειμήλια recondito loco depositus erat. Jam cum Romam, urbem aeternam, Dei beneficio migrare contigisset, ibique admirari immortalia artium et literarum monumenta (quod in singulari vitae meae munere repono), veni praeter alios in familiaritatem hominis eruditi, Ungharelli, sacerdotis, qui in monasterio *S. Caroli a Cattinari* literas hebraicas et graecas juvenes docebat. Is, quum historiam Bibliorum latinae versionis Vulgatae et Italae ante Hieronymum a

---

librorum insignes possident, bene mererent de literis et evangelio, si potiores codices biblicos ea solertia et diligentia, quae nostris diebus flagitatur, denuo cum textu typis impresso compararent. Peregrinatorum festinantius videntium facilis et excusabilis error est. Ea tandem ratione, praesumta eorum, qui hoc labore exercentur, *bona fide*, paulatim perficeretur editio N. T. *vere critica*, in commodum et laetitiam Christianorum *omnium*. —

1) A mense Oct. a. 1831 usque ad mensem April. a. 1834.

2) In opere hujus tituli: F. F. Fleck, *wissenschaftl. Reise durch das südl. Deutschland, Italien, Sicilien u. Frankreich*. T. I. — V. Lips. 1835 — 1838. 8. duo priores Tomi exhibent narrationem itineris *(Reisebeschreibung)*; tria vero, quae sequuntur, volumina continent dissertationes varii argumenti, natas e rebus theologicis, literariis, et indole populorum, inter peregrinandum observatis *(theol. Reisefrüchte)*. Quorum ultimum, latine scriptum, etiam hac inscriptione prodiit: *Anecdota maximam partem sacra, in itineribus Italicis et Gallicis collecta*. Lips., 1837. 8. ad quod statim erit redeundum. Dolendum vero est, Anecdota theologica non eodem fervore excipi ab amantibus literarum, quam philologica. Theologicis enim dissidiis et disputationibus multi nunc adeo distinentur, ut vera *incrementa* literarum, quae in scriptis antiquitatis christianae incognitis in lucem trahendis cernuntur, plus aequo negligant.

longo tempore meditaretur conscribendam, multaque studia in hoc genere doctrinae consumsisset, primus mihi indicavit, praestantissimum et antiquissimum rei criticae subsidium ad emendandum translationis latinae Hieronymianae textum in bibliotheca Laurentiana servari. Parui ego lubens et gratus his nutibus. Nam quum redeunti mihi ex Italia inferiore alterum Florentiis domicilium per plures septimanas collocare licuisset, alacri studio animoque librum quaesivi. Franciscus del Furia, Bibliothecarius Regius, vir egregius, in quo par est eruditioni humanitas, precibus meis facile adnuit, adjutus et sublevatus gravi commendatione Generosissimi Comitis et Equitis Josephi a Schaffgotsch, Regis Borussorum apud Etruscos Legati illustris, ab interioribus Consiliis, cujus in me hospitem benevolentia ab omni parte tanta fuit, ut digna laude non possim praedicare. Ita sum adeptus, ut, quod peregrinatoribus literarum cultoribus minime omnibus conceditur, rarissimi tantoque loco habiti Codicis usus liberrimus mihi non negaretur. Tanta liberalitate adjutus, contuli maximam partem N. T. ex libro hoc manu scripto ad editionem impressam probatam, et quod temporis per leges licuit in Bibliotheca morari, id omne labori meo intentus peregi. Elegi etiam librum V. T. apocryphum, qui a *Tobia* nomen gerit, et cum textu typis impresso diligenter comparavi, ut speciminis loco esset indolis criticae Codicis in canone V. T. Quam cupiebam etiam libros V. T. reliquos latinae translationis examini critico ad normam talem vetustissimam submittere! Sed urgebant temporis angustiae. Vocabant ad alia studia Mediolanum, Augustae Taurinorum, Lugdunum, Parisiae Lutetiorum, vocabat denique patria diu absentem. Quare tot vocibus obtemperandum arbitratus, relicto labore, sarcinas meas collegi, discedensque tradidi perficienda quae supererant amico, quem Bononiae aegrotans primum cognovi et amare didici, Rev. S. Farmar Jarvis, verbi divini ministro apud incolas Americae septentrionalis, theologo vere evangelico, qui literarum causa et ad imbuendos liberali educatione liberos bene natòs magnam Europae partem peragravit pluresque per annos Italiam habitavit, nunc autem redux in patriam saluta-

DESCRIPTIO ET HISTORIA

PRAESTANTISSIMI ET ANTIQUISSIMI

CODICIS BIBLICI OLIM AMIATINI

BIBLIOTHECAE CISTERCIENSIS, NUNC FLORENTINI
BIBLIOTHECAE LAURENTIANAE MEDICEAE

CUM DISQUISITIONE GENERALI

HISTORICA ET CRITICA

DE VERSIONE LATINA VULGATA.

I. *Causae et rationes instituti.*

Solet evenire in humanis rebus, ut quae eximia sunt et laude dignissima, interdum diutius, quam fas est, oblivione delitescant, eorumque fama, etiamsi paucis praedicata sit, tardius, quam credas, ad multos perveniat. Id et hominibus contingit, et rebus. Ac rerum quidem illustre exemplum est liber manu scriptus vetustissimus, cujus auctoritate et praesidio novam Bibliorum latinae Versionis Vulgatae editionem, nunc quidem N. T., in lucem publicam emittere decrevimus. Etenim quamvis Vir Clarissimus, rarae et fere inauditae eruditionis judiciique subacti, Angelus Maria Bandini, Bibliothecae toto orbe celeberrimae Laurentianae Mediceae, quae Florentiis est, praefectus quondam dignissimus et meritissimus, copiosam dissertationem de indole et ambitu pretiosi thesauri Amiatini ante multos annos publici juris fecerit [1]), et quidem in

---

1) In libro praeclaro: *Bibliotheca Leopoldina Laurentiana seu Catalogus Manuscriptorum, qui jussu Petri Leopoldi* Arch. Austr. Magni Etrur. Ducis nunc Augustissimi Imperatoris etc. in Laurentianam translati sunt etc. Angelus Maria Bandinius S. C. M. Regius Bibliothecae Praefectus recensuit, illustravit, edidit. Tom. I. Florentiae typis Caesaris MDCCXCI. fol. ubi p. 701 — 732. legitur: Ang. Mar. Bandini *de insigni Codice biblico Amiatino* dissertatio, quae viginti capita complectitur.

opere, quod indole sua tale est, ut in multorum manus veniat, et usui cultorum literarum, quotquot sunt qui codices quaerunt et hoc genere studiorum delectantur, serviat; tamen, ut fit, theologorum oculos et aciem fugit, ut ne in libris quidem, quales haec aetas edidit, *isagogicis*, qui dicuntur, in studia lectionemque sacrarum Scripturarum a viris doctis ingeniosisque Germanis crebro conscriptis, ullam Codicis rarissimi et pergravis mentionem factam videamus. Quod quidem inde explicandum reor, quod rari theologi sunt, qui in arte critica librorum sacrorum exercenda gnaviter et lubenter versantur (historica enim aut exegetica studia plerique praeferunt); alii vero, pauciores quidem, eo usque criticen et *superiorem*, quae res tractat, et *inferiorem* s. *verbalem*, quae in verborum authentia disquirenda versatur, oderunt, ut in temerariis conatibus verae saluti evangelicae damnum perniciemque illaturis hanc artem habeant, hebeti sane illi parumque circumspecto judicio. Quid enim magis pium, quid magis evangelicum cogitari potest, quam textum, qui tot mortalibus sanctus fuit, est, erit, dux vitae atque magister, purgare magis magisque a mendis, temporum hominumque injuria illatis, et ad eam formam atque rationem, quae apostolicis temporibus quam simillima est, idoneis rationibus atque argumentis redigere? Absit modo levitas, absit impietas; quod vitium nemo profecto extimescet in iis viris (sunt autem optimi), qui non tantum mente et ingenio, sed etiam animo literas tractant. — Reperiuntur quidem, qui non recusent criticis disquisitionibus detineri et aliquid temporis in examinandis ponderandisque lectionibus variantibus domi consumere. Rarissimi tamen omnium et tenacissimi hi sunt, qui exterarum bibliothecarum majores catalogos in itineribus hoc fine susceptis consulunt, et libros manu scriptos proprio Marte non sine labore, sudore, fastidio, quod his occupationibus peculiare est, tractant et describunt. Id quod praeter *Scholzium*, *Rinckium* et me constat fecisse neminem theologorum aetatis nostrae [1]). —

---

1) Utriusque formulae et Catholicae et Protestantium doctores, in urbibus agentes, quae bibliothecas copia manuscriptorum

i doctoris evangelici munere magno cum fructu fungitur. s homo, literarum theologicarum cultor sincerus, rem neam sedulo accurateque egit; peracto autem labore, Illutris Eques BUNSENIUS, qui Legati Regis Borussorum offiia apud sedem pontificis Romanam injuncta tum temporis abebat, itinere in Germaniam suscepto, fructus studioum amici a. MDCCCXXXIV. Roma in patriam nostram ttulit, et Dresdam mittendos mihi benevole curavit. At e sic quidem voti plene compos sum factus. Supererat nim pars librorum N. T., quorum comparandorum cum odice defuerat otium familiari meo, qui, Florentiis relitis et conscensa navi Livornensi, Neapolim cum suis se ontulerat. Reliquum igitur erat, ut peterem literis a Clariss. DEL FURIA, bibliothecae Praeside, quod mihi ad lenum apparatum criticum deerat. Id ille perhumaniter mihi dedit, persona demandata et docta et in hoc genere tudiorum exercitata, mihique transmisit, quae aegre desideraveram. Hujus inventi thesauri primam notitiam aperui in *Anecdotis* meis [1]), dato specimine collationis criticae *evangelii Matthaei* et *libri Tobiae*, cum argumentis N. T. antiquissimis. Sed Codicis unici gravitas non invitum me, hortantibus amicis, impulit [2]), ut editionem N. T. meditarer, quae et lucem afferret rationibus criticis exegeticisque bibliorum versionis latinae vulgatae, et arti etiam criticae in graeco textu factitandae insigni auxilio esset. Id quod in tanta libri antiquitate nemo non concedet, praesertim si memor fuerit regularum Hieronymi criticarum, qui in recensione sua textus latini sequutum se

---

1) Cf. F. F. FLECK *Anecdota maximam partem sacra, in itineribus Italicis et Gallicis collecta.* (Lips. 1837. 8.) Prolegg. p. XII. XIII. et p. 163—188., etiam sub titulo: *wissenschaftl. Reise* etc. II. 3. vel *theol. Reisefrüchte* etc. pars III. Hujus operis quodvis volumen separatim venditur et ita comparatum est, ut argumentum singuli libri etiam absque altero plene intelligatur.

2) Philologi saepissime aut codicum multo leviorum juniorumque adjumento, aut sine omni novorum codicum subsidio novas editiones conficiunt. Quanto rectius hoc fit in Bibliis latinis, quae tot hominibus necessaria sunt, praesertim si primarii codicis facultatem habes! —

esse contendit Codices graecos optimos vetustate venerandos. LACHMANNUS Berolinensis, qui codicem aetatis multo inferioris, Fuldensem quendam saec. forsitan IX. non indignum judicaverat, ex quo textum latinum aliquando editurus esset, nostro principi libro palmam, lubens ingenuusque, quae est hominis praestantis natura, recto judicio concessit. Hi vero codices Vulgatae latinae, qui in monasteriis congregationis Benedictinorum aliisque latent, eleganter nitideque scripti, quos vidi plurimos, ad rem criticam ita sunt leves, et tenues, eandemque formam textus ita constanter prae se ferunt, ut vere dici possit, qui unum viderit, mille vidisse; qui mille viderit, unum. Sunt autem saec. XI. XII. XIII., et talis indolis, et figurae, ut mira sit aequabilitas. Jure autem nostrum codicem in primario subsidio habemus, ad recensionem hoc nomine dignam exercendam; nullus enim antiquior est, nullus testimoniis historicis et indole sua probatior. Quod ut, quale sit, melius perspiciatur, historia ejus breviter delineanda est, in qua re et BANDINIUM l. c. et nostra sequemur.

II. *Historia externa codicis et monasterii Amiatini.*

Liber manu scriptus quondam Amiatinus, qui nunc servatur inter pretiosissimos Codices bibliothecae Florentinae Laurentianae, quos vocant thesaurum (*tesoro*), est maximae molis admirandaeque pulcritudinis et elegantiae, interque eos, qui ex monasterio Amiatino in Regiam bibliothecam venerunt, codices septem primum verissimo merito suo locum occupat. Est enim inter latinos Codices biblicos non solum Etruriae, non solum Italiae, sed totius Europae et omnino occidentalis ecclesiae haud dubie vetustissimus, et ut dicam quod sentiam, paucissimi item graeci libri invenientur, qui se ei vel aequent vel eum superent antiquitate. Continet Vetus et Novum Testamentum integrum, versionis Hieronymianae, nullâ lacunâ, a primo capite Geneseos ad extremum caput Apocalypseos integre servatum, quod quam raro contingat, norunt periti.

el enim prima vel ultima folia in antiquioribus voluminius deesse solent, in aliis libris quaedam e medio textu erierunt. Alii codices graeci sola evangelia, alii epistois cum Actis apostolicis, omissa Apocalypsi, continent; ariores sunt, qui totum N. T. perscriptum habent. Et taem quidem, qui universa Biblia V. et N. T. teneat graece, raeter codicem Musei Britannici, qui litera A apud critios inde a *Griesbachio* notatur, et codicem Vaticanum larissimum no. 1209., qui litera B designari solet, nullum ovi librum. Nam recensio codicis Ephraemi Syri rescriti litera C insignis, Regia Parisina, fragmentis constat, ifficulter resarcinandis et colligendis, quod ipse, cum Paisiis aggressus essem laborem, sum expertus. —

De nostro libro disseruit Bandini l. c. posteaquam nte bis de ea re dixerat, primum in Novellis Literariis Florentinis a. MDCCLXXXVI., tum in diss. italica lingua onscripta, Venetiis typis *Sebastiani Coleti* impressa, quam amen minime credibile est, in multorum manus venisse.

Codex membranaceus est, forma maxima, forti mateia, constans foliis scriptis ex una parte numeratis mille triginta, scriptusque elegantissime. Probabitur causis argumentisque idoneis, exaratum esse eum *saeculo p. Chr. sexto*, majoribus s. uncialibus literis Romanis, tempore *Gregorii Magni* pontificis Romani, manu vel auctoritate Servandi abbatis, binis columnis, ad stichometriae antiquioris normam, diligentia admirabili. Suppressis Etruriae coenobiis, in his *monasterio montis Amiatae Cisterciensi*, venit in bibliothecam Laurentianam, jussu *Petri Leopoldi*, Magni Etruriae Ducis, postea creati Romanorum Imperatoris semper Augusti, meritis immortalis. Posteaquam saec. XVI. exeunte ad editionem Sixtinam perficiendam Romam postulatus missusque fuerat, diu neglectus jacuit per duo ferme saecula. Rari enim tum temporis homines erant, qui in coenobiis laudem eruditionis appeterent, et inter otium literis operam navarent, laudabili exemplo majorum, bibliothecas cumulantium non ornatus causa ad gloriolam apud peregrinatores curiosos captandam, sed doctrinae amplificandae gratia, et ad libros, solidae doctrinae testes, conscribendos. Erat monasterium

Amiatinum Religiosis Benedictinis primum habitatum, inde que doctis hominibus non infrequens, dein vero Cisterciensibus. Quo tempore conditum fuerit, in tenebris remotae antiquitatis certo asseri nequit. Fama est, medio saeculo octavo a. DCCXLIII. sub *Arialdo*, Clusinorum episcopo, *Rachin*, Regem Longobardorum, Perusinam civitatem obsidione cinxisse, animique levandi causa per Amiatinos montes aliquando spatiatum esse. Tum ex abiete procera humani generis Servatorem duas inter ardentes faces per noctem sese illi obtulisse. Quo viso, ibidem celebre *Amiatinum coenobium* in honorem *S. Salvatoris* eum construxisse, amplissimisque fortunis ditasse. Locus est in confinio Etruriae et ejus Romani pontificis agri, qui *patrimonium Petri* appellari solet, prope urbem Senam (*Siena*) et *Radicofani*, in agro antiquitus Senensi. *Mons Amiatinus*, qui hodie *Monte delle fiore* appellatur, tam altus extenditur, ut in proverbio sit, eos, qui eum incolunt, in mortalibus equitare videri. Sed missis in hoc genere fabulis [1]), hoc manifestum est, originem loci Jesu sacrati vetustis temporibus esse vindicandam, et octavo post nat. Chr. saeculo prima vestigia exstructi florentisque coenobii deprehendi. Imperatores autem, Reges atque Principes solebant non tantum bonis, exemptionibus, privilegiis amplissimis monasteria augere, sed etiam codicibus biblicis et scriptorum ecclesiasticorum. Hujus moris haud pauca exempla in coenobiis et ecclesiis cathedralibus Italiae habes, ut in Romana, ut in Veronensi, ut in Viterbensi. Multis nummis ea aetate, quae non erat ferax literarum et ignara artis typographiae, haec munera redimebantur. His talibus beneficiis monachorum Amiatinorum studia juvit inprimis *Theobaldus* episcopus, qui Clusinam diu rexit ecclesiam, temporibus *Ludovici Pii* et *Lotharii* filii, penes quos multum auctoritate valebat, de monasterii juribus ac latifundiis, si quis alius, sollicitus. Plures enim codices exscribendos hoc fine curavit, et a *Rabano Mauro*, archiepiscopo Moguntino, in aula Caesarea versante, familiari

1) Quas esse fabulas, e diplomatibus supposititiis tabularii Amiatini demonstravit BANDINI l. c. p. 702.

suo, ut idem faceret faciendumque curaret, impetravit. Praeterea donationis a *Carolo M.* in commodum monasterii factae confirmationem impetravit, neque qui post Ludovicum Lothariumque regnavit *Arnulphus* rex minus liberalis fuit. Patrocinio suo cumulum addidit *Theobaldus*, jubens corpus suum in abbatia Amiatina tumulari, cujus officii religione defuncti sunt monachi, sub altari S. Benedicti, haud longe a sacrario. Et fama quidem coenobii, non tantum per Etruriam, sed per universam Italiam late fusa est.

Jam ad *aetatem* codicis definiendam utendum est tum externis indiciis et signis, tum genere scripturae. Est autem in posteriore primae paginae parte aliquod carmen, characteribus maximi moduli exaratum, inter duas columnas, quibus arcus superimponitur, rubro ac viridi colore distinctus. Tale monumentum certo foret indicio, nisi aliquantum esset corruptum atque depravatum. Nam antiquae voces nonnullae erasae sunt, novis superinductis vocabulis, quae, ut ab antiquioribus discernantur, charactere cursivo cudenda curavimus. Uncialis est scriptura. Inscriptio sic habet:

† *Cenobium* ad eximii merito
  Venerabile *Salvatoris*
Quem caput eclesiae
  Dedicat alta fides
Petrus Longobardorum
  Extremis de finibus Abbas
Devoti affectus
  Pignora mitto mei
Meque meosq. optans
  Tanti inter gaudia patris
In caelis memorem
  Semper habere locum.

In his sex hemistichiis elegis quaedam temere affecta sunt et ita detorsa, ut metro non respondeant scriptoremque juniorem antiquiora verba certo consilio mutantem haud difficulter prodant. — Perspicuum est ex indole primi distichi, imprimisque e verbis:

Quem caput ecclesiae dedicat alta fides

nostrum librum dono datum fuisse vel Romano pontifici, vel templo principis apostolorum, forsitan Basilicae S. Petri Romanae. Nam illud *quem* v. 2. aut ad personam episcopalem, aut ad ecclesiam referendum est. Jam hunc thesaurum aut adeptus est (nescitur quo modo) *Theobaldus* episcopus, quem, ut vidimus, aliunde constat monasterium Amiatinum donatione librorum manu scriptorum ornavisse, aut potius *Petrus* quidam Abbas, qui v. 5. nominatur. Is enim nomen suum cum ecclesiae Amiatini monasterii titulo intrusit, neglectis poetici metri legibus, hoc modo:

Cœnobium ad eximii merito
Venerabile *Salvatoris*
Petrus Longobardorum etc.

Unde intelligitur, hunc donatorem libri et fraudatorem inscriptionis, sua tempora suumque munus respicientem, nefas non duxisse, a metri et veritatis legibus temeraria mutatione discedere.

Quapropter Bandini l. c. locum critice sanandum censuit, et feliciter sanavit; nam diplomatica fide et solertia sensum contextumque probabilem restituit. Literam enim C, a qua incipit primus epigrammatis versus, vidit esse manu primi scriptoris exaratam, itemque literam E verbi *Cenobium* fuisse formatam a linea curvata literae V; rasuram insuper sequentem occupare spatium quatuor literarum; similiterque rasuram ultimae vocis ejusdem hemistichii habere spatium quinque literarum. Quae omnia oculorum inspectione loci mendosi confirmantur. Adde, ex ultimo epigrammatis disticho intelligi, respiciendum esse ad personam inter caelites relatam. Unde hunc talem versum refecit:

Culmen ad eximii merito venerabile Petri.

Vocula *ad* pendet a voce *mitto* v. 8. Jam *culmen* dictum est in vetere ecclesia de primatu apostolico sedis Romanae, id quod haud difficile est exemplis probari. Visuntur enim adhuc Romae in ecclesia S. Sabinae carmina musivo opere a. circiter CCCCXXIV. constructo expressa, in laudem *Coelestini* I. Romani pontificis, quae ita habent

Culmen apostolicum cum Celestinus haberet
Primus ut in toto fulgeret episcopus orbe
Haec quae miraris fundavit presbyter urbis
Illyrica de gente Petrus vir nomine tanto
Dignus ab exortu Christi nutritus in aula
Pauperibus locuples sibi pauper qui bona vitae
Praesentis fugiens meruit sperare futuram [1]).

Superest, ut evincatur, quis sit in locum abbatis *Petri Longobardorum*, qui v. 5. eraso nomine antiquo suum substituit, reponendus. Antiquae vero scripturae tantum litera E superest.

Jam Bandini curiose volvens librum, ut scriptorem primumque donatorem quoquo modo indicatum detegeret, anteaquam in verum inciderat, propter verba v. 6. *extremis de finibus Abbas*, de Abbate quodam Angliae aut Germaniae, qui pontifici Romano muneri dederit codicem, cogitandum esse conjecit. Sed mox in meliorem sententiam deductus est. Etenim in calce libri Exodi majoribus graecis literis nomen scriptoris ita enuntiatum invenit: *Ο ΚΥΡΙϹ ϹΕΡΒΑΝΔΟϹ ΑΙΠΟΙΗϹΕΝ*, id est DOMINUS SERVANDUS FECIT. Hoc reperto nomine εὕρηκα clamavit, et jure; nam ultra progredi licuit. Lustratis enim *Annalibus Benedictinis* Jo. Mabilloni inventus est T. I. p. 86. sub anno 541. Servandus, discipulus *S. Benedicti*, abbas monasterii a *Liberio* Patritio in honorem martyris *Sebastiani* aedificati. *Liberius* vir ingenuae indolis sub *Theodorico* rege fuit praefectus praetorio Galliarum pro Gothis, postea sub *Alarico*. In Campania Romana, in finibus Latii locus monasterii erat prope Alarinam civitatem, haud longe a Verolis. Unde Servandus Abbas facili negotio magistrum suum *Benedictum* in *Monte Casino* [2]), degentem una cum dilecta cohorte monachorum suorum adire potuit, ut coelesti institutione summi viri frueretur.

---

1) V. opus Ciampini *Vet. Monum.* T. I. c. XXI. p. 190. (Rom. 1690. fol.) cum tabula continente carmen.

2) V. descriptionem et brevem historiam clarissimi monasterii et bibliothecae *Montis Casini* in libro meo: *wissenschaftl. Reise* etc. I. 2. p. 164—172.

Distabat enim mons Casinus triginta circiter passuum millibus a coenobio *Servandi*. Cujus rei fidem facit Gregorius M. in *dialogorum* l. II. c. 35. his verbis: Alio quoque tempore *Servandus* Diaconus atque Abbas ejus monasterii, quod in Campaniae partibus a *Liberio* quondam Patritio fuerat constructum, ad *Benedictum* visitationis gratia ex more convenerat etc. Narratur etiam, *Servandum* a *S. Benedicto* testem fuisse vocatum, dum orationi per noctem ad fenestram vacaret, ut *Germani*, episcopi Capuani, animam in coelos abeuntem videret, ab angelis in medio lucidissimae igneae sphaerae delatam. —

Jam ex duobus primis secundi distichi vocabulis sola litera E superest, quae secundo loco vocem versus initialem componebat. Rasura autem spatium occupat, quo contineri possint duae voces, quatuordecim literis compositae. Nunc linea restituitur hoc modo:

Servandus Latii
Extremis de finibus Abbas

ratione simplici, et satis probabili. Proinde, qui sequuntur, versus, quibus ait abbas *Servandus:*

Devoti affectus pignora mitto mei,
Meque meosque optans tanti inter gaudia patris
In caelis memorem semper habere locum

videntur potius ad D. *Petrum*, primum pontificem, quam ad *quempiam* alium ejus *successorem* referenda esse. Cujus sententiae certa indicia et argumenta sunt in sequentibus verbis:

Quem caput ecclesiae dedicat alta fides.

Nam cum apostolus, vel, ut inter Pontificios creditur, princeps apostolorum jam in caelis beatorum consortio fruatur, *Servandus* pius Abbas deprecatur, ut una cum suis monachis (quos dicit *meosque*) locum inter eos habeat. Monachi autem hi socii laborum fuisse videntur in scribendo adornandoque Bibliorum opere. Florebant enim laude calligraphiae et praestantissima alia sacrae antiquitatis monumenta perficiebant. Et scriptura quidem nostri libri castigatissima est, prolegomena pro his quidem temporibus docta sunt et copiosa, ornamenta magnifica, picturae me-

morabiles. Abbas *Servandus* pro eo, quem aetas ferebat, gradu judicio subactus, artium liberalium aliquantum gnarus, nec inscius linguae graecae fuit, id quod e codicis accuratiore examine perspicietur. Ut uno exemplo defungar, post epigramma, de quo diximus, p. 3. est praefatio in charta purpurea majoribus, sed evanescentibus diuturnitate temporum literis eleganter scripta, qua ad lectionem sacrorum librorum Christi fideles invitantur. —

Ex his, quae disputavimus, argumentisque historicis ac diplomaticis evincere tentavimus, credibile est, *Servandum* senem, audita *Gregorii* pontificis electione, qui in apostolicam sedem ascendit a. 590, et ad diem XII. Martii a. 604 summa cum laude ecclesiae praeerat, hunc codicem biblicum dono ei misisse. Tantum munus tanto viro dignum fuit. Unde ab a. fere 1036 existimatio in mentes hominum irrepsit, librum propria *Gregorii* manu fuisse exaratum. —

Narrante enim Ughellio in *Ital. sacra* III. p. 623., qui in monasterio Amiatino degerat, ut ibi chartas exscriberet, in quadam scriptura, inventa est notatio temporis, quo consecratum est templum sub *Winizzone* Abbate et *Arialdo* Clusino Episcopo, *Benedicto* pontifice mandante magna populorum frequentia a. 1036. Qua opportunitate caerimoniae, reliquiae Sanctorum in aris, ad quas sacerdotes litare solebant, honorifice fuerant conditae. Hujus chartae indicio aequales Ughellii subterraneam ecclesiam, quae *Crypta* vocatur, inquisiverunt, submotisque altarium quorundam lapidibus, reliquias multas thecis ligneis inclusas invenerunt, obsignatas cera crocea, in qua spectabatur effigies *Winizzonis* abbatis. Eas cum aliis reliquiis honorificentiori loco locandas curavit Ughelli a. 1631. Monumentum autem ibi repertum ita habet. „In nomine Domini. Amen. Anno Domini millesimo XXXVI. Ind. IV. tempore beatissimi Papae *Benedicti* de Tuscula, ex patre *Alberico*, et invictissimi Imperatoris *Conradi*, et *Guinizzi* Abbatis, consecratum est templum hoc ad honorem D. *Salvatoris*, et Beatae *Mariae* semper virginis, et multorum Sanctorum, quorum nomina sunt per singula altaria, quae continentur in hoc scripto, ad cujus consecrationem fue-

rant decem, et octo inter episcopos et cardinales, inter quos fuit Venerab. Patriarcha *Aquezon* (int. Aquilejensis) cum comitatu Clericorum et aliorum bonorum virorum etc." Post enumerationem reliquiarum subjungitur: „Et nonnullas alias honorificentissimas et colendissimas reliquias infinitorum pene Sanctorum, quae summa cum affectione in armario loci sacrorum, sive sacristia reconditae sunt, *nec non Vetus Novumque Testamentum, seu bibliam scriptam manibus beatissimi pontificis Gregorii.*"

Hic juvat meminisse, volumen biblicum, quatuor inprimis evangeliorum, ab antiquissimis ecclesiae temporibus inter sacra κειμήλια fuisse servatum, et, finita Episcopi ad populum lectione, sigillo cereo munitum. Id quod haud dubie factum est imitatione moris judaici, ex quo lex Mosaica Pentateucho scripta (תּוֹרָה) in altari synagogae quasi loco sacrosancto condi solet hodieque conditur. Tanto igitur honore codex est habitus, ut in consecratione templi eodem cum reliquiis sacris loco secreto poneretur.

Superest, ut de *Petro Abbate*, a *Longobardis* oriundo, qui eraso nomine *Servandi*, suum in epigrammate nomen hunc in modum substituit:

Petrus Longobardorum extremis de finibus abbas dicantur, quae memoriae mandata sunt. Vir fuit magna auctoritate apud principes, et codicem nostrum monasterio suo comparavit, multis forsitan nummis. Privilegia item non pauca adsequutus est, ut a *Guidone* Imp. a. 892 amplissimum diploma pro confirmatione omnium bonorum et jurium monasterii, ut ab *Arnulpho* Imp. a. 896 contra laicos, qui opulentum patrimonium coenobii invaserant, ut a *Christiano*, episcopo Clusino, a. 911 indulgente Abbati decimas omnes [1]). Ergo multum interest, ut distinguas donatorem codicis ejusque interpolatorem *Petrum Abbatem* Amiatinum saeculo IX. et X. florentem a scriptore et auctore *Servando Abbate* coenobii inferioris Italiae ordinis Benedicti, homine saeculo VI. et *Gregorio* M. aequali. Quo autem modo *Petrus* Abbas in possessionem codicis *Ser-*

---

1) V. posteriorem partem historiae coenobii apud BANDINI l. c. p. 708—711.

vandi Abbatis venerit; id quidem in defectu monumentorum liquida ratione dici nequit.

Sequuntur alia testimonia de praestantia libri nostri ore et scriptis clarorum virorum. Etenim Pius II., e gente *Piccolomini*, *Aeneas Sylvius* cognomine, vir ingenio, doctrina, rerum gerendarum dexteritate insignis, qui med. saec. XV. cathedram Romanam ornavit, in opere *Commentariorum* s. *de rebus*, *quae suis temporibus gestae sunt*, sub init. lib. IX. elegantem montis Amiatae et monasterii descriptionem delineat, additis verbis his: „lubentissime adii Sacram supellectilem pretiosam, et bibliothecam nobilem, cujus *pauca* exstant volumina, inter quae *unum maximum*, *et admirabile Veteris et Novi Testamenti*, *literis majusculis exaratum*, *quod cupide vidi* etc.“ —

Audiendus item est Angelus Rocca, Augustinianus, custos bibliothecae Vaticanae, auctor bibliothecae Angelicae Romanae, vir eruditionis exquisitae et ingenii praeclari, qui in l. *Apostolica Vaticana bibliotheca* (Rom. 1591.) p. 47. de codicis antiquitate et praestantia sic scribendum censuit: „Latinorum bibliorum exemplar in Cisterciensium monasterio Montis Amiatae agri Senensis custoditur, totum majusculis literis exaratum, sicut antiquitus apud Romanos scribi passim solebat. Id quod antiquitatem illam redolens, circiter jam mille a Christo nato annos existimatur scriptum, nam tempore *B. Gregorii Magni* (electi a. 590) conscriptum fuisse omnino existimatur etc.“ —

Jac. le long, in *bibl. sacra* ed. Masch (Lips. 1709. 8.) p. 536. 537. nostrum librum quarto inter praecipuos Bibliorum latinorum codices antiqua manu exaratos, tota Europa cognitos, ponit, apte tamen adjungens verba: „si *Angeli Roccae* confirmari posset opinio, primas ei haud dubie partes concedendas esse.“ — Nam hi, quos ante nominaverat, libri omnes uno saeculo aut duobus saeculis juniores sunt. —

Reverentia igitur perfusus, quae antiquis monumentis debetur, quis mirabitur, honorem et desiderium tanti thesauri magnum fuisse penes doctos homines? Testis est historia. Nam in nova recensione textus latini a *Sixto V.* pontifice Romano *juxta decretum Tridentinum* insti-

tuenda et instituta doctorum virorum oculi in hunc librum conjecti sunt. Quod quidem duabus rationibus manifestum est. Primum enim ex bulla pontificis celeberrimae editioni praemissa intelligitur, Romae tum vetustiores codices fuisse congestos, et ad correctionem atque emendationem textus latini haud levi neglígentia saeculorum depravati comparatos. En tene verba:

„In hac autem germani textus pervestigatione, satis perspicue inter omnes constat, nullum argumentum esse certius ac firmius, quam antiquorum probatorumque codicum Latinorum fidem, quos tam impressos quam Mss. ex Bibliothecis variis conquirendos curavimus etc.“ Alterum argumentum, ex quo perspicuum est, nostro codice in castigando latino textu usos fuisse, inventum est in monumento chartaceo, quod in interiori tegumento libri adhuc legitur, vel in epigraphe, quam meis oculis vidi, his verbis italicis scripta: *La presente Bibia a di* 12. *di Luglio* 1587. *fu portata all' Illustrissimo Cardinale Antonio Carafa per l'opera dell' emendazione della Bibia Latina vulgata, per ordine di S. Santità Sixto V. in Roma, e fu restituita alli* 19. *di Gennaro* 1590. *alli Reverendi P. D. Marcello Vanni et Don Stefano Pizzetti Monaci di Monastero di S. Salvatore in Montamiata. Jo Arturo de' Conti d' Elci.* Is qui nomen subscripsit, Comes *de Ilice* Magni Etruriae Ducis h. tempore ad Romanum pontificem legatus fuisse videtur, cujus interventu codex e monasterio Etruriae in urbem aeternam venerat. Ibi per tres fere annos fuerat servatus et pro subsidio primario critico adhibitus ad emendationem novamque recensionem textus latini. Praeerant, auspice pontifice [1]), *Angelus Rocca,*

---

1) *Sixtus V.* dedecori duxit ecclesiae Romanae, latinam „veritatem“ textus biblici, quae *concilii Tridentini decretis* auctoritate sacrosancta munita fuerat, per decursum saeculorum in tot menda, in tantam labem et corruptelam incidisse. Quare dignitatis suae pontificiae esse censuit, hunc statum rerum biblicarum emendare, remediis undequaque advocatis. Itaque non solum collegium virorum doctorum hoc fine convocavit, sed singula etiam editionis impressae folia ipse correxit, doctrina satis excultus, quam editione operum *Ambrosii* tum, quum haberet nomen et dignitatem Cardinalis *de Montalto,* luculenter probarat.

praefectus bibliothecae Vaticanae et *Antonius Caraffa*, Cardinalis. Tituli *editionis Sixtinae* duo sunt, quorum primus ita habet: Biblia sacra vulgatae editionis tribus Tomis distincta. Romae e typographia Vaticana. 1590. fol. Alter est: Biblia sacra vulgatae editionis ad Concilii Tridentini praescriptum emendata, accitis viris doctissimis Flaminio Nobili, Antonio Agellio, Laelio Cardinalis Carafae Theologo, Petro Morino et Angelo Rocca [1]), ab ipso Carafa, qui huic editioni praefuit, et a Sixto V. P. M. recognita et approbata. Romae ex typographia Apostolica Vaticana, opera Aldi Manucii, Aldi abnepotis 1590. Haec editio, quae vulgo *Sixtina* vocatur, bibliophilis et librorum emtoribus perraro obvenit, deformis illa tot erroribus socordia aut typographorum aut virorum doctorum ortis; ut primum rasuris, verbis superscriptis, schedis chartulisque papyraceis annexis, quibus correctio inscripta esset, huic malo mederi conati sint, tum vero nova editione, quae prodiit auspice altero successore Sixti V. *Clemente VIII.*, unde nomen habuit *Sixto-Clementinae* aut *Clementinae*. Romae a. 1592. fol. Ea nunc normam atque exemplum suppeditat textus latini biblici, intra ecclesiam Romanam sanciti. Vaticanos tamen criticos homines saec. XVI. non eo modo usos esse Codice nostro, quo utendum erat, haec nostra ipsa editio cum varietate lectionis peritos abunde docebit. Permulta enim omissa et neglecta sunt, quae ad correctionem textus bonae imo optimae frugis erant. Videntur igitur illi et pauca emendasse, et ad libros manu scriptos non primi sed secundi ordinis.

Caeterum monachi montis Amiatae quondam *Benedictini*, quum per sex ferme saecula coenobium habitavissent, ab antiquo instituto scurrili negligentia et rebellione desciverunt. Inde *Gregorius IX.* pontifex a. pontificatus II. vel p. Chr. 1229. eos amovit, et in locum eorum succedere jussit ordinem *Cisterciensium*, doctrinae sanctitatisque laude florentem. Tandemque iterum post octo fere sae-

---

1) Hunc virum credi fas est auctorem suasoremque fuisse collegis, ut codex e monasterio Amiatae montis Romam arcesseretur. V. locum ex ejus *biblioth. Vaticana* supra excitatum p. XVII.

cula suppressus est ordo monachorum *Cisterciensium* in *Etruria*, qui non uno modo a simplicitate et severitate antiquioris disciplinae degeneraverat. Chartae igitur tabularii ditissimi et pauci bibliothecae codices superstites male affecti et detruncati, Florentias in *Archivium diplomaticum* et in *bibliothecam Laurentianam* perutili migratione venerunt, ubi nunc liberalitate et humanitate eorum, qui salutem civitatis curant, usui publico patent. Factum est jussu *Petri Leopoldi*, decoris Etruriae, et postea Germaniae, cujus rebus praeerat nomine *Leopoldi* II. Caesaris.

III. *Interior indoles Codicis et versionis Vulgatae.*

In hanc disputationem delapsus, de ea parte libri, quae V. T. continet, nulla verba facienda mihi existimo, si quidem alii post me editori haec relinquenda sunt. Nihil igitur de ornamentis, nihil de praefationibus adjicio, quae sunt ex hoc genere. Mihi de N. T. dicendum est.

Praecedit Prolegomena N. T. pictura, totam implens paginam, circa quam ex omni parte fasciola crocea recurrit, argenteis parvis conspersa speculis. In medio circumscribitur discus, variis coloribus et argenteis lamellis plurimum exornatus. In centro disci in fundo caeruleo caelestes sphaeras stellis conspersas creare videtur Salvator, cum majestate sedens in cathedra, seu solio cum pulvino posterganeo triangularis figurae. Comam bifariam divisam in fronte, et post humeros conversam, simulque barbam in angulum acutum desinentem habet; caput rotundo aureoque redimitum est diademate, argentea cruce distincto, cujus tamen nunc pauca supersunt vestigia. Nudis pedibus suppedaneum premit, rubraque talari tunica corpori adstricta praecingitur, cum pallio violacei coloris superimposito, quod a laevo humero pendens, circa corpus volvitur. Elata dextera videtur benedicere orbi, sinistra autem manu, eodem cooperta amictu, clausum volumen auro insignitum sustinet. Duo alati angeli, duplici talari veste induti, altera subobscuri, altera albidi coloris,

in capite ornamentum nimbi aurati habentes, ad Salvatoris utrumque latus excalceati, curvato paulisper corpore, prosternuntur venerabundi, manibus gestantes baculos argenteos. Extra circulum, in quatuor pictae tabulae angulis, quatuor repraesentantur Evangelistae, cum symbolis aliunde notis, pedibus stantes nudis, veste ac chlamyde induti versicolori, nimbo caput redimiti. Evangeliorum volumen varia positione prae manibus habentes, se invicem intuentur. —

Jam missis, quae ad externam formam codicis Amiatini referenda sunt, paucis dicendum est de vinculo, quo continentur vetus Itala et vulgata Hieronymi versio, ut *haec*, qualis sit ponderis in rebus criticis, perspiciatur. Vestigia translationis Italae ante Hieronymum tendunt usque ad finem saec. II. et initium saec. III. Patria hujus monumenti quamvis incerta sit, plerique tamen designant Africam, auctoribus maxime *Tertulliano* et *Augustino*, qui in scriptis saepe Itala versione utuntur. Sed vereor, an ejus origo jure ad unam provinciam referri possit. Nam testante *Augustino*, prouti primis fidei temporibus facultate aliqua utriusque linguae pollere sibi quisque videbatur, ausus est vertere. Id confirmatur versionum Italarum reliquiis in codicibus, quorum notitia opera virorum doctorum *Bianchini*, *Sabatieri*, *Martianayi* aliorumque [1]) ad nos venit. Sunt enim fragmenta diversae indolis, colorisque minime consentientis. Et *unitatem* versionis nemo adhuc rationibus idoneis ita probare potuit, ut nullus dubitandi locus superfuerit. *Eichhornius* etiam in hoc genere incassum disputavit. Melius igitur de versionibus Italicis numero plurali disseritur. Eas recte designat *Augustinus* notissimis verbis: „*esse verborum tenaces cum perspicuitate sententiae.*“ Plerumque enim translatores textum graecum ad literam reddunt, raro liberius agunt; unde factum est, ut Latinitas eorum vix hoc sit nomine

1) *Novum fragmentum* Italae versionis *Marci* atque *Matthaei* e codice olim *Bobbiensi*, nunc *Taurinensi* Regio publici juris feci in libro: *Anecdota sacra.* (Lips. 1837. 8.) p. 1 — 109. coll. Prolegg. p. I. II.

digna. Genus enim dicendi est graeco-latinum; retinentur graeca nonnunquam vocabula (ut in: *mons eleon, cata Matthaeum* et in al.), immiscentur alia barbara et a genio latinae linguae aliena. Quod etsi aegre feratur ab eo, qui meliori adsuevit sermoni, tamen hoc inde utilitatis redundat, quod textus graeci antiquioris natura ex his fragmentis, quae presse sequuntur Graeca, cognoscitur. At certo dici et colligi nequit, quosnam fontes Graecos sequuti fuerint, qui latine haec vertebant, cum antiquissimi libri manu scripti graeci, his quidem fragmentis aetate pares, perpauci supersint. De provincia et origine versionum ante Hieronymum, quae nonnunquam privatis tantum usibus inserviisse videntur, ea de causa difficile judicium est, quod haud raro forte fortuna ex uno loco in alium migraverunt. Ea tamen fragmenta, erroribus orthographicis, grammaticis aliisque non uno loco conspicua, apte comparantur ad latinae linguae, senescentis illius et decrepitae, historiam subtilius cognoscendam; et documento sunt, quem in modum veteres Christiani, non tantum episcopi et clerici, sed etiam laici, pietate insignes, qui aliqua utriusque linguae facultate instructi sibi videbantur, sacros libros graecos in latinum sermonem transferre conati sint, summa quidem fide et mirabili diligentia. Quae fragmenta Italicarum versionum, hucusque cognita, si aliis incognitis et nove repertis augere secunda fortuna contingeret, si praestantes Codices graeci vetustissimi denuo ad editiones impressas conferrentur, et quidem subtilitate philologica his nostris diebus digniore, de restituendo textu graeco, saeculo III. fere p. Chr. familiari, bona quaevis sperari fas esset. —

Satis haec sunto disputata de rebus biblicis ante Hieronymum; nunc, unde aberravit oratio, ad nostri codicis versionem Hieronymianam redeamus. Hieronymus jussu *Damasi*, episcopi Romani, adjumento codicum graecorum non multorum, sed excellentium antiquitate et indole sua, suscepit laborem et emendandae veteris versionis, tot mendis foedatae, et novae translationis conficiendae. In qua re ardua moderate egit; sed ne sic quidem damnatorias sententias imperitorum et malevolorum effugit; in quos

subinde, animo obtemperans exacerbato, invehitur. Multum abfuit, ut continuo haec ejus studia plausu ecclesiarum exciperentur. Imo saeculo quinto et inferiori etiam tempore utrisque translationibus et vetere, et recenti promiscue usi sunt pro lubitu non tantum laici, sed item pontifices, in his *Leo Magnus*, qui excitat verba N. T. hodie perdita: „*vos autem quaeritis de minimo crescere et de magno minui.*“ Sexto saeculo p. Chr. exeunte *Gregorius M.* in *explicatione libri Jobi* translationem Hieronymi latinam in usum vocavit; antiquiore autem versione ad comparationem usus est, polemico consilio. Ita factum est, ut duplex opus diu multorum memoria et usu floruerit. Nihil enim difficilius perficitur, quam ut aliquem destituas in rebus sacris, quem dudum ea usum esse scitur, auctoritate. Haud raro accidit, ut ex antiquiore latina versione recentior, et ad recentiorem vetustior corrigeretur, ut in codice Brixiensi argenteo evangeliorum et in Vaticano codice no. 7016. — Hieronymus cautus translator, qui aliquot loca populi causa reliquerat intacta, tanti laboris mercedem quum retulisset injurias, querelas, calumnias; decursu aliquot saeculorum multorumque pontificum judicio res novae auctoritate sufficiente tandem confirmatae sunt. —

De *linguistico* atque *critico* valore versionis, licet his, quae dicentur, defungi. Latinitas Hieronymi talis est, ut neque contemni possit, nec laudanda nimium sit. A soloecismis enim et barbarie peritorum virorum judiciis non semper abhorret. *J. M. Gesnerus*, homo literatissimus, magni hoc monumentum facere solebat, non quasi sermone Latii plenum, sed quod sibi ad cognoscendas penitus Romanae linguae aetates subsidio esset. Gnaviter enim curabat, ut stadia sermonis Romanorum, cui pervestigando vitam viresque dicaverat, undequaque perspiceret. Est argentea aetas linguae Latinae, est etiam ferrea. Novimus, Hieronymum questum esse, orationem suam latinam lectione librorum Hebraeorum et Graecorum aliquantum affectam esse, et „rubigine obductam,“ ut ignoscendum sit ejus ruditati. Sed, collatis Italis versionibus antiquioribus, quae ad *Latinitatem rusticam*, matrem ho-

dierni Italorum sermonis, prope accedunt, Hieronymianum dicendi genus possis jure tuo et castum et aliquantum elegans appellare. Item argumenti rationes puram Latinitatem recusant. Dicta enim et placita sacrarum Scripturarum quum sint profunda, subtilia, nec audita ante mortalibus, quid tandem miramur, ad res novas designandas verba etiam nova ficta, imo excussa fuisse? Et quis neget, veterum Romanorum omnino linguam ad res divinas explicandas et ad interiores notiones christianas aperiendas parum cultam formatamque fuisse? Exinde Latinitas ecclesiastica, theologica, religiosa in ecclesiis et scholis christianis emersit, latius tendit tendetque, quousque res theologicae latine exponentur; non arbitrio, non casu, sed quadam necessitate. Quod autem intra Protestantium familias accidit translationi germanicae Lutheri, ut in omnium ore sit, quotidianumque sermonem saepe invita et inscia flectat, ut proverbia non pauca ex ea deriventur (id quod, quo diutius vivitur, eo saepius animadvertitur): similis ratio est versionis Vulgatae penes adseclas ecclesiae Romanae. Ad hujus enim normae judicium disputatur a theologis in scholis, collegiis, seminariis, academiis, legitur missa, cantantur carmina sacra, scribuntur mittunturque epistolae, breves, bullae Pontificum crebris allegationibus. Unde recte sic fieri, apte contenditur; exclusa enim lingua patria, qui vetere emortua utuntur, his novis vocabulis utendum est; nova enim vina non nisi novis utribus condi possunt. Nolo tamen, ut dicam quod sentio, patronus advocatusque haberi barbariae scholasticae, sed necessitatis.

Critica autem pars versionis ita comparata est, ut dubitationibus et judiciis intra se pugnantibus obnoxia fuerit. Nobis non licebat textus conformationem receptam mutare ad nostrum codicem, et in eum modum corrigere, ut nova versio esse videretur. Sed adjecimus criticum apparatum, qui hominibus graece doctis materiem disquisitionum et emendationum praebere possit, in *graeco* inprimis textu. Quum item *manualis*, quam vocant, haec editio futura sit, nefas esse duximus, a textu recepto, qui sacrosanctus creditur nonnullis coetibus, ulla ratione dis-

cedere. Verumtamen discipulorum animos hac varietate lectionis, e praestantissimo codice, *pontificia adprobatione Sixti V. ornato*, in margine subjecta, erigere et movere tentavimus, ad Graeca evangelica et apostolica legenda iterumque perscrutanda, quibus studiis qui assidue et solerter se dederint, suis praeclaris fructibus non carebunt. Recognitionem tamen et adeo recensionem textus latini novam, qualem critici homines dicere solent, vel eam ob causam hic exhibere neque potuimus neque voluimus, quod sine ubere apparatu codicum graecorum, versionum et Patrum fieri non potuisset, qui quamvis nobis minime desit, in itineribus large congestus, ad futuram editionem *graeci* textus N. T. criticam et exegeticam, tamen, si *nunc* adlatus fuisset, non manualem, sed ampliorem criticam editionem effecisset. Id quod et a bibliopolae, viri honestissimi, et a nostro consilio alienum erat. —

Constat autem, editiones typis impressas *Clementinas* posteriores, ab a. maxime 1593. 1598. et sequentibus identidem annis promulgatas non nisi raris inter se minutiis differre, et unam fere aequabilem formam textus continere. Earum tamen fundamenti loco una erat ponenda. Consentaneum erat his temporibus et huic literarum luci, eam eligi editionem, cujus auctor plurima eruditionis rectique judicii specimina in corrigendis erroribus typothetarum et criticorum protulisset, tantumque temporis in hoc genere studiorum consumsisset, ut in eis totus habitare jure suo crederetur. *Novam enim textus conformationem nemini*, ut repetam, *in hac versione licitum est tentare ex antiquis ecclesiasticis legibus*, *quae sacrosanctae multis videntur. Qui plura postulant*, *hoc ipso profitentur*, *se historiam hujus versionis*, *ejusque vim atque naturam a concilio inde Tridentino ignorare*. Quamvis neminem fugiat peritum, a multis hodie Catholicis decretum Tridentinum de vers. Vulgata existimari praeceptum non *dogmaticum*, sed *disciplinarium*, aequalibus datum, indeque non *perpetuae* obligationis. — Optima igitur visa est editio recens et manualis VAN ESSI [1]), viri doctrinae, in-

1) Prodiit a. 1822. Tubingae ap. Fues. 8. solum Novum Testa-

genui animi, et sagacitatis meritissima laude florentis, quam in textu stanneis formis describendo sequeremur. Praetermisimus tamen, ne antiquiora nostra variis aliis fontibus temere commiscerentur, lectiones variantes, quae e correctoriis Romanis aliisque vetustioribus exemplis prelo commissis in margine *Essiani* libri rarius enotatae sunt. Multa leviora errata bene ab editore correcta vidi. Alia, quae ex editione Sixtina a. 1590. rejecerant, qui sequuti sunt, homines critici, et *van Ess* in marginem ablegaverat, noster codex confirmavit. Ex quo manifestum est, Sixtina biblia, quantumvis scatere erroribus et festinationis indiciis atque vestigiis (*in V. tamen multo frequentius, quam in N. T.*) visa sint aequalibus [1]), respectu fontium antiquorum praestantiora videri Clementinis, quorum recensio, intra decem et novem dies, *Zagarolae* in confiniis Romae perfecta est [2]). Neque talis correctio supplementa non admisit, quae plura prodierunt iteratis editionibus et correctoriis adjectis. Examinatis autem antiquioribus, ut Veneta (a. 1755. 4. auct. *J. B. du Hamel.* T. I. II. ex typographia Balleoniana), et recentissimis editionibus, ut Francofurtensi ap. *Andreae* aliisque, certo persuasum mihi est, textum Clementinum, qui *receptus* est, et a quo discedere nullo pacto licet in manuali editione, apud *van Ess* emendatissimum et castigatissimum exhibitum esse. Hunc igitur sequuti sumus potissimum, non caeca cupiditate rerum novarum, sed fundato, solidoque judicio. Nostra vero principis codicis Latini varietas lectionis subjecta est margini instar commentationis criticae, ad exercenda ingenia veri amantia.

---

mentum continens. Ejusdem anni est major editio, quae *tribus* Tomis universa Biblia complectitur.

1) Cf. inprimis librum suis temporibus late divulgatum, nunc vero una fere cum Sixtinis bibliis, quorum exempla hodie in bibliothecis publicis rarissima sunt, oblivione sepultum, scriptum ab Anglo THOMAS JAMES, bibl. Bodlejanae Oxoniensis primo praefecto: *Bellum Papale sive Concordia discors Sixti V. et Clementis VIII. circa Hieronymianam editionem.* Lond. 1600. 4.

2) Idem videtur *van Essio*. Cf. historiam bibliorum Sixtinorum et Clementinorum inprimis docte et copiose scriptam in libro: VAN ESS, *pragmat. krit. Gesch. d. Vulgata.* Tübing. 1824. 8. p. 263 sq. p. 344 sq.

Argumenta capitum *van Essiana* fere omnia tum mutavimus, ampliora illic reddentes, hic contrahentes, tum meliore Latinitate donavimus, quod ea emendari et posse haud difficili negotio, et deberi intellexeramus. —

Jam lectiones variantes, ex quo genere sint, ne nimis obiter praefati esse videamur, exponamus. Quo dilucidius hoc, quale sit, intelligatur, hanc copiam juvat in *classes* distribuere. Ad haec fere genera revocantur omnes. —

I. Sunt *transpositiones verborum et dicendi formarum, omissiones, insertionesque leviores*. Ea discrepantia ut in omnibus versionis Vulgatae codicibus, qui aetate multo inferiore sunt scripti, saeculis quidem XI. XII. XIII. et sequentibus, frequentissima est [1]), ita nec in nostro libro rara. Exempla, ut nimis multa, odiosa sunt; quavis enim pagina reperies. Ita e. c. *et* omissum, *autem* insertum saepenumero est. Haec talia debentur incuriae et socordiae scribarum. Fatendum quidem est, vim dictionis genuinam his plerumque non attingi; sed tamen hujus etiam regulae non desunt exceptiones. Cf. e. c. Luc. 8, 25. Audiatur ad haec vox *J. Alb. Bengeli*, clari et vere christiani interpretis, qui: „neque ulla varietas, inquit, tam gravis est, ut inde religionis summa pendeat, neque tam levis ulla, ut veritas Apostolica non sit praeferenda vitiis librariorum.“ —

II. Mutationes casuum, numerorum in substantivis, temporum in verbis, compositorum in simplicia crebro reperiuntur, saepe quidem, imo plerumque contra elegantiam latinae orationis factae, sed ad veriorem indolem textus graeci aperiendam graves. Ad Graeca vel denuo pervestiganda vel confirmanda vel emendanda haec talia haud exigui ponderis sunt. V. inter alia Luc. 8, 3. *eis* (apostolis). De qua lectione, locupletibus testibus probata, et examine digna, v. *Vater.* in N. T. ad h. l., qui tamen male contendit, apostolorum mentionem non esse factam ante. Cf. v. 1. Recte *Scholz.* *αὐτοῖς* in textum admisit, quod de-

1) Transpositiones et omissiones verborum perquam vulgares esse in codicibus biblicis latinis, vidit SCHOLZ in l. *bibl. krit. Reise.* p. 45 — 49. (Leipzig, 1823. 8.)

buisset etiam facere regulis suis convenienter *Lachmannus*. Forma orationis ex his mutationibus fit nonnunquam simplicior naturaeque convenientior. Nec tamen desunt exempla, quibus error grammaticus subest, ut Luc. 7, 8. *et alio* pro *et alii*.

III. Aliud genus varietatis inest in *orthographia*, nominum maxime propriorum. Scribuntur enim *Jhesus*, *Johannes*, *Hierusalem*, *Helias*, *Scariotes* vel *Scariothes*, *Acheldama* et alia similiter. Item habes vocabula sic scripta: *temptare*, *temptatio*, *epistula*, *spiritalis*, *caritas* (pro *charitas* textus recepti), *adulescentes* et al. Haec talia invenies in *Vitruvio*, *Solino*, *Tertulliano*, aliisque scriptoribus ecclesiae antiquioris. Neque tamen horum orthographicorum aequabilitas est; nam scribis codicum parum doctis sibique non constantibus debentur. Praeterea litera *b* saepe pro litera *v* ponitur, quod cave in formis temporum pro variante lectione habeas, est enim *formalis*, non *realis* diversitas, id quod connexa docet oratio. Insigne exemplum est Apocal. 9, 21. 18, 23., ubi permistione harum literarum mire legitur *beneficiis* pro *veneficiis*. —

IV. Accedit genus lectionum, quae *praecipuo quodam sensu ad rem ipsam* pertinent, non tantum ad rationem dicendi variabilem. Eae tales sunt, ut vel ad textum latinum Hieronymi genuinum vel adeo ad graecos codices, quibus usus est doctor subtilis, referendae sint. Hae, quas posteriore loco posui, eatenus valent ad Graeca certiore judicio eruenda, quod per latina verba graeca illa antiquiora et authentica probabili conjectura licet dispicere. Nam quum Hieronymum sequutum esse constet codices graecos antiquissimos et optimos, caute quidem et circumspecte, restituta lectione ejus latina, etiam de „graeca veritate“ consequitur, judicari posse. Exinde hic codex ad criticam graeci textus factitandam tanti praesidii et adjumenti est, ut recte *semigraecus* aut *mediate graecus* dici possit, et auctoritate sua innumeros codices graecos inferioris notae aetatisque vincat. *Multae haud dubie bonae lectiones, communi assensu probandae, aut accurate examinandae et ponderandae, in eo servatae sunt.*

Exempla, e multis delecta, haec habeto. Poterant item alia proponi, sed omnium non erat locus. Qui volet, ex ipsa lectione libri reliqua facile colliget. Luc. 17, 34. *in tecto uno* pro *in lecto uno*, ἐπὶ κλίνης μιᾶς. Dissensum Nostri inde explica, quod apud parall. scriptorem Mtth. 24, 40. similiter legitur: ἐν τῷ ἀγρῷ. Quem v. nonnulli inserunt, sed perperam ap. Luc. v. 36. omissumque putant ob ὁμοιοτέλευτον. Luc. 19, 37. *descendentium discipulorum*, ubi *descendentium* est glossatoris, imaginem rei gestae amplificantis. Luc. 20, 4. *baptismum* pro *baptismus*, ad similitudinem graecae formae τὸ βάπτισμα. 21, 4. *ex abundantia* pro *ex abundanti*; receptus textus Graeco ἐκ τοῦ περισσεύοντος, Amiatinus codex Latinitati respondet et vi oppositionis substantivo sequenti ἐκ τοῦ ὑστερήματος. 21, 21. *descedant* pro *discedant*. 22, 26. *junior* pro *minor*, elegantius ad Graecum ὁ νεώτερος. ibid. v. 37. *cum injustis* pro *cum iniquis*. Graecum est: μετὰ ἀνόμων, fortius a nostro redditum libro. ibid. v. 55. *igni in medio atrio* latinius pro *igne in medio atrii*, sed minus ad verbum. — Luc. 8, 7. *secus spinas* pro *inter spinas*; gr. ἐν μέσῳ τῶν ἀκανθῶν. Saepe *illum* pro *eum* positum habes, ut Luc. 5, 13. 19. Ibidem v. 37. *rumpit* pro *rumpet*, contra Graecum: ῥήξει. Cf. et 6, 7. et inprimis v. 26. Optime translata sunt Luc. 1, 4. 5. 59. 2, 2. et orthographice, et ad rem ibi narratam. Latinae formarum terminationes nonnunquam desiderantur, in earum locum graecae vetustiores suffectae sunt. Cf. Luc. 1, 15. Huc illuc tamen leges ingeniumque latinae linguae violantur, ut Luc. 1, 17. ubi ἀπειθεῖς vertitur: *incredibiles*. At non melius textus receptus dedit: *incredulos*. Videntur utrique: ἀπίστους mente habuisse, cui Latinum non respondet vocabulum. Nulla varietas in Graecis est. Alius error est Luc. 1, 23. Et c. 1, 36. vox insolentior poetarum *senecta* legitur pro *senectute*. Luc. 3, 22. *in te complacuit mihi* pro *in te complacui mihi*, gr. ἐν σοὶ ηὐδόκησα. ibid. v. 23. *ut putaretur* pro *ut putabatur*, ὡς ἐνομίζετο, ubi receptus textus potior videtur. — 4, 7. *procidens si adoraveris* pro *si adoraveris*, ἐὰν προςκυνήσῃς; Nostri translatio nativae vocis graecae potestati aptior est. 4, 14. *egressus* pro *re-*

gressus, ὑπέστρεψεν. ibid. v. 18. omissum est: *sanare contritos corde;* quae verba item in Graecis ob graves testes criticos suspecta merito censentur. —

Jo. 12, 7. *sine* pro *sinite*, quod aequum est Graece ἄφες, nam *unus* Judas Iscariotes reprehenderat mulierem, cf. v. 4., quamvis ἄφετε in testibus criticis *secundi ordinis* reperiatur. 12, 22. *dicunt* pro *dixerunt*, apte ad v. λέγουσι quod sine var. lectione adest. 12, 23. *glorificetur* pro *clarificetur*, δοξασθῇ. Quis non intelligit, utrum magis ad verbum sit translatum? 12, 26. *ministrabit* pro *ministraverit*, διακονῇ, altero loco. 12, 29. *dicebant* primo loco pro *dicebat*, et quidem elegantius, quum praecedat *turbae* hominum mentio. Graecum est ἔλεγε, rarior lectio ἔλεγον, minus illa divulgata. 12, 40. *et intelligant* pro *et non intelligant*. Antecesserat negatio, quae, ut repeteretur, necessarium non videbatur. Caeterum res conficitur in Amiatini codicis praerogativam, quod in Graecis constanter legitur νοήσωσι sine ulla repetitione voculae μὴ, quae e proxime antecedentibus facile suppletur; ergo glossator iteratum *non* in Latinis adjunxit. 12, 42. *de synagoga* pro *e synagoga*, ἀποσυνάγωγοι; vides Nostrum limatius scripsisse. 12, 46. *in mundo* pro *in mundum;* hic non ambigue praefero receptum, rectius convenientem Graeco εἰς τὸν κόσμον, quum *de motu in locum* dicatur, non *generatim* de adventu. 13, 1. *hora* pro *hora ejus*, in Graecis habetur αὐτοῦ ἡ ὥρα. 13, 7. *dicit* pro *dixit*, εἶπεν. Similiter ibid. v. 24. 27. 31., ubi tamen λέγει est scriptum graece. 13, 8. *habes* pro *habebis*, recte, omnes enim libri habent ἔχεις. 13, 26. *cui respondit* pro *respondit*, ἀποκρίνεται; hic Noster glossatorem agit. 13, 27. *tunc introivit* pro *introivit*, τότε εἰςῆλθεν, sed non reticendum est, v. τότε in aliquot documentis omitti. 13, 29. *quia dicit* pro *quod dixisset;* Noster accurate ad Graecum: ὅτι λέγει; praesens, ut in populari oratione, exquisitius, plusquamperfectum *explicativum* est. 14, 7. *cognoscitis* pro *cognoscetis;* γινώσκετε. Recte Noster, nam γνώσεσθε in subsidiis inferioribus ordine est. 14, 23. *mansiones* pro *mansionem*, μονήν. Hic cedat Noster recepto. 15, 6. *aruit* pro *arescet*, ἐξηράνθη; aoristus positus est cogitatione rei certo futurae jam transactae.

ibid. *eos* pro *eum*, gr. αὐτὰ, vel quod minus firmatum est αὐτὸ, *plures* ejusdem farinae homines, palmitum imagine, comprehendit. Sententia *generalis* praecedit: ἐὰν μή τις etc. — ibid. *mittunt et ardent* pro *mittent et ardet*; βάλλουσι καὶ καίεται, Noster potior est. — 15, 15. *dico vos* pro *dicam vos*; λέγω ὑμᾶς v. ὑμᾶς λέγω, futurum neque in textu graeco est neque eadem, qua praesens, vi dicitur. ibid. *facit* pro *faciat*, τί ποιεῖ. 15, 25. *impleatur* pro *adimpleatur*, πληρωθῇ. 15, 27. *perhibetis* pro *perhibebitis*, μαρτυρεῖτε. — 16, 1. *vos* pro *vobis*, ὑμῖν. Hic errat Noster qui forsitan *ad vos* volebat scribere, ut exciderit *ad*. 16, 9. *credunt* pro *crediderunt*, πιστεύουσιν, nam ἐπίστευσαν, rejectum est critico judicio. 16, 13. *in omnem* pro *omnem*, gr. ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν. Ὁδηγήσει si transfertur *docebit*, vides factum esse ad *sensum*, non simpliciter ad *verbum*. Noster aliquid e graeca lectione relinquit, ut duarum sit locutionum confusio: *docebit vos in omnem veritatem*. 16, 22. *habebitis* pro *habetis*, gr. fluctuat inter ἔχετε et ἕξετε, vulgo receptum est prius, sed posterius, quod aeque boni testantur libri, adscivit *Lachmannus*.

1 Tim. 1, 16. *ad deformationem* pro *ad informationem*, πρὸς ὑποτύπωσιν. Non dormitat Noster, sed habet praesumtionem antiquitatis. Nam *deformatio* a *Vitruvio* aliisque sensu minime malo ponitur, ut conveniat vocabulis *delineationis*, *descriptionis*, *exempli*. 2, 10. *pudicitiam* pro *pietatem*, θεοσέβειαν; recepta est retinenda, cum de christianis foeminis speciatim agatur. 2, 13. *prior figuratus* pro *primus formatus*, πρῶτος ἐπλάσθη. Noster artificiosius. 3, 2. Deest *pudicum*, ut in Graecis. 3, 6. *in superbia elatus* pro *in superbiam elatus*, τυφωθείς. 3, 12. *diaconos* pro *diaconi*; accus. absol. convenientior videtur esse habitus ob v. 11. 4, 1. *descendent* (ut a re sublimiore τῆς πίστεως) pro *discedent*, ἀποστήσονται. Haec alias etiam in Nostro reperis. 5, 10. *edocavit* pro *educavit*, ἐτεκνοτρόφησε, popularior forma. 5, 14. *juveniores* pro *juniores*, νεωτέρας. 5, 16. *si qua fidelis* pro *si quis fidelis*, vulgo: εἴ τις πιστὸς ἢ πιστή, utrumque jungens. Nostri lectionem in Graecis habet *Lachmannus*, et optimi omittunt libri: πιστὸς ἤ. Alterum videtur admisisse latinus receptus, ut ge-

neralior sit sententia. 5, 20. *peccantem* pro *peccantes*, τοὺς ἁμαρτάνοντας. 6, 4. *pugnans verborum* pro *pugnas verborum*, λογομαχίας, quod quum a praeced. περὶ pendeat, de nihilo est Nostri mutatio. 6, 16. *lucem habitans* pro *et lucem inhabitat*. Noster apte vertit ad φῶς οἰκῶν. 6, 17. *superbe sapere* pro *sublime sapere*, μὴ ὑψηλοφρονεῖν. Receptus accuratior, Noster hic elegantior. — 2 Tim. 2, 6. *accipere* pro *percipere*, μεταλαμβάνειν; Amiatinus recte. —

Aliam syllogen adjungamus e literis catholicis. 1 Petr. 2, 12. *in eo quod detrahunt* pro *in eo quod detrectant*, ἐν ᾧ καταλαλοῦσιν. 2, 14. *ad vindictam malorum* pro *ad vindictam malefactorum*, εἰς ἐκδίκησιν κακοποιῶν; ex oppositionis lege (sequitur enim ἀγαθοποιῶν) non dubitandum est de lectione recepta. 2, 24. *ut peccatis mortui per lignum viveremus* pro *ut peccatis mortui justitiae vivamus*, constanter in Gr. τῇ δικαιοσύνῃ ζήσωμεν. Nulla est codd. varietas. Nostri igitur mutatio non correctio est, sed arbitrio facta aut errore scribae. 3, 8. *in fide autem* pro *in fine*, sed τὸ δὲ τέλος, quod omnes referunt, non admittit aliud. Est lectio ob dogmaticas causas facta. 3, 20. *expectabat Dei clementia* pro *exspectabant Dei patientiam*, ad literam concinit cum ἀπεξεδέχετο ἡ τοῦ θεοῦ μακροθυμία, quum receptus latinus sensu commodiore destitutus sit. 4, 1. *desit a peccatis* pro *desiit a peccatis*, πέπαυται ἁμαρτίας. 4, 14. *quoniam gloriae Dei spiritus in vobis requiescit ab aliis blasphematus a vobis autem honorificatus* pro *quoniam quod est honoris, gloriae, et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus, super vos requiescit*. Noster unus vere reddit Graeca, sed aliquantum contracta: ὅτι τὸ τῆς δόξης [καὶ δυνάμεως] καὶ τὸ τοῦ θεοῦ πνεῦμα ἐφ' ὑμᾶς ἀναπαύεται, κατὰ μὲν αὐτοὺς βλασφημεῖται, κατὰ δὲ ὑμᾶς δοξάζεται. Unus *Lachmannus* rejicit verba, quae in recepto latino desunt, cum testibus aliquot orientalibus aliisque nonnullis. — Jac. 2, 20. *otiosa est* pro *mortua est*. Vulgo νεκρὰ, in paucioribus subsidiis reperitur ἀργὴ, quod sine indicio argumentorum, ut solet, recepit *Lachmannus* more suo taciturnus.

1 Jo. 1, 1. *temtaverunt* pro *contrectaverunt*, ἐψηλάφησαν. Ex hac diversitate, si nihil aliud, discitur certe antiqua potestas voc. *temtare*, quod est: *palpare quid manibus*, *ut*

exploretur. 2, 22. *quoniam Jesus non est Christus* pro *quoniam Jesus est Christus.* In Graecis constanter: ὅτι Ἰησοῦς οὐκ ἔστιν ὁ Χριστὸς, praecedente negatione: ὁ ἀρνούμενος. Textus censoribus latina duplex negatio, idem bis indicans, non affirmans, sed negans fortius, superflua est visa; Noster retinet antiqua. 4, 19. *diligamus invicem,* om. *Deum;* sequitur, *quoniam Deus prior dilexit nos.* Similiter *Lachmannus* in primo hemistichio ex orientalibus testibus omisit αὐτὸν vel τὸν θεὸν traxitque ad amorem mutuum, cujus causa sit in exemplo Dei (ὁ θεὸς vel αὐτός), qui prior nos amavit. *Invicem*, quod non est in Graecis, ubi simpliciter scribitur ἀγαπῶμεν, explicationis instar jam adjunxit *Leo M.* — 5, 20. *Hic est verus* om. *Deus*, οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεός. Pauci Orientales omittunt θεός, sed notae inferioris illi. Sed etiamsi θεὸς retinendum sit, quod dubitari nequit, tamen enuntiatio non ad Christum, sed ad Deum referenda est, cum sit Deus *subjectum regens* hujus sententiae, de qua re constat hodie inter explicatores cordatos et acutos. Nam hic quoque locus in controversiis dogmaticis de Christo Deo saepenumero male intellectus est. Dicit Joannes de Monotheismo vero, per Christum tandem patefacto, id quod vel ex oppositione idololatriae v. 21. et contra eam admonitione est manifestum. — 3 Jo. 9. *qui amat primatum genere* pro *qui amat primatum gerere*, ὁ φιλοπρωτεύων. Si non vera, ingeniosa est varietas. Diotrephis mala indoles cernebatur rejiciendis hospitio et coetu Christianis et calumniis in eos spargendis. Quod potest esse superbientis animi ob generis nobilitatem. Utut sit, in voc. φιλοπρωτεύειν residet speciosa ambiguitas, quae translatori liberiorem aperiebat campum, contexta oratione non satis certo definiente significatum. Cum tamen in Graecitate, quamvis rarissimum sit, notet φιλοπρωτεύειν distincte: *affectare primas partes, primatum*, retinenda videtur recepta lectio. 3 Jo. 10. *eos qui cupiunt* pro *eos qui suscipiunt*, aptissime ad Gr. τοὺς βουλομένους; receptus, ut saepe, vim habet glossae v. paraphraseos. Est tamen et ἐπιδεχομένους in aliquot subsidiis haud spernendis, sed ex eodem videtur studio explicandi vocem specie obscuriorem fluxisse. Hoc loco valet canon criticus, caeteris paribus,

(quod tamen ibi ne potest quidem demonstrari) obscuriorem lectionem praeferendam esse expeditiori, quod hujus quidem facile, illius multo difficilius originem monstraveris. —

Ceterum de loco 1 Jo. 5, 7. 8. a verbis *in coelo* usque ad *in terra* ita conventum est a *Semlero Griesbachio*que inter viros critices peritos, ut hujus particulae posteriorem minimeque apostolicam originem argumentis exponere, idem sit ac post Homerum scribere Iliadem. Sed hoc tamen de nihilo non est, quum his verbis careat noster codex, saeculo VI. p. Chr. exaratus, inde novum pondus disputationibus de authentia verborum neganda accedere.

Sed haec sufficiant exempla, aliis facile augenda, si nobis hoc propositum fuisset, plenum perfectumque commentarium criticum atque exegeticum his Prolegomenis edere. Quod a consilio editionis manualis debet esse alienum. Sed qui ea utentur, hos sperandum est, ad haec talia non aegre redituros esse. Jam quum alius non sit toto orbe cognito ad hunc diem hujus versionis codex antiquior et praestantior [1]), eo regatur et circumscribatur critica facultas et ars in latino textu exercenda. Codices enim plebeji Vulgatae, qui sunt innumeri, ut militum saga, similes sibi esse solent. —

Diximus, hoc libro manu scripto multas bonas, imo egregias lectiones servari, perutiles ad graeci textus veritatem inveniendam et stabiliendam, et multo majoris hoc monumentum esse faciendum, quam recentiores codices graecos. Non vereor, ne sententiae veritas dubia videatur. Nam textum versionis constat, testante Hieronymo, factum esse ex illa recensione, quae saec. IV. exeunte orbem christianum invaserat, et nuncupata est ἔκδοσις κοινή, editio pervulgata, communis. Hanc emendavit quidem Hieronymus permultis, sed minime omnibus locis; haud enim pauca intacta reliquit, metus causa, ne in reprehensionem populi incurreret, ut novae translationis temera-

1) Nisi forte codicem Hispaniae *Cordovensem* latinum biblicum eodem loco habendum censueris, quem tamen nemo doctorum hominum examinavit. Cf. Fleck, *wissenschaftliche Reise* I. 1. p. 365.

rius auctor, ut veteris mutator. Similem moderationem in his ostendit, quae plane nova confecit vertendo; primus autem et secundus viri labor in ejus Operibus ne satis quidem distingui ubique nunc potest. In V. T. usus est praeter *κοινὴν* tum Hebraicis ipsis, tum textu antehexaplari, hexaplari Originis, et posthexaplari. Jam quum Hieronymum, suae aetatis praeceptorem, linguarumque biblicarum multis suis sumtibus, itineribus, studiisque in paucis gnarum, perspicuum sit, ipso narrante, adhibuisse in N. T. latino sanando codices graecos antiquissimos et optimos Origenis atque Pierii, nemo negabit, iter eum esse ingressum, verae critices regulis consentaneum et hac aetate rectissimum. Sed his vinculis, quibus eum praejudicatae aequalium opiniones constrinxerunt, non eo expedire se potuit, ut suis ipse principiis satis constiterit. Praxis ejus critica imperfecta remansit. Neque ante octavum p. Chr. saeculum factum est, ut haec versio publica doctorum et populi auctoritate ornaretur, nemine tandem repugnante et ad eam, quae ante Hieronymum fuerat, obcaecato judicio recurrente. Sed, quod pejus erat, adeo correcta est et depravata multorum additionibus et mutationibus e vetustioribus monumentis aliisque ex causis haec translatio, ut tempore convocati concilii Tridentini nova *κοινὴ ἔκδοσις* corrupta, et ea Hieronymiana, adfuerit. Sixtus V. contra hanc pestem ivit fortiter, sed non feliciter. Clemens VIII. retractavit antecessoris errores, nova congregatione vocata ad emendandum, sed haec etiam non ab omni parte praestitit, quod praestandum erat. Nostrum igitur officium est, latinum textum, quantum fieri potest, accuratissime et ad Hieronymi aetatis imaginem, et ad eam formam, quam ipse restituit, revocare; id vero opus arduum ut perficiatur, exiguam spem relictam esse, nemo negabit, qui fata versionis vulgatae subtiliter cognoverit. Tentandum tamen est, ut assequaris, si non quod cupias et velis, certe, quod possis. At vero in hac re gerenda versionis latinae ipsius minus pretium est; id potius quaeritur peritis, quid ex ejus antiquissimo codice pro *graeco* textu possis lucrari. Nam in vulgata versione multa bene, imo praeclare translata sunt, alia mediocriter, alia tam obscure,

praesertim in Psalmis et in epistolis Paulinis, ut sine textibus originalibus non possint, qualia sint, perspici [1]). Non negamus, *Lutheri* etiam versionem vernaculo sermone confectam aliqua ex parte simili obscuritate laborare. Quidni igitur beati praedicandi et imitandi sint, qui exemplaria hebraea et graeca „diurna nocturnaque manu," ut apud poetam est, versant? —

Res vero criticae N. T. *graeci* hodie quidem ita comparatae sunt, ut via regia et compendiaria ad castam et probatam editionem perficiendam indicata sit, impulsore ad meliora, sed non perfectore laboris summo *R. Bentlejo*, Anglo, successore ingenioso *C. Lachmanno*, nunc Berolinate; labores tamen, ut recte et feliciter progrediamur, plurimi supersunt. Recedendum enim esse a *textu recepto*, qui casui fortuito suam debuit originem et auctoritatem, id quidem nunc omnes vident, qui aliquid in his rebus sapiunt. Ortus est textus receptus ex editionibus *Erasmi*, *Stephanianis*, *Elzevirianis*, codicibus graecis in usum vocatis paucis, minimeque optimis et vetustissimis, sed talibus, qui forte fortuna in manus editorum venerant. Et hos saepenumero ne nominarunt quidem editores, aut obiter designarunt, ut dubitari possit, cujusnam ordinis, loci, pretii fuerint. Accedit, quod his temporibus libri manu scripti non ad strictae philologiae leges, quales nunc

---

1) Cf. de critico atque exegetico pretio versionis vulgatae VAN ESS, *pragmat. krit. Gesch. d. Vulg.* p. 471—477. qui liber diligentissime scriptus vere tamen non continet historiam pragmaticam atque criticam, sed symbolas locupletissimas, lectu gratiisque scriptori habendis dignissimas ad eam futuro tempore scribendam. Testimonia enim ita cumulata sunt, ut nubem quidem testium habeas in utramque partem, sed succinctam et elegantem enarrationem desideres; repetitiones autem rerum earundem, chronologico sane ordine expositarum, nimio subtilitatis studio frequentissimae sunt, ut impediant morenturque lectorem. Quod veritatis causa, non ideo dico, ut meritis egregii viri quid detraham. Inde placet etiam brevius scriptum RIEGLERI, *kritische Geschichte der Vulgata*. Sulzbach 1820. 8. (cf. de his, quae supra disputavimus, p. 133. 134.) viri docti et sinceri, qui inprimis methodice atque logice potiora momenta sub uno conspectu posuit; quo fit, ut quamvis *van Essi* copiosam doctrinam non assequutus sit, tamen facilius lubentiusque legatur.

sunt, solebant legi et comparari, sed fugitivis oculis inspici. Attamen, ut fit, per tria ferme saecula auctoritate tantorum virorum ad *Semleri*, *Bengeli*, *Wetstenii* et *Griesbachii* aetatem hic textus communi suffragio vel consuetudine theologorum floruit et satisfecit aequalium necessitatibus. *Griesbachius*, vir meritissimus, denuo opus ingens aggressus est; innumeros codices contulit aut conferendos curavit, distinxit *familias* vel *recensiones*, ita tamen, ut earum numerum nimis augeret, signa distinctiva non satis certa et interdum contradicentia poneret, et in aliis minutiis erraret, quas nostrorum dierum philologi perviderunt. Et hoc in eo reprehendendum erat, quod textum receptum non plane rejecit, sed passim emendavit; quo factum est, ut semifalsus ad posteros traderetur. Ita et ante et post *Griesbachium* solebant exercere se theologi critica praxi quasi conglutinante disjecta membra, abrupta, fragmentaria. *A. Scholz* egregie locupletavit farraginem codicum, sed in eo recessit a vero, quod in libris *inferioris* aetatis, quos Byzantinae familiae adscripsit, genuinum textum graecum latere sibi persuaserat; antiquissimos testes opinatus librariorum Alexandrinorum negligentia et falsis studiis adulteratos depravatosque fuisse. Quare plus tribuit recentioribus, quam antiquioribus documentis. Id quidem aegre tulerunt refutaruntque aequales, docentes, a *Scholzio* conjecturas quasdam historicas non recte inventas concinnatasque esse, ut suae sententiae primariae robur accederet. Tandem *Lachmannus* vidit verum, clamans probansque, unice sequendam esse *historicam* traditionem consentientem orientalium et occidentalium ecclesiarum in codicibus, versionibus, Patribus; ut si non vera, tamen ea lectio detegatur, quae saec. IV. p. Chr. plurimum propagata fuisse videtur. In ambiguitate autem testium Orientis, duce *Origene*, Occidentis, *Irenaeo* praeeunte, ultra hos fas est judicare, aliis momentis et causis, sed circumspecte. Textum *historice probatum* IV., si fieri possit, p. Chr. saeculi (ultra enim progredi in defectu documentorum non licet) tentandum est, ut adsequamur, novo Herculeo labore, praeparato quidem ab antecessoribus, sed ne sic quidem ab uno homine perficiendo. In qua re aeta-

tem Hieronymi inprimis respiciendam esse et versionem ejus, praeclaro judicio *Lachmannus* enuntiavit. Ipse quidem in editione manuali N. T. graeci [1]) orientalis tantum ecclesiae documenta advocavit, quum occidentales lectiones existimavisset aut non satis cognitas esse aut tantum latine proditas; noluisse autem se Graece vertere Latina.

Habemus igitur nostro codice egregium testem *occidentalem* et principem, qui Lachmannianum laborem non tantum supplere, sed multis emendare partibus antiquitate sua et pondere critico prae caeteris potest, si quidem eo scite sapienterque utimur. Ab hoc igitur tempore codex Amiatinus, hactenus incognitus, inter gravissimos testes *recensionis occidentalis* merito suo et jure ponetur.

Error est, qui in *infantia criticae artis* saepe se in animos insinuat, et his quoque diebus imperitorum mentem obtundit, ut in itineribus meis inter exteros identidem sensi et deploravi, existimantium, critica haec studia futilia esse nihilique facienda, quod in jejuna *subtilitate* versentur, et *fidem* atque *mores* Christianorum non attingant. Quod utrumque et parum acute dicitur et etiam falso. Tritum est proverbium, quod sine acerbitate in memoriam revocatum velim: artem non habere osorem, nisi ignorantem. Nunquam enim certo praedici potest, an in meletematibus criticis lectio aliqua cum dogmatibus futura sit conjuncta, an extra dogmata in genere dicendi sit versatura. Utrum accidat, sequitur ex natura rei, non ex voluntate viri cordati. Nemo vere criticus haec talia studiose quaeret; sed si ex dogmatico genere quaedam ei offerentur (quod fieri sane potest), dijudicabit studio et amore dilucidandae veritatis. Nititur quidem religio Christi in animis hominum praeclaro fundamento. Potest tamen et haec firmitas augeri externis rationibus criticis. Quod autem de *subtilitate haud fructuosa* ecclesiae et literis dicunt virorum in rebus criticis desudantium, id profecto absonum est, ignavum et Christiano homine indignum. Nam etiamsi nulla dogmatici aut ethici ponderis speranda esset varietas lectionis, tamen operae pretium

---

1) Quae primum prodiit *Berol.* 1831. 8. stereotypis.

foret, castam, correctam, politam, et apostolico textui quam maxime propinquam parare editionem. Quid enim? Quod tantis lucubrationibus tentatur in reliquis scriptoribus antiquitatis, qui et optimi, et mediocres, et tenues sunt, ut, quantum fieri potest, limati et castigati prodeant, id in Bibliis graecis latinisque non efficere studebimus? Tamen, si quid sentio, in hac re concludi fas est *a minori ad majus*, quum codicem sacrum multi dixerint dicantque librum librorum. —

Studia in versione Vulgata serio collocata adjuvantur volumine operoso recens edito hoc: *Concordantiae Bibliorum sacrorum vulgatae editionis ad recognitionem jussu Sixti V. Pont. Max. Bibliis adhibitam recensitae atque emendatae ac plus quam viginti quinque millibus versiculis auctae, insuper et notis historicis, geographicis, chronicis locupletatae, cura et studio* F. P. DUTRIPON, Theologi et Professoris. Opus dicatum DD. *De Quelen*, Parisiensi Archiepiscopo. Parisiis apud Belin-Mandar, Typographum et bibliopolam editorem, via vulgo dicta Saint-André des Arts, 55. MDCCCXXXVIII. 1484 pp. 4. —

Qui vero pro vitae consilio et genere abhorret a rebus criticis, is utatur hac editione stereotypa correcta, quae textum Clementis VIII. genuinum continet, pro manuali, praetermissis lectionibus variantibus, in usum pietatis christianae. Huic enim pietati excitandae, fovendae, augendae tandem omnis doctrina servit. — Dissidium funestum inter Romanae-Catholicae et Protestantium formulae sectatores, novis odiis flagrans, in hoc lumine literarum neque curemus neque extimescamus. Omnes enim veri nominis Christiani, quibus hunc offerimus librum, in literis sacris tanquam in unico et limpido caelestis sapientiae fonte conveniunt. Feci, quae et animus Christo deditus me jubebat facere, et sincera res theologicas pro modulo virium juvandi voluntas. Ita vale, mi lector, hisque studiis fave. Scr. in Universitate literarum Lipsiensi ipsis Natalitiis Salvatoris a. p. Chr. MDCCCXXXIX. —

DECRETUM
EX
CONCILIO TRIDENTINO.
(SESSIONE IV.)

DE CANONICIS SCRIPTURIS.

Sacrosancta, oecumenica, et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem tribus Apostolicae Sedis Legatis, hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut sublatis erroribus puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur; quod promissum ante per Prophetas in Scripturis sanctis, Dominus noster Jesus Christus, Dei Filius proprio ore primum promulgavit, deinde per suos Apostolos, tamquam fontem omnis, et salutaris veritatis, et morum disciplinae creaturae praedicari jussit, perspiciensque hanc veritatem, et disciplinam contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt, orthodoxorum Patrum exempla secuta omnes libros tam veteris, quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, necnon traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia suscipit, et veneratur. Sacrorum vero librorum Indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infra scripti. Testamenti veteris, quinque Moysis, id est: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus, et secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Hesther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Pa-

rabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae minores, id est: Osea, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Nahum, Habacuch, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, duo Machabaeorum, primus, et secundus. Testamenti novi: quatuor Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, et Joannem; Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti, quatuordecim Epistolae Pauli Apostoli: ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; Petri Apostoli duae; Joannis Apostoli tres; Jacobi Apostoli una; Judae Apostoli una; et Apocalypsis Joannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata Latina editione habentur, pro Sacris, et Canonicis non susceperit, et traditiones praedictas sciens, et prudens contempserit, anathema sit. Omnes itaque intelligant, quo ordine et via ipsa Synodus, post jactum fidei confessionis fundamentum, sit progressura, et quibus potissimum testimoniis, ac praesidiis in confirmandis dogmatibus, et instaurandis in Ecclesia moribus, sit usura.

DECRETUM
DE EDITIONE ET USU SACRORUM LIBRORUM.

Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit, et declarat, ut haec ipsa vetus, et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus, et expositionibus pro authentica habeatur; et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat, vel praesumat.

Praeterea, ad coërcenda petulantia ingenia, decernit, ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei, et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, et tenet

Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione Scripturarum sanctarum; aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat, etiam si hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent. Qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, et poenis a jure statutis puniantur.

Sed et impressoribus modum in hac parte, ut par est, imponere volens, qui jam sine modo, hoc est, putantes sibi licere quidquid libet sine licentia Superiorum Ecclesiasticorum ipsos Sacrae Scripturae libros, et super illis annotationes, et expositiones quorumlibet indifferenter saepe tacito, saepe etiam ementito, praelo, et quod gravius est sine nomine auctoris imprimunt; alibi etiam impressos libros hujusmodi temere venales habent, decernit, et statuit, ut posthac Sacra Scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus, et vulgata editio, quam emendatissime imprimatur: nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati, probatique fuerint ab ordinario, sub poena anathematis, et pecuniae in Canone Concilii novissimi Lateranensis apposita. Et si regulares fuerint, ultra examinationem, et probationem hujusmodi, licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, juxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant, vel evulgant, nisi antea examinati, probatique fuerint, eisdem poenis subjaceant, quibus impressores. Et qui eos habuerint, vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur. Ipsa vero hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, atque ideo in fronte libri, vel scripti, vel impressi authentice appareat, idque totum, hoc est, et probatio, et examen gratis fiat, ut probanda probentur, et reprobentur improbanda. Post haec, temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quaeque convertuntur, et torquentur verba, et sententiae Sacrae Scripturae, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias, et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat, et praecipit, ad tollendam hujusmodi irreverentiam, et contemptum, ne de cetero quisquam quomodolibet verba Scripturae Sacrae ad haec, et similia audeat usurpare, ut omnes hujus generis homines temeratores, et violatores verbi Dei, juris, et arbitrii poenis per Episcopos coërceantur.

In Biblia Sacra Vulgatae Editionis
Sixti V., Pont. Max. jussu recognita atque edita.
(Romae, ex Typographia Apostolica Vaticana. 1590. Fol.)

SIXTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI.
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Aeternus ille coelestium, terrestriumque rerum omnium conditor, ac moderator Deus, Ecclesiam sanctam, veluti deliciarum Paradisum, sua ipsemet dextera, tamquam providus Agricola, variis plantis, stirpibusque mirifice consevit, simulque uberrimo sacrarum eandem scripturarum fonte, pluribus quasi fluviis, in universum terrarum orbem diffuso, sic irrigavit, ut sancta mysteria, oraculaque divina, quae sacris continentur libris, sicut in cunctarum gentium salutem parabantur, ita a tribus illis potissimum enunciarentur linguis, quae in omnium auribus nationum maxime percrebuerunt, nec non sanctissimae Crucis titulo consecratae, Salvatoris nostri Regnum, Hebraeis, Graecis, ac Latinis literis praedicarunt. Verum callidissimus, ac nequissimus humani generis hostis, cujus invidia mortis aculeus, cujus superbia peccandi magisterium fuit, nullum non movit lapidem, ut coelestem divini verbi sementem, quantum in ipso erat, aut nascentem opprimeret, aut extirparet enatam, aut adultam vitiaret: id vero praecipue omni conatu, ac machinatione tentavit, ut sacrorum quaedam corruptissimae Bibliorum editiones prodirent, atque ita impietas sub pietatis figura delitesceret, ac populis scoria pro argento, fel draconum pro vino, pro lacte sanies obtruderetur. Cumque non in Haereticis tantum, sed in Catholicis etiam quibusdam, tametsi consilio dissimili, subortum sit nimium quoddam nec plane laudabile studium, et quasi libido scripturas Latine interpretandi: idem malorum omnium artifex Satanas per illos, licet nihil tale cogitantes, ex hac ipsa tam incerta, ac multiplici versionum diversitate et varietate sumpta occasione sic miscere omnia, atque in dubium revocare, et, si fieri posset, rem eo perducere contendit, ut dum Scripturarum verbis diversi interpretes aliam atque aliam formam, ac speciem induunt, nihil in iis

certi, nihil rati, ac firmi, nulla denique inviolabilis auctoritas sine magna difficultate reperiri posse videretur, ita ut hoc saeculo valde timendum fuerit, ne in priscum illud editionum Chaos rediremus, de quo b. Hieronymus inquit [a]): Apud Latinos tot sunt exemplaria, quot Codices: et unusquisque pro arbitrio suo addidit, vel subtraxit, quod ei visum est; et utique non potest verum esse, quod dissonat. Itidemque sanctus Augustinus [b]) dixit, Latinos scripturarum interpretes nullo modo numerari posse. Ut enim (ait) cuique primis fidei temporibus in manus venit Codex Graecus, et aliquantulum facultatis sibimet utriusque linguae habere videbatur, interpretari ausus est. Quare huic morbo sacrosancta Tridentina Synodus [c]) mederi cupiens statuit: ut ex omnibus, quae circumferuntur sacrorum librorum Latinis editionibus, ipsa Vetus, ac Vulgata, quae longo tot saeculorum usu in Ecclesia probata est editio, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus, et expositionibus pro authentica habeatur, et nemo illam rejicere quovis praetextu audeat, vel praesumat. Haec autem Vulgata editio cum una esset, variis lectionibus in plures quodam modo distracta videbatur. Quarum licet nonnullas, aut veterum Codicum, aut sanctorum Patrum invexisset auctoritas, plurimae nihilominus vel ex injuria temporum, vel ex librariorum incuria, vel ex impressorum imperitia, vel ex temere emendantium licentia, vel ex recentiorum interpretum audacia, qui Ecclesiae filii cum sint, minus tamen Ecclesiae doctoribus, quam Judaeorum Rabbinis morem sibi gerendum putarunt: vel demum ex Haereticorum scholiis ad marginem, captiosisque fallaciis obrepserant. Et, quamvis in hac tanta lectionum varietate nihil hucusque repertum sit, quod fidei, et morum causis tenebras offundere potuerit; verendum tamen fuit, ne, crescente magis, ac magis in dies addendi, detrahendique temeritate, haec probatissima scripturarum Editio, quam vinculum pacis, fidei unitatem, charitatis nexum, dissentientium consensionem, certissimam in rebus dubiis normam esse oportebat, plerisque contra, schismatis, et haeresis inductio, dubitationum fluctus, involutio quaestionum, discordiarum seges, et piarum mentium implicatio multiplex evaderet. Quod in septuaginta interpretum Graeca edi-

---

a) In praefatione in Josue, et in praefat. quatt. Evangeliorum. Tom. 3. *b*) Lib. 2. c. 11. de doctr. Christiana. Tom. 3. *c*) Sess. 4. decreto de editione et usu sacrorum librorum.

tione beatus Hieronymus [a]), in Latina vero sanctus Augustinus [b]) olim accidisse commemorant. Tanta autem labes ne adhuc ulterius serperet, sensimque in Vulgatam editionem nostram manaret, sapienter eadem oecumenica Synodus Tridentina decrevit, ut haec ipsa Vetus, et Vulgata editio posthac quam emendatissime imprimeretur. Verum quia nihil profuisset hujus editionis auctoritatem gravissimo sanxisse decreto, si illius quae germana esset lectio nesciretur, sacerque textus ita disputantium pateret arbitrio, ut is, qui adversus perfidum hostem, tamquam validissimus mucro districtus fuerat, idem et clypeus fieri posset, quo debilitati jam, caesique hostis latera tegerentur. Id igitur nos indigne ferentes, eoque indignius, quod per hosce jam viginti duos annos, qui a dicto Tridentini Concilii decreto, ad nostri usque Pontificatus exordium interfluxerant, licet hujusmodi opus aliquando coeptum fuerit, tamen ob alias fortasse occupationes intermissum, nullumque huic imminenti malo remedium adhibitum fuerat: ac propterea tanto impensiore cura ac studio id prosequendum censentes, quanto magis, et ab omnibus Dei ecclesiis expetitur, et a synagogis satanae reformidatur; cum primum ad Apostolicam beati Petri sedem divina nos miseratio, meritis licet imparibus evocavit; nihil tandem antiquius habuimus, quam ut primo quoque tempore, optatissimam istam Vulgatae editionis emendationem aggrederemur. Itaque viros complures doctos, qui sanctarum Scripturarum, sacrae Theologiae, multarumque linguarum scientia: ac diuturno variarum rerum usu, acrique, cum aliquid discernendum est, judicio, ac solertia praestarent, delegimus, ac simul congregavimus, ut in germana, sinceraque sacri textus editione perquirenda, strenue laborarent, nobisque adjumento forent. Nos enim rei magnitudinem perpendentes, ac provide considerantes, ex praecipuo, ac singulari Dei privilegio, et ex vera, ac legitima successione Apostolorum Principis b. Petri, pro quo Dominus ac Redemptor noster, ab aeterno Patre pro sua reverentia proculdubio exauditus, non semel tantum, sed semper rogavit, ut ejus fides, non humana carne, et sanguine [c]), sed eodem Patre inspirante ei revelata, numquam deficeret: cui etiam Dominus injunxit ut ceteros Apostolos in eadem fide confir-

---

a) In praefat. in Esdram et Nehemiam. Idem in priori praefat. in Paralipom. Tom. 3. *b*) Epistola 10. ad Hieronymum. Tom. 2. *c*) Hebr. 5.

maret [a]): qui denique, sicuti confidimus, divinam pro nobis opem usque ad consummationem saeculi, [b]) ecclesiae Catholicae promissam, implorare non cessat, ad nos in ejusdem Petri Cathedra, in qua ejus vivit potestas, et excellit auctoritas, Deo sic disponente constitutos [c]), totum hoc judicium proprie, ac specialiter pertinere, Dei omnipotentis auxilio suppliciter invocato, et ipsius Apostolorum Principis auctoritate confisi, ob publicam sanctae Dei Ecclesiae utilitatem haudquaquam gravati sumus, inter alias Pontificiae solicitudinis occupationes, hunc quoque non mediocrem accuratae lucubrationis laborem suscipere, atque ea omnia perlegere, quae alii collegerant, aut senserant, diversarum lectionum rationes perpendere, sanctorum Doctorum sententias recognoscere: quae quibus anteferenda essent, dijudicare, adeo, ut in hoc laboriosissimae emendationis curriculo, in quo operam quotidianam, eamque pluribus horis collocandam duximus, aliorum quidem labor fuerit in consulendo, noster autem in eo, quod ex pluribus esset optimum, deligendo: ita tamen, ut Veterem multis in Ecclesia abhinc saeculis receptam lectionem omnino retinuerimus. Novam interea Typographiam in Apostolico Vaticano Palatio nostro ad id potissimum magnifice exstruximus, atque ad ejus curam, Congregationem aliquot sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, et insigne Collegium doctissimorum virorum fere ex omnibus Christiani orbis nationibus, et celeberrimis studiorum Generalium universitatibus, amplis, opulentisque reditibus dotatum deputavimus, ut in ea emendatum jam Bibliorum volumen excuderetur: eaque res quo magis incorrupte perficeretur, nostra nos ipsi manu correximus, si qua praelo vitia obrepserant, et quae confusa, aut facile confundi posse videbantur, ea intervallo scripturae, ac majoribus notis, et interpunctione distinximus. Ceterum, nostri ne hujus consilii, institutique rationes ignorentur, sed potius universae Ecclesiae Catholicae, ipsique posteritati notissimae, ac testatissimae relinquantur, cunctique facile intelligant, quisnam ordo in hoc opere conficiendo, quae lex, ac methodus inita, quae indagandi veri norma a nobis servata sit: illud sane omnibus certum, atque exploratum esse volumus, nostros hos labores, ac vigilias numquam eo spectasse, ut nova editio in lucem exeat, sed ut Vulgata vetus ex Tridentinae

---

a) Luc. 22. *b*) S. Leo serm. in Nativit. S. S. Petri et Pauli. *c*) S. Leo serm. 2.

Synodi praescripto, emendatissima, pristinaeque suae puritati, qualis primum ab ipsius interpretis manu, styloque prodierat, quoad ejus fieri potest, restituta imprimatur. In hac autem germani textus pervestigatione, satis perspicue inter omnes constat, nullum argumentum esse certius, ac firmius, quam antiquorum, probatorumque Codicum Latinorum fidem, quos tam impressos, quam manuscriptos, ex Bibliothecis variis conquirendos curavimus. In quacumque igitur lectione plures vetustiores, atque emendatiores libri consentire reperti sunt, ea jure optimo, tamquam primigenii textus verba, aut his maxime finitima, retinenda decrevimus. Id vero ad germanam editionem constabiliendam, praesidium sicubi desideratum est, tunc sanctorum Patrum, veterumque expositorum enarrationes, quibus diversa scripturarum loca, et libros illustrarunt, subsidio fuere: in quibus, quidquid e re nostra observatum fuit, id in hujus operis partem adscitum est. In iis tandem, quae neque Codicum, neque Doctorum magna consensione satis munita videbantur, ad Hebraeorum, Graecorumque exemplaria duximus confugiendum, non eo tamen, ut inde Latini interpretis errata corrigerentur, sed ut in eorum verborum locum, quae, cum apud Latinos ambigua sint, potuissent, quo non oporteret, inflecti, certum aliquid, atque indubitatum sufficeretur, sive ut, quod apud nos variantibus Codicibus inconstans, diversum, ac multiplex erat, id uniforme, consonum, uniusque modi, ipsorum fontium veritate perspecta, sanciretur. Sapienter enim b. Hieronymus [a]) in explanandis sacris scripturis Doctor maximus admonebat, ut quemadmodum in novo Testamento, si quando apud Latinos quaestio exoritur, et est inter exemplaria varietas, ad fontem Graeci sermonis, quo novum Testamentum est scriptum, recurri solet: ita si quando inter Graecos, Latinosque diversitas est in veteri Testamento, tunc ad Hebraeam recurramus veritatem, ut quidquid de fonte proficiscitur, hoc quaeramus in rivulis: quod etiam b. Augustinus [b]) iis, qui scripturam tractant, inter alias regulas tradidit. Laudabilem itaque sanctorum Patrum consuetudinem religiose secuti sumus, dum in iis, quae aqud Latinos nimis ambigue dicta, seu variata habentur, Hebraeae, Graecaeque linguae fidem, et Codices inspeximus; sed,

---

a) In epistola ad Suniam et Fretellam. Tom. 3. b) S. Aug. l. 2. de Doct. Christ. cap. 14. et 15. Tom. 3. et Lib 11. contra Faustum cap. 2. Tom. 6.

ne id licentius fieret quam aequum erat, solers cautio adhibita fuit. Neque enim ignoramus multos esse, qui plerasque Latinae hujus editionis voces, ac locutiones, proprie, aut eleganter, aut perspicue, aut breviter, aut copiose magis, aut tamquam verbis ad verba demensis, a Latino interprete verti potuisse existiment. Verum de his minuta nimium, et angusta concertatio videtur: neque enim tanti sunt, ut non iis et antiquioris Ecclesiae religio, et sanctissimorum Patrum jure anteponatur auctoritas: prorsusque indignum est, b. Gregorio [a]) teste, ut sub Donati regulis verba coelestis oraculi restringantur: ac tanta per se est Vulgatae editionis auctoritas, tamque excellens praestantia, ut majorem desiderare penitus inane videatur. Qui namque in ea libri continentur, (ut a majoribus nostris quasi per manus traditum nobis est) retenti sunt partim ex communi, et antiquissima quadam editione Latina, quam sanctus Hieronymus [b]) Vulgatam editionem, b. Augustinus [c]) Italam, sanctus Gregorius [d]) Veterem translationem appellant, quam sanctus itidem Augustinus ceteris, quae tunc plurimae in usu erant, etiam praeferendam censuit, quod esset verborum tenacior cum perspicuitate sententiae; partim ex sancti Hieronymi translatione adsciti fuere, quibus idcirco quantus honor deferendus sit, is facile intelligit, qui eorum interpretis dignitatem agnoscit. Fuit enim sanctus Hieronymus [ut inter caeteros idem b. Augustinus [e]) testatur] Graeco, Latino, et Hebraeo eruditus eloquio, et ex occidentali ad orientalem transiens Ecclesiam, in locis sanctis, litterisque sacris, ad decrepitam usque vixit aetatem: atque omnes, qui ante illum ex utraque orbis parte de doctrina Ecclesiastica scripserant, pene vidit, aut legit: eumque non modo Augustinus, Chromatius, Paulinus, ceterique sanctissimi Episcopi, sed etiam Damasus Pontifex Rom. de scripturarum locis consulebant. Nec immerito tantam apud omnes nominis celebritatem, in sanctarum praesertim scripturarum scientia, adeptus fuerat; cum ad eam consequendam nullis vigiliis, nullis peregrinationibus pepercerit, et doctissimos quosque in Gallia audiverit: Constantinopoli Gregorium Nazianzenum, Alexandriae Didymum, et alios alibi conquisiverit, usus denique clarissi-

---

a) Epist. ad Leandr. in expos. Job c. 5. b) S. Hieron. comment. in Isaiae cap. 49. Tom. 4. c) S. August. l. 2. de Doctr. Christ. cap. 15. Tom. 3. d) Gregor. Epist. ad Leandr. in expositionem Job cap. 5. e) Lib. 1. contra Julianum Pelagianum. Tom. 7.

mis Hebraeae linguae Magistris: non enim uno aliquo Doctore contentus fuit, sed plurimos, eosque eruditissimos adhibebat: non rerum modo, verum etiam nominum sedulus indagator. Quinimo et loca ipsa, quae in scripturis saepe commemorantur, inspexit, idque ad intelligentiam scripturarum summopere sibi profuisse testatur [a]). Quicumque igitur tanti interpretis sanctitatem, ingenium, eruditionem, solertiam, Magistros, labores, illud, in quo vixit, saeculum, cum linguarum omnium, ac praesertim Hebraeae studia florerent, diligenter spectaverint; facile judicium damnabunt eorum, qui aut tam eximii doctoris lucubrationibus non acquiescunt, aut etiam meliora, seu paria praestare se posse confidunt. Multo sane rectius sanctus Isidorus, venerabilis Beda Presbyter, sanctus Remigius, Alcuinus, Fortunatus, Rabanus Maurus, sanctus Anselmus, b. Bernardus, Haymo, Richardus, et Hugo Victorini, Petrus Cluniacensis, Rupertus Abbas, aliique complures egregii doctores, qui per mille abhinc annos in Ecclesia claruerunt, qui Hieronymi versione ita in omnibus disputationibus, enarrationibus, declamationibus usi sunt, ut ceterae, quae pene innumerabiles erant, quasi lapsae de catholicorum Patrum manibus obsoleverint. Ideoque legimus apud sanctum Isidorum [b]), quoniam de Hebraeo in Latinum eloquium sanctus tantummodo Hieronymus sacras scripturas convertit, ejus editione generaliter omnes Ecclesias usquequaque uti, eo quod veracior est in sententiis, et clarior in verbis. Et ante Isidorum b. Gregorius Magnus [c]) fere idem senserat. Nec Latini modo Patres, sed Hebraei quoque Graecique cum Latinos alios interpretes negligant, aut ignorent, Hieronymum tamen amplissimo suo testimonio, et honore dignum esse censuerunt. Nam de Hebraeis idem Augustinus [d]): de Graecis autem ipsemet sanctus Hieronymus scribit, a Sophronio viro optime erudito Psalterium, et prophetas, quos Hieronymus [e]) ex Hebraeo in Latinum verterat, in Graecum eleganti sermone translatos fuisse. Quemadmodum ergo laudabile est, ubicumque nostri codices ipsi per se aut conciliari, aut intelligi non possunt, linguarum externarum praesidia quaerere; ita, cum id necessarium non est, levissimis de causis majorum

---

a) In praefat. libri Paralipom. ad Domnionem et Rogatianum. Tom 3. *b*) Lib. 1. de officiis divinis cap. 12. *c*) Lib. 20. Moral. cap. 24. Tom. 2. *d*) Lib. 18. de civit. Dei cap. 43. Tom. 5. *e*) De viris illustribus in Sophronio.

nostrorum sanctitatem, sapientiam, consensum, vetustissimamque Ecclesiae consuetudinem non vereri, temeritas plane, pertinaciaque censenda est. Atque idcirco b. Hieronymus, qui Hebraeos, Graecosque interrogandos esse dubiis in rebus admonet, idem etiam sentit, eo non nisi parce, et quanto rarius fieri potest (ne, quae longo recepta sunt usu, fluctuent) recurrendum. Qua de causa, ad novi Testamenti translationem [a]), quamvis hortante Damaso Pontifice, tardior fuit, pium appellans laborem, sed periculosam praesumptionem, judicare de ceteris ipsum ab omnibus judicandum, senis mutare linguam, et canescentem jam mundum ad initia retrahere parvulorum. Quis enim doctus pariter, vel indoctus, cum in manus volumen sumpserit, et a saliva, quam semel imbibit, viderit discrepare quod lectitat, non statim erumpat in vocem, falsarium illum clamitans; et sacrilegum, qui audeat in veteribus litteris addere, mutare, corrigere? Notissimumque est illud de Jonae cucurbita [b]), quae in Veteri editione legebatur; pro qua cum Hieronymus hederam posuisset, quodam in Africa Episcopo interpretationem Hieronymi in Ecclesia lectitante, factus est tantus tumultus in plebe propter unius verbi dissonantiam, ut coactus sit Episcopus, ne sacerdotio dejiceretur, damnare quod legerat. Quare merito sacra Tridentina Synodus veteris Vulgatae editionis libros non aliter [c]), quam prout in Ecclesia legi consueverunt, pro canonicis suscipiendos decrevit. Nos autem ut haec Vetus editio, quae nunc prodit nostro excusa praelo, ejusdem Synodi praescripto modis omnibus responderet, non solum veteres, et ab Ecclesia receptos loquendi modos conservavimus, sed etiam apocrypha rejecimus, authentica retinuimus. Nam tertium, et quartum Esdrae libros inscriptos, et tertium Machabaeorum, quos Synodus inter canonicos non annumerat, assentientibus etiam in hoc praedictis Cardinalibus congregationis super Typographia Vaticana deputatae, ab hac editione prorsus explosimus. Orationem etiam Manassae, quae neque in Hebraeo, neque in Graeco textu est, neque in antiquioribus manuscriptis Latinis exemplaribus reperitur; sed in impressis tantum post librum secundum Paralipomenon affixa est, tamquam insutam, adjectam, et in textu sacrorum librorum locum non habentem, repudiavimus. Nonnullas etiam aliquando sententias,

---

a) In praefat. quatuor Evangeliorum. Tom. 3. b) Epist. 10. et 11. Tom 1. c) Sess. 4.

quae aliunde accersitae, Vulgatae editioni interpositae erant, neque in antiquis exemplaribus, neque in sanctorum Patrum commentariis inveniebantur, delevimus. Hanc denique editionem a variis, qui vitio multorum irrepserant, erroribus accurate emendavimus, et purgavimus, atque in pristinam veritatem summa diligentia restituimus. Neque vero est quod quispiam miretur, si aliqua sacrae scripturae loca aliter in sanctis quibusdam doctoribus legerit, quam in hac editione conscripta sunt. Nam Ambrosius, Augustinus, et alii plurimi septuaginta interpretum editionem plerumque secuti fuerunt. Ad laudem igitur, et gloriam omnipotentis Dei, catholicae fidei conservationem, et incrementum, ac sacrosanctae universalis Ecclesiae utilitatem, hac nostra perpetua valitura constitutione, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super Typographia Vaticana deputatorum consilio, et assensu, quorum opera, et industria, in hac ipsa Vulgatae editionis emendatione, in rebus praesertim gravioribus usi sumus, et ex certa nostra scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine statuimus, ac declaramus, eam Vulgatam sacrae, tam veteris, quam novi Testamenti paginae Latinam editionem, quae pro authentica a Concilio Tridentino recepta est, sine ulla dubitatione, aut controversia censendam esse hanc ipsam, quam nunc, prout optime fieri potuit, emendatam, et in Vaticana Typographia impressam, in universa Christiana Republica atque in omnibus Christiani orbis ecclesiis legendam evulgamus, decernentes, eam prius quidem universali sanctae Ecclesiae, ac sanctorum Patrum consensione, deinde vero generalis Concilii Tridentini decreto, nunc demum etiam apostolica nobis a Domino tradita auctoritate comprobatam, pro vera, legitima, authentica, et indubitata, in omnibus publicis, privatisque disputationibus, lectionibus, praedicationibus, et explanationibus recipiendam, et tenendam esse. Districtius vero inhibemus, ne umquam perpetuis futuris temporibus, novae Vulgatae editionis posthac Bibliorum sine expressa apostolicae Sedis licentia textus imprimatur: neve quisquam privato, aut peculiari suo sensu aliam editionem sibi confingere, neve hanc ipsam Veterem Vulgatam a nobis, ut praefertur, restitutam editionem, intra decem annos a datis praesentium numerandos, tam citra, quam ultra montes, alibi, quam in nostra Typographia Vaticana, imprimere audeat, vel praesumat. Elapso autem praefato decennio, eam cautionem adhiberi praecipimus, ut nemo sanctas scripturas typis mandare

praesumat, nisi habito prius exemplari in Typographia Vaticana excuso, eodemque inquisitoris haereticae pravitatis ejus provinciae, vel, si inquisitor in ea provincia non sit deputatus, Episcopi ejusdem loci manu propria subscripto, juxta illud, ne minima quidem particula mutata, addita, vel detracta. Postquam vero libri sacri sic fideliter excusi fuerint, nec tunc quidem vendantur, aut evulgentur, nisi prius delato rursus ad inquisitorem, vel deficiente inquisitore, ad Episcopum exemplari ab eis antea subscripto, iidem libri juxta illud impressi, cum eo diligenter, et accurate collati, et inquisitoris, vel in eventum praedictum, Episcopi signo, aut chirographo, quod inter se prorsus concordent, fidem faciente, et attestante, approbati extiterint. Verum, quoniam ex variis, quae hactenus ad marginem adscribi consueverant, lectionibus, illud sequitur incommodi, ac molestiae, quod, cum primum hujusmodi varietas oculis objicitur, lectoris animum ab eo, quod tunc instat agendum, avocat, illumque alieno plane tempore ad ea, quae in codicibus dissonant, inter se conferenda traducit, nec facile est in tanta lectionum multiplicitate scripturas inoffenso pede percurrere, et ea quasi silva diversitatis oblata, quae quibus praeponenda sint, internoscere; Nos optimum factu, piisque omnibus gratum fore arbitrati, ut Ecclesiae filii ab his perplexitatibus, ejusdem Ecclesiae judicio, liberentur (Eph. 4.), utque eos, quibus unum baptisma, una fides, una spes vocationis est, dissentiens non dividat lectio scripturarum, quarum potissimum indifferens consensio eos debuit in unitatem spiritus copulare; auctoritate, et tenore praemissis mandamus, ut Vulgatae editionis Biblia posthac nonnisi uniformia imprimantur, nec aliquid a textu diversum in margine scribatur. Quae vero antehac quibuscumque in locis impressa sunt, juxta hunc nostrum textum ad verbum, et ad litteram corrigantur. Idque tam in impressis, quam in imprimendis Missalibus, Breviariis, Officiis Beatae Mariae Virginis, Psalteriis, Ritualibus, Pontificalibus, Ceremonialibus, et aliis Ecclesiasticis libris, quoad eas tantum scripturae lectiones, et verba, quae ex Vulgata editione sumpta, atque in eisdem libris inserta fuisse constat; ubique servetur. Si quis autem Typographus in quibuscumque regnis, civitatibus, provinciis, et locis tam nostrae, et S. R. E. ditione in temporalibus subjectis, quam non subjectis, Biblia, sacramque Scripturam intra decennium praedictum quoquo modo; lapso autem decennio aliter quam juxta hujusmodi exemplar ab inquisitore, seu, in ejus defectum, ab Epi-

scopo sibi tradendum, etiam minima aliqua particula mutata, addita, vel detracta, aut ad marginem, vel in textu adscripta, etiam per modum scholiorum, annotationum, vel glossae, typis mandare, aut sic quidem codices impressos, et emendatos, sine tamen dicto signo, et attestatione, quod cum priori exemplari, sibi, ut praefertur, tradito concordent, vendere, venales habere, aut alias edere, vel evulgare; aut, si quis Bibliopola a se, vel ab aliis quibusvis, etiam ad hanc usque diem, vel in futurum, ante, vel post dat. praesentium literarum impressos libros, seu imprimendos, a praefata per nos restituta, et correcta editione in aliquo discrepantes, vel juxta eam ad unguem non emendatos, ac simili inquisitoris, seu Episcopi subscriptione non approbatos, seu cum additionibus, aut variis lectionibus ad marginem conscriptis excusos, pariter vendere, venales proponere, vel evulgare praesumpserit; is, qui in supradictis casibus, sive eorum quolibet nostrae huic constitutioni non paruerit, ultra amissionem omnium librorum, et alias temporales, arbitrio infligendas poenas, etiam majoris excommunicationis sententiam eo ipso incurret, a qua, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio, quam pro tempore existente Romano Pontifice absolvi non possit. Quod si inquisitor, aut Episcopus aliud exemplar ab eo, quod in Vaticana Typographia impressum est, quoquo modo discordans Typographo ad imprimendum tradiderit, vel impressum suo signo, aut subscriptione approbaverit, quod revera ab eo discordet; in eum, si Antistes fuerit, etiamsi Archiepiscopali, Primatiali, Patriarchali, vel alia majori praefulgeat dignitate, interdicti ingressus Ecclesiae; si autem inferior, excommunicationis sententiam ipso facto incurrendam ex nunc per praesentes ferimus, ita ut ab alio, quam a Rom. Pontifice absolutionis, aut relaxationis beneficium consequi nequeat. Et nihilominus tam inquisitor, seu Episcopus ipse, qui hujusmodi libros a praefata impressione Vaticana differentes approbaverit, quam etiam Typographus, seu Bibliopola, qui nostris superius expressis praeceptis, ac prohibitionibus in aliquo non obtemperaverit, in congregatione Cardinalium sanctae Romanae, et universalis inquisitionis adversus haereticam pravitatem pro tempore deputatorum, seu coram judice, vel judicibus ab eadem congregatione delegatis, de hujusmodi facto in districto judicio rationem reddere teneatur, ac pro modo culpae, severis poenis ejusdem congregationis, seu judicis, vel judicum ab ea deputandorum arbitrio puniatur. Ceterum, si manuscripta, vel

impressa Biblia hujus etiam Vulgatae editionis, ob characterum venustatem, seu ob aliquod insigne codicis ornamentum, sive ob impressionis praestantiam, vel ob notationes ad marginem scriptas asservantur, et juxta nostrum hoc exemplar emendata non fuerint, ea in iis, quae huic nostrae editioni non consenserint, nullam in posterum fidem, nullamque auctoritatem habitura esse decernimus, ac declaramus: mandantes universis, et singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque Ecclesiarum, et locorum etiam regularium Praelatis, per universum orbem constitutis, ut praesentem constitutionem in suis quisque ecclesiis, provinciis, civitatibus, dioecesibus, et jurisdictionibus curent perpetuo, firmiter, et inviolate ab omnibus observari, contradictores, et inobedientes per censuras Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, atque in generalibus, provincialibus, vel synodalibus Conciliis editis, nec non quarumcumque ecclesiarum, ordinum, congregationum, collegiorum, atque universitatum, etiam studiorum generalium, juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore pacifice observatis, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis, illis, eorumque vel earum Praelatis, Superioribus, et personis per quoscumque Romanos Pontifices, praedecessores nostros, ac nos, et Sedem praedictam motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, et alias sub quibuscumque tenoribus, et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere, vel in specie quomodolibet concessis, et saepius approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus, aut non nisi de consensu certarum personarum, vel nisi sub certis modo et forma inibi expressis, derogari possit, et alias factae derogationes nullae sint eo ipso, ac pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, et expressa mentio habenda, seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret. Tenores hujusmodi pro expressis habentes ad effectum praesentium dumtaxat, derogamus, ac nolumus illa cuiquam adversus praemissa in aliquo suffragari; aut, si aliquibus communiter, vel divisim ab apostolica

sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem praesentes litteras in valvis Basilicae Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, et Cancellariae apostolicae de more publicari, et intra quatuor menses, eos, qui citra montes sunt; qui vero ultra montes, intra octo menses a die publicationis hujusmodi numerandos, perinde arctare, et afficere, ac si eorum cuilibet personaliter intimatae fuissent: decernentes ut earum transumptis, etiam impressis, notarii publici manu subscriptis, ac sigillo praelati Ecclesiastici obsignatis, eadem ubique habeatur fides, quae ipsis originalibus exhibitis, vel ostensis haberetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti, declarationis, decretorum, voluntatum, prohibitionis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Romae apud sanctam Mariam Majorem, Anno incarnationis Dominicae 1589. Kal. Martii, Pontificatus nostri a. quinto.

In Biblia Sacra Vulgatae Editionis

Romae, ex Typographia Apostolica Vaticana. 1592. Fol.

PRAEFATIO AD LECTOREM. *)

In multis, magnisque beneficiis, quae per sacram Tridentinam Synodum Ecclesiae suae Deus contulit, id in primis numerandum videtur, quod inter tot Latinas editiones divinarum Scripturarum, solam veterem ac vulgatam, quae longo tot saeculorum usu in Ec-

*) Auctor est Card. Rob. Bellarminus, societatis Jesu († 1621.), fatente eodem in libro, quem de vita sua conscripsit, a. aetatis suae septuagesimo primo a. 1613. Cf. quae de hujus viri in hac re officiis et judicio, deque bibl. Sixtinorum et Clementinorum historia copiose subtiliterque exposuit L. van Ess in l.: pragmatisch-kritische Geschichte der Vulgata. Tübing., 1824. 8. p. 290 sqq.

clesia probata fuerat, gravissimo decreto authenticam declaravit. Nam, ut illud omittamus, quod ex recentibus editionibus non paucae ad haereses hujus temporis confirmandas licenter detortae videbantur: ipsa certe tanta versionum varietas, atque diversitas magnam in Ecclesia Dei confusionem parere potuisset. Jam enim hac nostra aetate illud fere evenisse constat, quod sanctus Hieronymus [a]) tempore suo accidisse testatus est, tot scilicet fuisse exemplaria, quot codices; cum unusquisque pro arbitrio suo adderet, vel detraheret. Hujus autem veteris ac vulgatae editionis tanta semper fuit auctoritas, tamque excellens praestantia, ut eam ceteris omnibus Latinis editionibus longe anteferendam esse, apud aequos judices in dubium revocari non posset. Qui namque in ea libri continentur (ut a majoribus nostris quasi per manus traditum nobis est) partim ex sancti Hieronymi translatione, vel emendatione suscepti sunt; partim retenti ex antiquissima quadam editione Latina, quam S. Hieronymus [b]) communem et vulgatam, sanctus Augustinus [c]) Italam, sanctus Gregorius [d]) Veterem translationem appellat. Ac de veteris quidem hujus, sive Italae editionis sinceritate atque praestantia praeclarum sancti Augustini [e]) testimonium extat in secundo libro de Doctrina Christiana, ubi Latinis omnibus editionibus, quae tunc plurimae circumferebantur, Italam praeferendam censuit, quod esset, ut ipse loquitur, verborum tenacior cum perspicuitate sententiae. De sancto vero Hieronymo multa extant veterum Patrum egregia testimonia: cum enim sanctus [f]) Augustinus hominem doctissimum, ac trium linguarum peritissimum vocat, atque ejus translationem ipsorum quoque Hebraeorum testimonio veracem esse confirmat. Eundem sanctus Gregorius [g]) ita praedicat, ut ejus translationem, quam novam appellat, ex Hebraeo eloquio cuncta verius transfudisse dicat: atque idcirco dignissimam esse, cui fides in omnibus habeatur. Sanctus autem Isidorus [h]) non uno in loco Hieronymianam versionem ceteris omnibus anteponit, eamque ab Ecclesiis Christianis communiter recipi ac probari affirmat, quod sit in verbis clarior, et veracior

---

a) Praefat. in Josue. *b*) S. Hieron. in cap. 49. Isaj. *c*) S. Aug. lib. 2. de Doctrina Christ. cap. 14. *d*) S. Greg. Epistola dedic. ad Leandrum cap. 5. in fin. *e*) S. August. uti supra. *f*) Lib. 18. de Civit. Dei, cap. 43. *g*) Lib. 20. moral. 24. *h*) Lib. 6. Etymol. cap. 5. Lib. 1. de Divin. off. 12.

in sententiis. Sophronius quoque, vir eruditissimus, S. Hieronymi translationem non Latinis modo, sed etiam Graecis valde probari animadvertens, tanti eam fecit, ut Psalterium et prophetas ex Hieronymi versione in Graecum eleganti sermone transtulerit. Porro qui secuti sunt, viri doctissimi, Remigius, Beda, Rabanus, Haymo, Anselmus, Petrus Damiani, Richardus, Hugo, Bernardus, Rupertus, Petrus Lombardus, Alexander, Albertus, Thomas, Bonaventura, ceterique omnes, qui his nongentis annis in Ecclesia floruerunt, sancti Hieronymi versione ita sunt usi, ut ceterae, quae pene innumerabiles erant, quasi lapsae de manibus Theologorum, penitus obsoleverint. Quare non immerito Catholica Ecclesia S. Hieronymum doctorem maximum, atque ad Scripturas sacras interpretandas divinitus excitatum ita celebrat, ut jam difficile non sit illorum omnium damnare judicium, qui vel tam eximii Doctoris lucubrationibus non acquiescunt, vel etiam meliora, aut certe paria praestare se posse confidunt. Ceterum ne tam fidelis translatio, tamque in omnes partes Ecclesiae utilis, vel injuria temporum, vel impressorum incuria, vel temere emendantium audacia, ulla ex parte corrumperetur, eadem sacrosancta Synodus Tridentina illud decreto suo sapienter adjecit, ut haec ipsa vetus ac vulgata editio emendatissime, quoad fieri posset, imprimeretur; neque ulli liceret eam sine facultate et approbatione Superiorum excudere. Quo decreto simul Typographorum temeritati ac licentiae modum imposuit, et pastorum Ecclesiae in tanto bono quam diligentissime retinendo, et conservando, vigilantiam atque industriam excitavit. Et quamvis insignium academiarum theologi in editione vulgata pristino suo nitori restituenda magna cum laude laboraverint; quia tamen in tanta re nulla potest esse nimia diligentia, et codices manuscripti complures et vetustiores summi Pontificis jussu conquisiti, atque in urbem advecti erant; et demum, quoniam executio generalium Conciliorum, et ipsa Scripturarum integritas ac puritas ad curam apostolicae sedis potissimum pertinere cognoscitur; ideo Pius IV. Pontifex max. pro sua in omnes Ecclesiae partes incredibili vigilantia, lectissimis aliquot sanctae Rom. Ecclesiae Cardinalibus, aliisque tum sacrarum literarum, tum variarum linguarum peritissimis viris, eam provinciam demandavit, ut vulgatam edit. Lat. adhibitis antiquissimis codicibus manuscriptis, inspectis quoque Hebraicis, Graecisque Bibliorum fontibus; consultis denique veterum Patrum commentariis, accuratissime castigarent. Quod

itidem institutum Pius V. prosecutus est. Verum conventum illum ob varias, gravissimasque sedis apostolicae occupationes jamdudum intermissum, Sixtus V. divina providentia ad summum Sacerdotium evocatus, ardentissimo studio revocavit, et opus tandem confectum typis mandari jussit. Quod cum jam esset excusum, et ut in lucem emitteretur *), idem Pontifex operam daret, animadvertens non pauca in sacra Biblia praeli vitio irrepsisse, quae iterata diligentia indigere viderentur, totum opus sub incudem revocandum censuit atque decrevit. Id vero cum morte praeventus praestare non potuisset, Gregorius XIV. qui post Urbani VII. duodecim dierum Pontificatum Sixto successerat, ejus animi intentionem executus perficere aggressus est, amplissimis aliquot Cardinalibus, aliisque doctissimis viris ad hoc iterum deputatis. Sed eo quoque, et qui illi successit, Innocentio IX. brevissimo tempore de hac luce subtractis; tandem sub initium Pontificatus Clementis VIII., qui nunc Ecclesiae universae gubernacula tenet, opus, in quod Sixtus V. intenderat, Deo bene juvante perfectum est. Accipe igitur Christiane Lector, eodem Clemente summo Pontifice annuente, ex Vaticana Typographia veterem ac vulgatam sacrae Scripturae editionem, quanta fieri potuit diligentia castigatam: quam quidem sicut omnibus numeris absolutam, pro humana imbecillitate affirmare difficile est, ita ceteris omnibus, quae ad hanc usque diem prodierunt, emendatiorem, purioremque esse, minime dubitandum. Et vero quamvis in hac Bibliorum recognitione in codicibus manuscriptis, Hebraeis, Graecisque fontibus, et ipsis veterum Patrum commentariis conferendis non mediocre studium adhibitum fuerit; in hac tamen pervulgata lectione sicut nonnulla consulto mutata, ita etiam alia, quae mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt, tum quod ita faciendum esse ad offensionem populorum vitandam S. Hieronymus [a]) non semel admonuit: tum quod facile fieri

*) Quod dictum Bellarmini a veritate abest; correctio enim bibl. Sixtinorum, in quibus multa erant perperam mutata, neque tantum culpa et erratis typographorum, instituta demum est Gregorio XIV. et Clemente VIII. pontificibus, in conventu Cardinalium et doctorum virorum. Hujus rei narrator is idem est Bellarminus in Vita sua. Inde factum est, ut post mortem ejus relatio inter Sanctos canonizatos, de qua consilia Romae agebantur, ab aliquot Cardinalibus ei negaretur, quod a mendacio non refugerit. Cf. van Ess l. c. p. 298 sq.

a) Epist. ad Sunniam et Fretellam praef. Evangel. ad Damasum.

posse credendum est, ut majores nostri, qui ex Hebraeis, et Graecis Latina fecerunt, copiam meliorum et emendatiorum librorum habuerint, quam ii, qui post illorum aetatem ad nos pervenerunt, qui fortasse tam longo tempore identidem describendo minus puri, atque integri evaserunt; tum denique quia sacrae congregationi amplissimorum Cardinalium, aliisque eruditissimis viris ad hoc opus a sede apostolica delectis propositum non fuit, novam aliquam editionem cudere, vel antiquum interpretem ulla ex parte corrigere vel emendare; sed ipsam veterem, ac vulgatam editionem Latinam a mendis veterum librariorum, nec non pravarum emendationum erroribus repurgatam, suae pristinae integritati, ac puritati, quoad ejus fieri potuit, restituere; eaque restituta, ut quam emendatissime imprimeretur juxta concilii oecumenici decretum pro viribus operam dare. Porro in hac editione nihil non canonicum, nihil adscititium, nihil extraneum, apponere visum est: atque ea causa fuit, cur liber tertius et quartus Esdrae inscripti, quos inter canonicos libros sacra Tridentina Synodus non annumeravit, ipsa etiam Manasse regis Oratio, quae neque Hebraice, neque Graece quidem extat, neque in manuscriptis antiquioribus invenitur, neque pars est ullius canonici libri, extra canonicae scripturae seriem posita sint: et nullae ad marginem concordantiae (quae posthac inibi apponi non prohibentur), nullae notae, nullae variae lectiones, nullae denique praefationes, nulla argumenta ad librorum initia conspiciantur. Sed sicut apostolica sedes industriam eorum non damnat, qui concordantias locorum, varias lectiones, praefationes sancti Hieronymi, et alia id genus in aliis editionibus inseruerunt; ita quoque non prohibet, quin alio genere characteris in hac ipsa Vaticana editione ejusmodi adjumenta pro studiosorum commoditate, atque utilitate in posterum adjiciantur; ita tamen, ut lectiones variae ad marginem ipsius textus minime annotentur.

CLEMENS PAPA OCTAVUS.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Cum sacrorum Bibliorum vulgatae editionis textus summis laboribus, ac vigiliis restitutus, et quam accuratissime mendis expurgatus, benedicente Domino, ex nostra Typographia Vaticana in lucem prodeat; nos, ut in posterum idem textus incorruptus, ut decet, conservetur, opportune providere volentes, auctoritate apostolica, tenore praesentium districtius inhibemus, ne intra decem annos a data praesentium numerandos, tam citra, quam ultra montes alibi quam in nostra Vaticana Typographia a quoquam imprimatur. Elapso autem praefato decennio, eam cautionem adhiberi praecipimus, ut nemo hanc sanctarum Scripturarum editionem typis mandare praesumat, nisi habito prius exemplari in Typographia Vaticana excuso: cujus exemplaris forma, ne minima quidem particula de textu mutata, addita, vel ab eo detracta, nisi aliquod occurrat, quod Typographicae incuriae manifeste adscribendum sit, inviolabiliter observetur. Si quis vero Typographus in quibuscunque regnis, civitatibus, provinciis, et locis tam nostrae et S. R. E. ditioni in temporalibus subjectis, quam non subjectis, hanc eandem sacrarum Scripturarum editionem intra decennium praedictum quoquo modo, elapso autem decennio, aliter quam juxta hujusmodi exemplar, ut praefertur, imprimere, vendere, venales habere, aut alias edere vel evulgare, aut si quis bibliopola a se vel ab aliis quibusvis, post datam praesentium, hujus editionis impressos libros, seu imprimendos a praefato restituto et correcto textu in aliquo discrepantes, seu ab alio, quam a typographo Vaticano, intra decennium excusos, pariter vendere, venales proponere vel evulgare praesumpserit, ultra amissionem omnium librorum, et alias arbitrio nostro infligendas poenas temporales, etiam majoris excommunicationis sententiam eo ipso incurrat: a qua nisi a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constitutus, absolvi non possit. Mandamus itaque universis et singulis, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, caeterisque ecclesiarum, et locorum, etiam regularium Praelatis, ut praesentes litteras in suis

quisque ecclesiis et jurisdictionibus ab omnibus inviolate perpetuo observari curent ac faciant. Contradictores per censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis; non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac in generalibus, provincialibus, vel synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus, ac quarumcunque ecclesiarum, ordinum, congregationum, collegiorum, atque universitatum, etiam studiorum generalium juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, ac privilegiis, indultis, ac litteris apostolicis in contrarium quomodocunque emanatis, et emanandis: quibus omnibus ad hunc effectum latissime derogamus, ac derogatum esse decernimus. Volumus autem, ut praesentium transumptis etiam in ipsis voluminibus impressis eadem, in judicio et extra, fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Dat. Romae, apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 9. Novembris, 1592. Pontif. nostri Anno 1.

M. Vestrius Barbianus.

SANCTUM
JESU CHRISTI
EVANGELIUM
SECUNDUM
MATTHAEUM.

CAP. I.

Christi genealogia, conceptio et
ortus.

1. [a]Liber generationis Jesu
Christi filii David[b], filii Abraham.
2. Abraham genuit Isaac. Isaac
autem genuit Jacob. Jacob autem
genuit Judam, et fratres ejus.
3. Judas autem[c] genuit Pha-
res, et Zaram de Thamar. Pha-
res autem genuit Esron. Esron
autem genuit Aram.
4. Aram autem genuit Amina-
dab. Aminadab autem genuit
Naasson. Naasson autem genuit
Salmon.
5. Salmon autem genuit Booz[d]
de Rahab. Booz autem genuit
Obed ex Ruth. Obed autem ge-
nuit Jesse. Jesse autem genuit
David regem.
6. David autem Rex[e] genuit
Salomonem ex ea, quae fuit
Uriae.

[a] v. 1—17. Luc. 3, 23—38. [b] Rom. 1, 3. [c] 1 Par. 2, 4—10. [d] Ruth. 4, 17—22. [e] 2 Reg. 12, 24.

7. Salomon autem[f] genuit
Roboam. Roboam autem[g] ge-
nuit Abiam. Abias autem[h] ge-
nuit Asa.
8. Asa autem[i] genuit Josa-
phat. Josaphat autem[k], genuit
Joram. Joram autem[l] genuit
Oziam.
9. Ozias autem[m] genuit Joa-
tham. Joatham autem genuit
Achaz. Achaz autem[n] genuit
Ezechiam.
10. Ezechias autem[o] genuit
Manassen. Manasses autem[p]
genuit Amon. Amon autem[q] ge-
nuit Josiam.
11. Josias autem[r] genuit Je-
choniam[s], et fratres ejus in trans-
migratione Babylonis.
12. Et post transmigrationem
Babylonis Jechonias genuit Sala-

[f] 3 Reg. 11, 43. [g] 1 Par. 3, 10. 3 Reg. 14, 31. [h] 3 Reg. 15, 8. [i] 3 Reg. 15, 24. [k] 3 Reg. 22, 51. [l] 1 Par. 3, 11. [m] 2 Par. 26, 23. [n] 2 Par. 28, 27. 4 Reg. 16, 1. [o] 2 Par. 32, 33. 4 Reg. 16, 20. [p] 2 Par. 33,, 20. 4 Reg. 21, 18. [q] 2 Par. 33, 25. [r] 2 Par. 36, 1. 4 Reg. 21, 24. [s] 1 Par. 3, 16.

Cap. I. 3. Zarad; *ibid.* Esrom. 5. Racab; *ibid.* Pooz; *ibid.* Obeth. 11. in transmigrationem.

thiel. Salathiel autem genuit Zorobabel.

13. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor.

14. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud.

15. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob.

16. Jacob autem genuit Joseph virum Mariae, de qua natus est JESUS, qui vocatur Christus.

17. Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim; et a David usque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim; et a transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim.

18. CHRISTI autem generatio sic erat: Cum esset desponsata mater ejus Maria[t] Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.

19. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere[u], voluit occulte dimittere eam.

20. Haec autem eo cogitante, ecce! angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: Joseph, fili David! noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.

21. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus JESUM[v]; ipse enim salvum faciet[w] populum suum a peccatis eorum.

22. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem:

23. „Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium; et vocabunt nomen ejus Emmanuel, „quod est interpretatum: Nobiscum Deus[x].“

24. Exurgens autem Joseph a somno, fecit sicut praecepit ei angelus Domini, et accepit conjugem suam.

25. Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum; et vocavit nomen ejus JESUM.

CAP. II.

Magorum adoratio. Christi fuga in Aegyptum. Infanticidium Bethlehemiticum. Reditus ex Aegypto.

1. Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem[y] Juda in diebus Herodis regis, ecce! Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam,

2. dicentes: Ubi est qui natus est rex Judaeorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum.

3. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, et omnis Ierosolyma cum illo.

4. Et congregans omnes principes Sacerdotum, et Scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur.

5. At illi dixerunt ei: In Beth-

t Luc. 1, 27, 35. u Num. 5, 12. sqq. Deut. 24, 1.

v Luc. 1, 31. w Act. 4, 12. x Jes. 7 14. y Gen. 35, 19. Luc. 2, 4. sqq.

Cap. I. 13. Iliachim *bis*. 14. Saddoc *bis*. 15. Matthan. 17. omnes ergo; *ibid.* quattuordecem; *ibid.* usque transmigrationem 20. in somnis paruit ei; *ibid.* filii (*ita constantissime in hoc codice*). 23. Emmanuhel. 24. exsurgens. II. 1. Betleem Judaeae; *ibid.* Hierosolymam dicentes. 5. Betleem Judaeae.

lehem[z] Judae; sic enim scriptum est per Prophetam:

6. „Et tu Bethlehem, terra Ju-„da, nequaquam minima es in „principibus Juda; ex te enim „exiet dux, qui regat populum „meum Israel[a]."

7. Tunc Herodes, clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellae, quae apparuit eis;

8. et mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, et interrogate diligenter de puero; et cum inveneritis, renunciate mihi, ut et ego veniens adorem eum.

9. Qui cum audissent regem, abierunt. Et ecce! stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer.

10. Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde.

11. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum; et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham[b].

12. Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

13. Qui cum recessissent, ecce! angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Aegyptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi; futurum est enim, ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum.

14. Qui consurgens, accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Aegyptum.

15. Et erat ibi usque ad obitum Herodis; ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: „Ex Aegypto vo-„cavi filium meum[c]."

16. Tunc Herodes videns, quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde; et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, secundum tempus, quod exquisierat a Magis.

17. Tunc adimpletum est, quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem:

18. „Vox in Rama audita est, „ploratus et ululatus multus; Ra-„chel[d] plorans filios suos, et no-„luit consolari, quia non sunt[e]."

19. Defuncto autem Herode, ecce! angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Aegypto,

20. dicens: Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel; defuncti sunt enim, qui quaerebant animam pueri.

21. Qui consurgens, accepit puerum, et matrem ejus, et venit in terram Israel.

22. Audiens autem, quod Archelaus regnaret in Judaea pro Herode patre suo, timuit illo ire; et admonitus in somnis, secessit in partes Galilaeae[f].

23. Et veniens habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth; ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetas: „Quoniam Nazaraeus vocabitur[g]."

[z] Joh. 7, 42. [a] Mich. 5, 2. [b] Ps. 71, 10. Jes. 60, 6. Luc. 2, 16.

[c] Hos. 11, 1. [d] Gen. 35, 19. [e] Jer. 31, 15. [f] Infra. 3, 13. [g] Joh. 1, 46.

Cap. II. 6. Israhel. 11. tus et murram. 13. in somnio (o *erasum*). 14. recessit. 16. inlusus. 17. Hiremiam. 19. apparuit angelus Domini; *ibid.* in Aegypto dicens. 21. qui surgens. 22. illuc ire. 23. Nazareus.

CAP. III.

Praecursor Joannes, a quo Jesus baptizatur.

1. [h] In diebus autem illis venit Joannes Baptista praedicans in deserto Judaeae,

2. et dicens: Poenitentiam agite! appropinquavit enim regnum coelorum[i].

3. Hic est enim, qui dictus est per Isaiam prophetam dicentem: „Vox clamantis in deserto! Pa„rate viam Domini, rectas facite „semitas ejus[k].“

4. Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos; esca autem ejus erat locustae, et mel silvestre.

5. Tunc exibat ad eum Ierosolyma, et omnis Judaea, et omnis regio circa Jordanem;

6. et baptizabantur[l] ab eo in Jordane, confitentes peccata sua.

7. Videns autem multos Pharisaeorum et Sadducaeorum, venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?

8. Facite ergo fructum dignum poenitentiae!

9. Et ne velitis dicere intra vos: Patrem[m] habemus Abraham; dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae.

10. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.

11. Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam; qui autem post me venturus est[n], fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare; ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, et igni;

12. cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum[o]; paleas autem comburet igni inextinguibili.

13. [p] Tunc venit Jesus a Galilaea in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo.

14. Joannes autem prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me?

15. Respondens autem Jesus, dixit ei: Sine modo! sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum.

16. Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua; et ecce! aperti sunt ei coeli; et vidit[q] Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se.

17. Et ecce! vox de coelis, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui[r]!

[h] v. 1 — 12. Marc. 1, 1 — 8. Luc. 3, 1—18. [i] c. 4, 17. Marc. 6, 12. [k] Jes. 40, 3. [l] Act. 19, 3, 4. [m] Joh. 8, 33. 39.

[n] Joh. 1, 15. 26. 33. Act. 1, 5. 11, 16. 13, 25. [o] c. 13, 30. [p] Marc. 1, 9—11. Luc. 3, 21 — 23. [q] Joh. 1, 32. [r] c. 12. 18. 17, 5. 2 Petr. 1, 17.

Cap. III. 1. Johannes. 2. paenitentiam—adpropinquavit. 3. Esaiam. 4. pelliciam; *ibid.* lumbos ejus; *ibid.* lucustae. 5. exiebat; *ibid.* circum. 6. in Jordane ab eo. 7. a futura ira. 9. potest Deus; *ibid.* Abraham (*Dativus*). 11. vos baptizo; *ibid.* calciamenta; *ibid.* baptizavit (v=b *in hoc codice*). 13. in Jordanen. 16. baptizatus autem confestim (*deest* Jesus).

CAP. IV.

Christi jejunium et tentatio. Publice docet. Petrum et Andream, Jacobum et Joannem vocat. Morbos sanat.

1. [s]Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo.

2. Et cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit.

3. Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant.

4. Qui respondens dixit: Scriptum est: „Non in solo pane vi„vit homo, sed in omni verbo, „quod procedit de ore Dei[t].“

5. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi;

6. et dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum! Scriptum est enim: „Quia angelis suis manda„vit de te, et in manibus tollent „te, ne forte offendas ad lapidem „pedem tuum[u].“

7. Ait illi Jesus: Rursum scriptum est: „Non tentabis Domi„num Deum tuum[v]!“

8. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde; et ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum;

9. et dixit ei: Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.

10. Tunc dicit ei Jesus: Vade, satana! Scriptum est enim: „Do„minum Deum tuum adorabis, „et illi soli servies[w].“

11. Tunc reliquit eum diabolus et ecce! angeli accesserunt, et[x] ministrabant ei.

12. Cum autem audisset Jesus, quod Joannes traditus esset[y], secessit in Galilaeam;

13. et, relicta civitate Nazareth, venit, et habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon et Nephthalim;

14. ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam:

15. „Terra Zabulon, et terra „Nephthalim, via maris trans „Jordanem, Galilaea gentium[z],

16. „Populus qui sedebat in „tenebris, vidit lucem magnam: „et sedentibus in regione um„brae mortis, lux orta est eis[a].“

17. [b]Exinde coepit Jesus praedicare, et dicere: Poenitentiam agite! appropinquavit enim regnum coelorum.

18. Ambulans autem Jesus juxta mare Galilaeae[c], vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare, erant enim piscatores.

19. Et ait illis: Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.

20. At illi continuo, relictis retibus, secuti sunt eum.

21. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedaei, et Joannem fratrem ejus, in navi cum Zebedaeo patre eorum, reficientes retia sua; et vocavit eos.

[s] v. 1 — 11. Marc. 1, 12. 13. Luc. 4, 1 — 13. [t] Deut. 8, 3. Sap. 16, 26. [u] Ps. 90, 11. 12. [v] Deut. 6, 16. [w] Deut. 6, 13.

[x] Joh. 1, 51. [y] c. 14, 3. sqq. Marc. 1, 14. Luc. 4, 14. [z] Jes. 9, 1. [a] Jes. 60, 2. seq. Luc. 1, 79. [b] Marc. 1, 14 — 22. [c] Marc. 1, 16. seq. Luc. 5, 2 — 11.

Cap. IV. 1. temtaretur. 3. temtator. 4. in pane solo. 5. supra. 7. temtabis. 8. assumit. 9. illi; *ibid.* tibi omnia. 10. scriptum est (*deest* enim). 12. cum autem audisset (*deest* Jesus). 13. maritimam. 14. inpleretur; Esaiam. 15. Nephthalim (*deest* terra). 16. lumen vidit magnum; *ibid.* in regione et umbra. 17. adpropinquavit. 18. ambulans autem (*deest* Jesus); *ibid.* mittens rete (*deest* in mare).

22. Illi autem statim relictis retibus et patre, secuti sunt eum.

23. Et circuibat Jesus totam Galilaeam, docens in synagogis[d] eorum, et praedicans evangelium regni, et sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo[e].

24. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, et obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui daemonia habebant, et lunaticos[f], et paralyticos; et curavit eos.

25. Et secutae sunt eum turbae multae de Galilaea[g] et Decapoli, et de Ierosolymis, et de Judaea, et de trans Jordanem.

CAP. V.

Sermo Christi in monte habitus. Beatitas discipulorum Jesu. Christianae perfectionis capita.

1. Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus.

2. Et aperiens os suum docebat eos, dicens:

3. Beati pauperes spiritu[h]! quoniam ipsorum est regnum coelorum.

4. Beati mites! quoniam ipsi possidebunt terram[i].

5. Beati, qui lugent! quoniam ipsi consolabuntur[k].

6. Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam! quoniam ipsi saturabuntur.

7. Beati misericordes! quoniam ipsi misericordiam consequentur.

8. Beati mundo corde! quoniam ipsi Deum videbunt.

9. Beati pacifici! quoniam filii Dei vocabuntur.

10. Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam! quoniam ipsorum est regnum coelorum[l].

11. Beati estis, cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me[m];

12. gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis[n]. Sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos.

13. Vos estis sal terrae! Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus[o].

14. Vos estis lux mundi[p]! Non potest civitas abscondi supra montem posita;

15. neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.

16. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent[q] patrem vestrum, qui in coelis est.

17. Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere[r].

18. Amen quippe dico vobis, donec transeat coelum et terra,

[d] Luc. 4, 15. 44. Marc. 1, 39. [e] Marc. 6, 55. 56. [f] c. 17, 14. [g] Marc. 3, 7. Luc. 6, 17. [h] Luc. 6, 20. Jes. 57, 15. [i] Ps. 36, 11. [k] Luc. 6, 21. Joh. 4, 14. 7, 37.

[l] Luc. 6, 22. Jac. 1, 12. [m] Luc. 6, 22. [n] 2 Cor. 4, 17. [o] Marc. 9, 20. [p] Phil. 2, 15. [q] Joh. 15, 8. [r] Rom. 3, 31.

Cap. IV. 23. circumibat. 25. et Decapolin et Hierosolymis; ibid. trans Jordanen. V. 1. videns autem turbas. 9. ipsi filii Dei. 13. sallietur. 16. vestra bona opera.

iota unum, aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant[s].

19. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum; qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum.

20. Dico enim vobis, quia, nisi abundaverit justitia vestra plus, quam Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum[t].

21. Audistis, quia dictum est antiquis: „Non occides! qui autem „occiderit, reus erit judicio[u].“

22. Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca! reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue[v]! reus erit gehennae ignis.

23. Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te;

24. relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo; et tunc veniens offeres munus tuum[w].

25. Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo; ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris[x].

26. Amen dico tibi: Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem[y].

27. Audistis, quia dictum est antiquis: „Non moechaberis[z]!“

28. Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo.

29. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te; erue eum, et projice abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam[a].

30. Et si dextra manus tua scandalizat te; abscide eam, et projice abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.

31. Dictum est autem: „Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii[b].“

32. Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari; et qui dimissam duxerit, adulterat[c].

33. Iterum audistis, quia dictum est antiquis: „Non perjurabis! reddes autem Domino juramenta tua[d]!“

34. Ego autem dico vobis, non jurare omnino; neque per coelum, quia thronus Dei est[e]:

35. neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Ierosolymam, quia civitas est magni regis[f];

36. neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum.

37. Sit autem sermo vester: est, est! non, non! quod autem his abundantius est, a malo est.

38. Audistis, quia dictum est:

[s] Luc. 16, 17. 21, 33. [t] Luc. 11, 39. 18, 11. 12. [u] Exod. 20, 13. Deut. 5, 23. [v] 1 Joh. 3, 14. sqq. [w] Marc. 11, 25. [x] Luc. 12, 58. [y] c. 6, 14. 18, 34. 35. [z] Exod. 20, 14. Levit. 20, 10.

[a] Marc. 9, 46—48. [b] Exod. 21, 24. Levit. 24, 20. Deut. 19, 21. [c] c. 19, 9, Marc. 10, 4—12. Luc. 16, 18. 1 Cor. 7. 10. [d] Levit. 19, 12. [e] Jes. 66, 1. Act. 7. 49. [f] Ps. 47, 2.

Cap. V. 18. fiunt. 22. Racha. 23. offeres. 24. ad altare; *ibid.* reconciliare; *ibid.* offers. 28. quoniam. 29. proice. 30. corpus tuum (*deest* totum). 33. pejerabis.

„Oculum pro oculo, et dentem „pro dente[g]!“

39. Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram.

40. Et ei, qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium[h]!

41. Et quicunque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo!

42. Qui petit a te, da ei! et volenti mutuari a te, ne avertaris[i]!

43. Audistis, quia dictum est: „Diliges proximum tuum[k], et „odio habebis inimicum tuum.“

44. Ego autem dico vobis: [l]Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos;

45. ut sitis filii patris vestri, qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.

46. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt?

47. Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne et Ethnici hoc faciunt?

48. Estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester coelestis perfectus est[m].

[g] Exod. 21, 24. Levit. 24, 20. Deut. 19, 21. [h] Luc. 6, 29. Rom. 12, 17—19. [i] Luc. 6, 30. [k] Lev. 19, 18. [l] v. 44—48. Luc. 6, 27. 28. 32—36. [m] Lev. 11, 44. 19, 2.

CAP. VI.

Eleemosyna et preces. Ignoscendum est inimicis. De jejunio. Pecuniae amor et anxia sollicitudo vitanda sunt.

1. Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus[n], ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in coelis est.

2. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritae faciunt in synagogis, et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis: Receperunt mercedem suam.

3. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua;

4. ut sit eleemosyna tua in abscondito; et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi[o].

5. Et cum oratis, non eritis sicut hypocritae, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare; ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis: Receperunt mercedem suam.

6. Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito; et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

7. Orantes autem, nolite multum loqui, sicut Ethnici; putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur[p].

8. Nolite ergo assimilari eis;

[n] c. 23, 5. [o] Luc. 14, 14. [p] Jes. 1, 15. 3 Reg. 18, 26. sqq.

Cap. V. 39. in dextera maxilla tua. 40. remitte et pallium. 41. angariaberit; *ibid.* illo alio duo. 46. diligatis. 47. nonne ethnici (*deest* et). VI. 2. cum ergo facies. 6. cum orabis; *ibid.* clauso ostio tuo. 7. putant enim. quia.

scit enim pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum.

9. Sic ergo vos orabitis[q]: Pater noster, qui es in coelis; sanctificetur[r] nomen tuum!

10. Adveniat regnum tuum! Fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra!

11. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie!

12. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris!

13. Et ne nos inducas in tentationem[s], sed libera nos a malo. Amen.

14. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis pater vester coelestis delicta vestra.

15. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra[t].

16. Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes; exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

17. Tu autem, cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava;

18. ne videaris hominibus jejunans[u], sed patri tuo, qui est in abscondito; et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

19. [v]Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo, et tinea demolitur; et ubi fures effodiunt et furantur;

20. thesaurizate autem vobis thesauros in coelo[w], ubi neque aerugo, neque tinea demolitur; et ubi fures non effodiunt, nec furantur.

21. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.

22. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex; totum corpus tuum lucidum erit[x].

23. Si autem oculus tuus fuerit nequam; totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebrae sunt; ipsae tenebrae quantae erunt?

24. Nemo potest duobus dominis servire[y]; aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonae.

25. [z]Ideo dico vobis, ne soliciti sitis animae vestrae quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini[a]. Nonne anima plus est quam esca? et corpus plus quam vestimentum?

26. Respicite volatilia coeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; et pater vester coelestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis[b]?

27. Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?

[q] Luc. 11, 2—4. [r] Ez. 36, 23. [s] c. 26. 41. Luc. 22, 32. 1 Cor. 10, 13. [t] c. 18, 21. etc. [u] Jes. 58, 5. etc. [v] v. 19—21. Luc. 12, 33. 34. Jac. 5, 2. etc.

[w] c. 19, 21. Luc. 16, 9. 1 Tim. 6, 17—19. [x] Luc. 11, 34. etc. [y] Luc. 16, 13. 11, 23. 1 Joh. 2, 15. Jac. 4, 4. [z] v. 25—34. Luc. 12, 22—32. [a] Ps. 36, 5. Phil. 4, 6. 1 Petr. 5, 7. [b] c. 10, 31. Hiob 38, 41. Ps. 146, 9. 10.

Cap. VI. 8. quibus opus. 13. ne inducas nos in temtationem. 14. *deest*. 15. dimittet peccata vestra (*deest* vobis). 16. ut pareant. 19. erugo. 22. lucerna corporis est oculus (*sententia generalis, ut in Graeco); ibid.* si fuerit oculus tuus. 23. nequam fuerit; *ibid.* tenebrae quantae (*deest* ipsae). 24. mamonae. 25. solliciti. 26. magis plures. 27. adicere.

28. Et de vestimento, quid soliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt; non laborant, neque nent.

29. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.

30. Si autem foenum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos, modicae fidei[c]?

31. Nolite ergo soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?

32. Haec enim omnia gentes inquirunt; scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis.

33. Quaerite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus; et haec omnia adjicientur vobis[d].

34. Nolite ergo soliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei malitia sua!

CAP. VII.

Non judicandum est temere. Sancta noli porrigere canibus. Fiducia in precibus habita. Summa legis. Angusta porta. Ex fructibus judicandum. Domus supra petram aut arenam.

1. [e]Nolite judicare, ut non judicemini;

2. in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini; et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.

3. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui; et trabem in oculo tuo non vides?

4. Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine! ejiciam festucam de oculo tuo; et ecce! trabs est in oculo tuo?

5. Hypocrita! ejice primum trabem de oculo tuo; et tunc videbis, ejicere festucam de oculo fratris tui.

6. Nolite dare sanctum canibus; neque mittatis margaritas vestras ante porcos; ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos.

7. [f]Petite, et dabitur vobis! quaerite, et invenietis! pulsate, et aperietur vobis!

8. Omnis enim, qui petit, accipit; et qui quaerit, invenit; et pulsanti aperietur.

9. Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei?

10. Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei?

11. Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis pater vester, qui in coelis est, dabit bona petentibus [g] se?

12. Omnia ergo, quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis[h]. Haec est enim lex, et Prophetae.

13. Intrate per angustam portam[i]; quia lata porta, et spatiosa via est, quae ducit ad perditio-

[c] c. 8, 26. [d] 1 Tim. 4, 8. [e] v. 1—6. Luc. 6, 37. etc. Rom. 2, 1. 1 Cor. 4, 5.

[f] v. 7—11. c. 21, 22. Marc. 11, 24. Luc. 11, 9—13. Joh. 15, 7. 14, 13. 16, 23. 1 Joh. 3, 22. [g] Jac. 1, 5. 3 Reg. 3, 9 sqq. [h] Luc. 6, 31. etc. Tob. 4, 16. [i] Luc 13, 24.

Cap. VI. 30. faenum; *ibid.* minimae fidei. 31. solliciti. 33. quaerite autem primum regnum et justitiam ejus et omnia haec adicientur vobis. 34. nolite ergo esse solliciti; *ibid.* sibi ipse. VII. 2. metietur vobis. 4. eiciam; *ibid.* trabes. 10. piscem petet. 12. facite eis. 13. via, quae (*deest* est).

nem, et multi sunt, qui intrant per eam.

14. Quam angusta porta, et arcta via est, quae ducit ad vitam; et pauci sunt, qui inveniunt eam!

15. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces[k]!

16. [l] A fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?

17. Sic omnis arbor bona fructus bonos facit; mala autem arbor malos fructus facit.

18. Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere.

19. Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur[m].

20. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.

21. Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine! intrabit in regnum coelorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse intrabit[n] in regnum coelorum.

22. Multi dicent mihi in illa die[o]: Domine, Domine! nonne in nomine tuo prophetavimus? et in nomine tuo daemonia[p] ejecimus? et in nomine tuo virtutes multas fecimus?

23. Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos; discedite[q] a me, qui operamini iniquitatem!

[k] c. 24, 4. 5. 24. 1 Joh. 4, 1. Jer. 14, 14. [l] v. 16—21. c. 12, 33. Luc. 6, 43—46. [m] Luc. 3, 9. [n] Rom. 2, 13. Jac. 1, 22. [o] Luc. 13, 25—27. 6, 46. [p] Act. 19, 13. [q] c. 25, 41.

24. [r] Omnis ergo, qui audit verba mea haec, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram.

25. Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit; fundata enim erat super petram.

26. Et omnis, qui audit verba mea haec, et non facit ea, similis erit viro stulto, qui aedificavit domum suam super arenam.

27. Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit; et fuit ruina illius magna.

28. Et factum est, cum consummasset Jesus verba haec, admirabantur turbae super doctrina ejus;

29. erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribae eorum, et Pharisaei[s].

CAP. VIII.

Curatio leprosi, pueri Centurionis, socrus Petri, et Daemoniacorum. Tempestas sedata. Daemones ejecti porcos invadunt.

1. [t] Cum autem descendisset de monte, secutae sunt eum turbae multae.

2. Et ecce! leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare.

3. Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens: Volo; mundare! Et confestim mundata est lepra ejus.

[r] Luc. 6, 47—49. [s] Marc. 1, 22. Joh. 7, 46. 1 Cor. 2, 4. [t] v. 1—4. Marc. 1, 40—45. Luc. 5, 12—14.

Cap. VII. 16. de tribolis (*rectius ad Graecum*). 17. fructus malos. 18. fructus malos; *ibid.* fructus bonos. 19. exciditur; *ibid.* mittitur. 25. inruerunt; *ibid.* supra petram. 26. supra arena. 27. et inruerunt; ruina ejus. 28. ammirabantur; *ibid.* super doctrinam ejus. 29. non sicut (*deest* et).

4. Et ait illi Jesus: Vide! nemini dixeris[u]; sed vade, ostende te sacerdoti[v], et offer munus, quod praecepit Moyses[w], in testimonium illis.

5. [x]Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogans eum,

6. et dicens: Domine! puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur.

7. Et ait illi Jesus: Ego veniam, et curabo eum.

8. Et respondens Centurio ait: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.

9. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic: Vade! et vadit; et alii, Veni! et venit; et servo meo: Fac hoc! et facit.

10. Audiens autem Jesus miratus est, et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel!

11. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno coelorum[y];

12. Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores[z]; ibi erit fletus, et stridor dentium!

13. Et dixit Jesus Centurioni: Vade! et sicut credidisti, fiat tibi[a]. Et sanatus est puer in illa hora.

14. [b]Et cum venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem, et febricitantem,

15. et tetigit manum ejus, et dimisit eam febris; et surrexit, et ministrabat eis.

16. Vespere autem facto, obtulerunt ei multos daemonia habentes; et ejiciebat spiritus verbo; et omnes male habentes curavit;

17. Ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: „Ipse infirmitates nostras accepit, et aegrotationes nostras portavit[c].“

18. Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit ire trans fretum[d].

19. [e]Et accedens unus Scriba, ait illi: Magister! sequar te, quocumque ieris.

20. Et dicit ei Jesus: Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet[f].

21. Alius autem de discipulis ejus ait illi: Domine! permitte me primum ire, et sepelire patrem meum.

22. Jesus autem ait illi: Sequere me, et dimitte mortuos[g] sepelire mortuos suos!

23. [h]Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus.

24. Et ecce! motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus; ipse vero dormiebat.

[u] c. 9, 30. 12, 16. Marc. 3, 12. 5, 43. 7, 36. [v] Luc. 17, 14. [w] Lev. 14, 2. etc. [x] v. 5—13. Luc. 7, 1—10. [y] Mal. 1, 11. Luc. 13, 28. 29. [z] c. 21, 43. 22, 13. 25, 30. [a] c. 9, 29. 15, 28. Marc. 9, 23. [b] v. 14—17. Marc. 1, 29—34. Luc. 4, 38—41.

[c] Jes. 53, 4. [d] Marc. 4, 35. Luc. 8, 22. [e] v. 19—22. Luc. 9, 57—62. [f] 2 Cor. 8, 9. [g] 1 Tim. 5, 6. Apoc. 3, 1. Eph. 2, 1. sqq. [h] v. 23—27. Marc. 4, 36—41. Luc. 8, 22—25.

Cap. VIII. 4. Moses. 7. ait illi Jesus (*deest* et). 9. homo sum sub potestate (*deest* constitutus); *ibid.* et alio (*sic*) veni. 10. Israhel (*ita constantissime*). 13. in hora illa. 16. optulerunt ei. 17. egrotationes (*deest* nostras).

25. Et accesserunt ad eum discipuli ejus, et suscitaverunt eum, dicentes: Domine! salva nos, perimus.

26. Et dicit eis Jesus: Quid timidi estis, modicae fidei? Tunc surgens, imperavit ventis et mari; et facta est tranquillitas magna.

27. Porro homines mirati sunt dicentes: Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?

28. [i]Et cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes daemonia, de monumentis exeuntes, saevi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam.

29. Et ecce! clamaverunt dicentes: Quid nobis et tibi, Jesu fili Dei[k]? Venisti huc ante tempus torquere nos?

30. Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pascens.

31. Daemones autem rogabant eum dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.

32. Et ait illis: Ite! At illi exeuntes abierunt in porcos, et ecce! impetu abiit totus grex per praeceps in mare; et mortui sunt in aquis.

33. Pastores autem fugerunt; et venientes in civitatem, nuntiaverunt omnia, et de eis, qui daemonia habuerant.

34. Et ecce! tota civitas exiit obviam Jesu; et viso eo rogabant, ut transiret a finibus eorum.

[i] v. 28—34. Marc. 5, 1—17. Luc. 8, 26—37. [k] Luc. 4, 41.

CAP. IX.

Paralyticus. Matthaei vocatio. Responsum Pharisaeis et discipulis Baptistae datum. Haemorrhoyssa. Puellae mortuae vita, caecis duobus visus, et daemoniaco muto loquela et sanitas reddita.

1. [l]Et ascendens in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam.

2. Et ecce! offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide, fili! remittuntur tibi peccata tua.

3. Et ecce! quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat!

4. Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum[m], dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?

5. Quid est facilius, dicere: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: Surge, et ambula?

6. Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge! tolle lectum tuum, et vade in domum tuam!

7. Et surrexit, et abiit in domum suam.

8. Videntes autem turbae timuerunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

9. [n]Et cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthaeum nomine. Et ait illi: Sequere me! Et surgens secutus est eum.

[l] v. 1—8. Marc. 2, 1—12. Luc. 5, 17—26. [m] Marc. 2, 8. Luc. 6, 8. Joh. 2, 24. etc. [n] v. 9—17. Marc. 2, 13—22. Luc. 5, 27—39.

Cap. VIII. 25. et accesserunt et suscitaverunt eum dicentes. 26. dicit eis (*deest* Jesus); *ibid.* increpavit vento. 27. et venti et mare oboediunt ei. 30. grex porcorum multorum pascens. 31. si ejicis nos, mitte. 33. et de his. IX. 2. confide filii. 5. peccata aut dicere. 6. ut sciatis autem, quoniam. 9. teloneo; *ibid.* Mattheum.

10. Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani, et peccatores venientes, discumbebant cum Jesu, et discipulis ejus.

11. Et videntes Pharisaei, dicebant discipulis ejus: Quare cum publicanis et peccatoribus[o] manducat Magister vester?

12. At Jesus audiens, ait: Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.

13. Euntes autem discite, quid est: „Misericordiam volo, et non sacrificium[p].“ Non enim veni vocare justos, sed peccatores.

14. Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis, dicentes: Quare nos, et Pharisaei, jejunamus frequenter; discipuli autem tui non jejunant?

15. Et ait illis Jesus: Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus; et tunc jejunabunt.

16. Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus; tollit enim plenitudinem ejus a vestimento, et pejor scissura fit.

17. Neque mittunt vinum novum in utres veteres; alioquin rumpuntur utres, et vinum effunditur, et utres pereunt, sed vinum novum in utres novos mittunt, et ambo conservantur.

18. [q]Haec illo loquente ad eos, ecce! princeps unus accessit, et adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet.

[o] c. 11, 19. Luc. 15, 2. 19, 7. [p] c. 12, 7. 23, 23. Hos. 6, 6. 1 Reg. 15, 22. [q] v. 18—26. Marc. 5, 22—43. Luc. 8, 41—56.

19. Et surgens Jesus, sequebatur eum, et discipuli ejus.

20. Et ecce mulier, quae sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus.

21. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero[r].

22. At Jesus conversus, et videns eam, dixit: Confide, filia! fides tua te salvam fecit[s]. Et salva facta est mulier ex illa hora.

23. Et cum venisset Jesus in domum principis, et vidisset tibicines[t] et turbam tumultuantem, dicebat:

24. Recedite! non est enim mortua puella, sed dormit[u]. Et deridebant eum.

25. Et cum ejecta esset turba, intravit, et tenuit manum ejus, et surrexit puella.

26. Et exiit fama haec in universam terram illam[v].

27. Et transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo caeci, clamantes, et dicentes: Miserere nostri, fili David!

28. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum caeci. Et dicit eis Jesus: Creditis, quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Utique, Domine!

29. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis.

30. Et aperti sunt oculi eorum; et comminatus est illis Jesus, dicens: Videte, ne quis sciat[w].

31. Illi autem exeuntes, diffamaverunt eum in tota terra illa.

[r] c. 14, 36. Marc. 3, 10. 6, 56. Luc. 6, 19. [s] Luc. 17, 19. [t] 2 Par. 35, 25. Jer. 9, 17. [u] Joh. 11, 11. sqq. [v] Luc. 7, 17. [w] c. 8, 4.

Cap. IX. 12. medico. 18. dicens (*omiss.* Domine); *ibid.* manum (*deest* tuam). 27. filii. 28. possum hoc facere vobis. 30. oculi illorum.

32. Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum [x], daemonium habentem.

33. Et ejecto daemonio, locutus est mutus, et miratae sunt turbae, dicentes: Nunquam apparuit sic in Israel!

34. Pharisaei autem dicebant: In principe daemoniorum ejicit daemones [y].

35. Et circuibat Jesus omnes civitates et castella, docens in synagogis eorum, et praedicans evangelium regni, et curans omnem languorem, et omnem infirmitatem [z].

36. Videns autem turbas, misertus est eis; quia erant vexati, et jacentes sicut oves non habentes pastorem.

37. Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci [a].

38. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

CAP. X.

Apostolorum nomina. Christi eos dimittentis in provincias oratio.

1. [b] Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem [c].

2. Duodecim autem Apostolorum nomina sunt haec [d]: Primus, Simon, qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus;

3. Jacobus Zebedaei, et Joannes frater ejus; Philippus, et Bartholomaeus; Thomas et Matthaeus publicanus; Jacobus Alphaei, et Thaddaeus;

4. Simon Chananaeus, et Judas Iscariotes, qui et tradidit eum.

5. Hos duodecim misit Jesus, praecipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis.

6. Sed potius ite ad oves, quae perierunt, domus Israel [e].

7. Euntes autem praedicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum coelorum.

8. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones ejicite [f]; gratis accepistis, gratis date.

9. [g] Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris;

10. non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam; dignus enim est operarius cibo suo [h].

11. In quamcunque autem civitatem aut castellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit; et ibi manete, donec exeatis [i].

12. Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui!

13. Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra

[x] c. 12, 22. Luc. 11, 14. [y] c. 12, 24. Marc. 3, 22. Luc. 11, 14. 15. [z] c. 4, 23. Marc. 6, 7. Luc. 13, 22. Act. 10, 38. [a] Luc. 10, 2. [b] v. 1—4. Marc. 3, 14—19. Luc. 6, 13—16. [c] Marc. 6, 7. Luc. 9, 1—6. [d] Act. 1, 13.

[e] c. 15, 24. Act. 13, 46. [f] Marc. 16, 17. 18. [g] v. 9—13. Marc. 6, 8—13. Luc. 9, 3. 10, 4. [h] Luc. 10, 7. [i] Luc. 10, 7.

Cap. IX. 32. ecce optulerunt. 33. et ejecto daemone. 35. circumibat; *ibid.* civitates omnes. X. 1. inmundorum. 3. et Jacobus Zebedaei. 4. Simon Cananeus; *ibid.* Scariotes. 5. praecipiens eis et dicens. 7. adpropinquavit. 11. in quamcunque civitatem; *ibid.* quis in eam (*sic*) dignus. 13. domus digna; *ibid.* veniat.

super eam; si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos[k].

14. Et quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros; exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris[l].

15. Amen dico vobis: Tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorrhaeorum in die judicii, quam illi civitati[m].

16. Ecce! ego mitto vos sicut oves in medio luporum[n]. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae.

17. Cavete autem ab hominibus! tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos[o];

18. et ad praesides[p], et ad reges[q] ducemini propter me, in testimonium illis, et gentibus.

19. Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.

20. Non enim vos estis, qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis[r].

21. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium; et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient.

22. Et eritis odio omnibus propter nomen meum; qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit[s].

[k] Luc. 10, 5. sqq. [l] Luc. 9, 5. Act. 13, 51. 18, 6. [m] c. 11, 22—24. [n] Luc. 10, 3. [o] c. 24, 9. Marc. 13, 9. Luc. 21, 12. sqq. Act. 5, 40. 12, 1. sqq. [p] Act. 23, 33. [q] Act. 26, 1. sqq. [r] Marc. 13, 11. Luc. 12, 11. 21, 15. Act. 4, 8. 2, 4. [s] Marc. 13, 13. Luc. 22, 30.

23. Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis: Non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis.

24. Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum[t].

25. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus; et servo, sicut dominus ejus. Si patremfamilias Beelzebub[u] vocaverunt; quanto magis domesticos ejus?

26. Ne ergo timueritis eos. [v]Nihil enim est opertum, quod non revelabitur; et occultum, quod non scietur.

27. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, praedicate super tecta.

28. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.

29. Nonne duo passeres asse vaeneunt; et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro?

30. Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.

31. Nolite ergo timere; multis passeribus meliores estis vos.

32. Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est.

33. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego

[t] Joh. 13, 16. 15, 20. [u] c. 9, 34. Joh. 8, 48. 10, 20. [v] v. 26—32. Marc. 4, 22. Luc. 8, 17. Luc. 12, 1—9.

Cap. X. 13. ad vos revertatur. 14. de civitate; *ibid. in fine additum:* in testimonio eorum, *in Vulg. deest.* 18. ducimini. 22. perseveraverit in finem. 23. amen enim dico. 25. et servus. 26. quod non sciatur. 28. eum timete. 29. veniunt. 30. et capilli. 32. qui est in coelis.

eum coram Patre meo, qui in coelis est[w].

34. [x]Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram; non veni pacem mittere, sed gladium.

35. Veni enim separare[y] hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam;

36. et inimici hominis, domestici ejus.

37. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus; et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus[z].

38. Et qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus[a].

39. Qui invenit animam suam, perdet illam; et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

40. Qui recipit vos, me recipit; et qui me recipit, recipit eum[b], qui me misit.

41. Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet; et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.

42. Et quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli; amen dico vobis, non perdet mercedem suam[c].

[w] Marc. 8, 38. Luc. 9, 26. 12, 8. 9. 2 Tim. 2, 12. [x] v. 34 — 36. Luc. 12, 49—53. [y] v. 21. [z] Luc. 14, 26. [a] v. 38. 39. 16, 24. sqq. Marc. 8, 34. sqq. Luc. 9, 23. sqq. Joh. 12, 25. [b] Luc. 10, 16. Joh. 13, 20. [c] Marc. 9, 41. Matth. 25, 40.

CAP. XI.

Christus Joanni respondens, eum praedicat, Judaeos reprehendit, Patrem laudat, ad labores evangelicos invitat.

1. Et factum est, cum consummasset Jesus, praecipiens duodecim discipulis suis, transiit inde, ut doceret, et praedicaret in civitatibus eorum.

2. [d]Joannes autem, cum audisset in vinculis[e] opera Christi, mittens duos de discipulis suis,

3. ait illi: Tu es, qui venturus es? an alium exspectamus?

4. Et respondens Jesus, ait illis: Euntes renuntiate Joanni, quae audistis, et vidistis:

5. caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt[f], pauperes evangelizantur;

6. et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me[g].

7. Illis autem abeuntibus, coepit Jesus dicere ad turbas de Joanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?

8. Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce! qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.

9. Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, et plus quam prophetam[h]!

10. Hic est enim, de quo scriptum est: „Ecce! ego mitto an„gelum meum ante faciem tuam, „qui praeparabit viam tuam ante „te[i].“

11. Amen dico vobis: Non sur-

[d] Matth. 14, 3. sqq. [e] v. 2—19. Luc. 7, 18—35. [f] c. 15, 30. Luc. 7, 11. sqq. [g] c. 13, 56. sqq. Joh. 6, 66. 1 Cor. 1, 23. [h] Luc. 1, 76. [i] Mal. 3, 1. 4, 5. Marc. 1, 2.

Cap. X. 34. venerim mittere pacem. 37. patrem et matrem.

rexit inter natos mulierum major Joanne Baptista; qui autem minor est in regno coelorum, major est illo.

12. A diebus autem Joannis Baptistae usque nunc regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud[k].

13. Omnes enim prophetae et lex, usque ad Joannem, prophetaverunt.

14. Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est[l].

15. Qui habet aures audiendi, audiat.

16. Cui autem similem aestimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coaequalibus,

17. dicunt: Cecinimus vobis, et non saltastis; lamentavimus, et non planxistis.

18. Venit enim Joannes neque manducans neque bibens[m], et dicunt: Daemonium habet!

19. Venit filius hominis manducans et bibens, et dicunt[n]: Ecce! homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus. Et justificata est sapientia a filiis suis.

20. Tunc coepit exprobrare civitatibus, in quibus factae sunt plurimae virtutes ejus; quia non egissent poenitentiam.

21. [o]Vae tibi, Corozain! vae tibi Bethsaida! quia, si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis; olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent.

22. Verumtamen dico vobis: Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis[p].

23. Et tu Capharnaum! numquid usque in coelum exaltaberis? Usque in infernum descendes! Quia, si in Sodomis factae fuissent virtutes, quae factae sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem.

24. Verumtamen dico vobis: Quia terrae Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi[q].

25. In illo tempore respondens Jesus dixit[r]: Confiteor tibi, Pater! Domine coeli et terrae! quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.

26. Ita Pater! quoniam sic fuit placitum ante te.

27. Omnia mihi tradita sunt[s] a Patre meo; et nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare[t].

28. Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos[u].

29. Tollite jugúm meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris.

30. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve[v].

CAP. XII.

Christus discipulos excusat; manum aridam et daemoniacum mutum ac caecum sanat; Pharisaeis et Scribis respondet.

1. In illo tempore[w] abiit Jesus per sata sabbato; discipuli autem

[k] Luc. 16, 16. [l] c. 17, 12. Marc. 9, 11. sqq. Luc. 1, 17. [m] c. 3, 4. Luc. 7, 33. [n] c. 9, 11. [o] v. 21—23. Luc. 10, 13—15.

[p] c. 10, 15. [q] Luc. 12, 47. Joh. 15, 22. [r] v. 25—27. Luc. 10, 21. sqq. 1 Cor. 1, 27. [s] c. 28, 18. Joh. 3, 35. 17, 2. Eph. 1, 22. Phil. 2, 9—11. [t] Joh. 1, 18. 7, 28. 29. [u] Jer. 31, 25. [v] c. 23, 4. 1 Joh. 5, 3. Jer. 6, 16. [w] Marc. 2, 23—28. Luc. 6, 1—5.

Cap. XI. 11. qui autem minor est in regno coelorum major est illo (*sine distinctione*). 14. Helias. 21. Chorozaim. 23. hunc diem. XII. 1. sabbatho per sata.

ejus esurientes, coeperunt vellere spicas[x], et manducare.

2. Pharisaei autem videntes, dixerunt ei: Ecce! discipuli tui faciunt, quod non licet facere sabbatis.

3. At ille dixit eis: Non legistis, quid fecerit David[y], quando esuriit, et qui cum eo erant:

4. Quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis[z] comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus[a]?

5. Aut non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant[b], et sine crimine sunt?

6. Dico autem vobis, quia templo major est hic.

7. Si autem sciretis, quid est: „Misericordiam volo, et non sa„crificium[c];“ nunquam condemnassetis innocentes.

8. Dominus enim est Filius hominis etiam sabbati.

9. Et cum inde transiisset[d], venit in synagogam eorum.

10. Et ecce! homo manum habens aridam; et interrogabant eum, dicentes: Si licet sabbatis curare[e]? ut accusarent eum.

11. Ipse autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, et si ceciderit haec sabbatis in foveam, nonne tenebit, et levabit eam?

12. Quanto magis melior est homo ove? Itaque licet sabbatis benefacere.

13. Tunc ait homini: Extende manum tuam! Et extendit, et restituta est sanitati sicut altera.

14. Exeuntes autem Pharisaei, consilium faciebant adversus eum[f], quomodo perderent eum.

15. Jesus autem sciens recessit inde; et secuti sunt eum multi, et curavit eos omnes,

16. et praecepit eis, ne manifestum eum facerent[g];

17. ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam, dicentem:

18. „Ecce puer meus, quem „elegi, dilectus meus, in quo bene „complacuit animae meae. Po„nam spiritum meum super eum, „et judicium gentibus nuntiabit.“

19. „Non contendet, neque „clamabit, neque audiet aliquis „in plateis vocem ejus;

20. „arundinem quassatam „non confringet, et linum fumi„gans non extinguet[h], donec „ejiciat ad victoriam judicium;

21. „et in nomine ejus gentes „sperabunt.“[i]

22. [k] Tunc oblatus est ei daemonium habens, caecus, et mutus, et curavit eum ita, ut loqueretur, et videret.

23. Et stupebant omnes turbae, et dicebant: Numquid hic est filius David[l]?

24. Pharisaei autem audientes, dixerunt: Hic non ejicit daemones, nisi in Beelzebub[m] principe daemoniorum.

25. Jesus autem sciens[n] cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum divisum contra se, deso-

[x] Deut. 23, 25. [y] 1 Reg. 21, 6. [z] Levit. 24, 5—9. [a] Exod. 29, 32. sqq. [b] Numer. 28, 9. 10. [c] Hos. 6, 6. 1 Reg. 15, 22. [d] v. 9—14. Marc. 3, 1—6. Luc. 6, 6—11. [e] Luc. 13, 14. 14, 3. Joh. 9, 16.

[f] Joh. 5, 18. 11, 53. [g] c. 8, 4. 9, 30. [h] Ez. 34, 16. [i] Jes. 42, 1. sqq. [k] v. 22—32. Marc. 3, 20—30. Luc. 11, 14—23. [l] c. 9, 27. [m] c. 9, 34. [n] c. 9, 4.

Cap. XII. 14. quomodo eum perderent. 17. Esaiam. 18. bene placuit. 24. principem (*sic*) daemoniorum (*gravis lectio in loci interpretatione, nisi errorem subesse rectius dixeris*).

labitur; et omnis civitas, vel domus divisa contra se, non stabit.

26. Et si satanas satanam ejicit, adversus se divisus est; Quomodo ergo stabit regnum ejus?

27. Et si ego in Beelzebub ejicio daemones; filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt!

28. Si autem ego in spiritu Dei ejicio daemones; igitur pervenit in vos regnum Dei.

29. At quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem? et tunc domum illius diripiet.

30. Qui non est mecum, contra me est; et qui non congregat mecum, spargit[o].

31. Ideo dico vobis: Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus; Spiritus autem blasphemia non remittetur.

32. Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro[p].

33. Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, et fructum ejus malum; siquidem ex fructu arbor agnoscitur.

34. Progenies viperarum! quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur.

35. Bonus homo de bono thesauro profert bona; et malus homo de malo thesauro profert mala[q].

[o] Marc. 9, 40. [p] Luc. 12, 10. Hebr. 6, 4—6. 10, 26. [q] Luc. 6, 45.

36. Dico autem vobis: Quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.

37. Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.

38. [r] Tunc responderunt ei quidam de Scribis et Pharisaeis, dicentes: Magister! volumus a te signum[s] videre.

39. Qui respondens, ait illis: Generatio mala et adultera signum quaerit; et signum non[t] dabitur ei, nisi signum Jonae Prophetae.

40. Sicut enim fuit Jonas[u] in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus, et tribus noctibus.

41. Viri Ninivitae surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam; quia poenitentiam egerunt in praedicatione Jonae[v]. Et ecce! plus quam Jonas hic.

42. Regina austri surget in judicio cum generatione ista, et condemnabit eam; quia venit[w] a finibus terrae audire sapientiam Salomonis, et ecce! plus quam Salomon hic.

43. [x] Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quaerens requiem, et non invenit,

44. tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi; et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, et ornatam.

45. Tunc vadit, et assumit se-

[r] v. 38—42. Luc. 11, 29—32. [s] c. 16, 1. Marc. 8, 11. Joh. 6, 30. [t] c. 13, 58. 16, 4. [u] Jon. 2, 1. [v] Jon. 3, 5. [w] 3 Reg. 10, 1. 2 Par. 9, 1. [x] v. 43—45. Luc. 11 24—26.

Cap. XII. 26. satanan. 27. erunt vestri. 29. diripiat. 41. Ninevitae; *ibid.* Jona. 44. invenit vacantem.

ptem alios spiritus secum nequiores se, et intrantes habitant ibi; et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Sic erit et generationi huic pessimae.

46. [y] Adhuc eo loquente ad turbas, ecce! mater ejus et fratres stabant foris, quaerentes loqui ei.

47. Dixit autem ei quidam: Ecce! mater tua, et fratres[z] tui foris stant, quaerentes te.

48. At ipse respondens dicenti sibi ait: Quae est mater mea? et qui sunt fratres mei?

49. Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce! mater mea, et fratres mei.

50. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.

CAP. XIII.

Parabolae seminantis, lolii, grani sinapis, fermenti, thesauri, margaritae, sagenae. Jesus in patria despectus.

1. [a] In illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare.

2. Et congregatae sunt ad eum turbae multae, ita ut in naviculam ascendens sederet; et omnis turba stabat in littore.

3. Et locutus est eis multa in parabolis, dicens: Ecce! exiit, qui seminat, seminare;

4. et dum seminat, quaedam ceciderunt secus viam; et venerunt volucres coeli, et comederunt ea.

5. Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam; et continuo exorta sunt; quia non habebant altitudinem terrae.

6. Sole autem orto aestuaverunt; et quia non habebant radicem, aruerunt.

7. Alia autem ceciderunt in spinas; et creverunt spinae, et suffocaverunt ea.

8. Alia autem ceciderunt in terram bonam; et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.

9. Qui habet aures audiendi, audiat!

10. Et accedentes discipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis?

11. Qui respondens, ait illis: Quia vobis datum est nosse mysteria regni coelorum; illis autem non est datum[b].

12. Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit; qui autem non habet, et quod habet, auferetur ab eo[c].

13. Ideo in parabolis loquor eis; quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt.

14. Et adimpletur in eis prophetia Isaiae dicentis: „Audi„tu audietis, et non intelligetis: „et videntes videbitis, et non vi„debitis."

15. „Incrassatum est enim cor „populi hujus, et auribus gravi„ter audierunt, et oculos suos „clauserunt: ne quando videant „oculis, et auribus audiant, et

[y] v. 46—50. Marc. 3, 31—35. Luc. 8, 19—21. [z] c. 13, 55. Marc. 6, 3. [a] v. 1—23. Marc. 4, 1—20. Luc. 8, 4—15.

[b] c. 11, 25. Joh. 15, 15. [c] c. 25, 29. Joh. 15, 2.

Cap. XII. 48. at ille. 49. in discipulos (*deest* suos). 50. meus et frater. XIII. 5. ubi non habebat. 7. alia vero. 8. tricesimum. 10. loqueris (*deest* eis). 13. non audient neque intellegunt. 14. ut adimpleretur eis prophetia Esaiae; *ibid.* intellegetis. 15. oculis videant — intellegant (intellegere *constanter*).

„corde intelligant, et convertan-
„tur, et sanem eos.“[d]
16. Vestri autem beati oculi, quia vident; et aures vestrae, quia audiunt[e].
17. Amen quippe dico vobis: Quia multi prophetae[f] et justi cupierunt videre, quae videtis, et non viderunt; et audire, quae auditis, et non audierunt.
18. Vos ergo audite parabolam seminantis.
19. Omnis, qui audit verbum regni, et non intelligit, venit malus, et rapit, quod seminatum est in corde ejus; hic est, qui secus viam seminatus est.
20. Qui autem super petrosa seminatus est; hic est, qui verbum audit, et continuo cum gaudio accipit illud;
21. non habet autem in se radicem, sed est temporalis. Facta autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalizatur.
22. Qui autem seminatus est in spinis; hic est, qui verbum audit, et solicitudo saeculi istius, et fallacia divitiarum, suffocat verbum, et sine fructu efficitur.
23. Qui vero in terram bonam seminatus est; hic est, qui audit verbum, et intelligit, et fructum affert, et facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimum.
24. Aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile factum est regnum coelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo[g].

[d] Jes. 6, 9. 10. Joh. 12, 40. Act. 28, 26. Rom. 11, 8. [e] Luc. 10, 23. 24. [f] 1 Petr. 1, 10. sqq. [g] Marc. 4, 26.

25. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit.
26. Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset; tunc apparuerunt et zizania.
27. Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei: Domine! nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania?
28. Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis, imus, et colligimus ea?
29. Et ait: Non! ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum.
30. Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum.
31. [h] Aliam parabolam proposuit eis dicens: Simile est regnum coelorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo;
32. quod minimum quidem est omnibus seminibus; cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor; ita ut volucres coeli veniant, et habitent in ramis ejus.
33. Aliam[i] parabolam locutus est eis: Simile est regnum coelorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinae satis tribus, donec fermentatum est totum.
34. Haec omnia locutus est

[h] v. 31. 32. Marc. 4, 30—32. Luc. 13, 18. sq. [i] Luc. 13, 21.

Cap. XIII. 22. est seminatus. 23. in terra bona seminatus est, *ibid.* et facit aliud quidem centum, aliud autem sexaginta, porro aliud triginta. 29. et triticum cum eis. 30. alligate ea fasciculos. 32. holeribus.

Jesus in parabolis ad turbas; et sine parabolis non loquebatur eis[k];

35. ut impleretur, quod dictum erat per Prophetam dicentem: „Aperiam in parabolis os meum, „eructabo abscondita a constitu- „tione mundi.“[l]

36. Tunc, dimissis turbis, venit in domum; et accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri.

37. Qui respondens ait illis: Qui seminat bonum semen, est Filius hominis.

38. Ager autem est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii regni[m]. Zizania autem, filii sunt nequam[n].

39. Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus. Messis vero, consummatio saeculi est. Messores autem, angeli sunt.

40. Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburuntur; sic erit in consummatione saeculi.

41. Mittet filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos, qui faciunt iniquitatem,

42. et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, et stridor dentium.

43. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum[o]. Qui habet aures audiendi, audiat!

44. Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, et prae gaudio illius vadit, et vendit universa, quae habet, et emit agrum illum.

45. Iterum simile est regnum coelorum homini negotiatori, quaerenti bonas margaritas,

46. inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia, quae habuit, et emit eam.

47. Iterum simile est regnum coelorum sagenae missae in mare, et ex omni genere piscium congreganti[p],

48. quam, cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.

49. Sic erit in consummatione saeculi: exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum,

50. et mittent eos in caminum ignis; ibi erit fletus, et stridor dentium.

51. Intellexistis haec omnia? Dicunt ei: Etiam!

52. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno coelorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.

53. Et factum est, cum consummasset Jesus parabolas istas, transiit inde.

54. [q]Et veniens in patriam suam[r], docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur, et dicerent: Unde huic sapientia haec, et virtutes?

55. Nonne hic est fabri filius[s]? Nonne mater ejus dicitur Maria? et fratres[t] ejus, Jacobus et Joseph, et Simon, et Judas?

56. Et sorores ejus, nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista?

57. Et scandalizabantur in eo.

[k] Marc. 4, 33. sq. [l] Ps. 77, 2. [m] 1 Cor. 3, 9. [n] 1 Joh. 3, 8. [o] Dan. 12, 3.

[p] c. 22, 10. [q] v. 54 — 58. Marc. 6, 1—6. [r] c. 2, 23. [s] Luc. 4, 22. Joh. 6, 42. [t] c. 12, 46. sqq. Marc. 6, 3.

Cap. XIII. 34. non loquebatur eis dicens. 35. ut adimpleretur. 36. dissere. 37. respondens ait (*deest* illis). 43. qui habet aures, audiat. 47. ex omni (*deest* et). 50. et mittent ignis (*per errorem*) in caminum ignis. 54. et virtus.

Jesus autem dixit eis: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, et in domo sua[u].

58. Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum.

CAP. XIV.

Caput Joannis praemium puellae Herodis. Infirmi curati. Panes et pisces multiplicati. Petrus supra mare ambulat.

1. [v]In illo tempore audivit Herodes Tetrarcha famam Jesu,

2. et ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista[w]! ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo.

3. Herodes enim tenuit Joannem, et alligavit eum; et posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui.

4. Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi habere eam[x].

5. Et volens illum occidere, timuit populum; quia sicut prophetam eum habebant[y].

6. Die autem natalis Herodis saltavit filia Herodiadis in medio, et placuit Herodi.

7. Unde cum juramento pollicitus est ei dare, quodcunque postulasset ab eo.

8. At illa praemonita a matre sua, da mihi, inquit, hic in disco caput Joannis Baptistae!

9. Et contristatus est rex; propter juramentum autem, et eos, qui pariter recumbebant, jussit dari.

10. Misitque, et decollavit Joannem in carcere.

11. Et allatum est caput ejus in disco, et datum est puellae, et attulit matri suae.

12. Et accedentes discipuli ejus, tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud; et venientes nuntiaverunt Jesu.

13. [z]Quod cum audisset Jesus, secessit inde in navicula, in locum desertum seorsum; et cum audissent turbae, secutae sunt eum pedestres de civitatibus.

14. Et exiens vidit turbam multam, et misertus[a] est eis, et curavit languidos eorum.

15. Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus, et hora jam praeteriit; dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas.

16. Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire; date illis vos manducare!

17. Responderunt ei: Non habemus hic nisi quinque panes, et duos pisces[b].

18. Qui ait eis: Afferte mihi illos huc!

19. Et cum jussisset turbam discumbere super foenum, acceptis quinque panibus, et duobus piscibus, aspiciens in coelum benedixit, et fregit, et dedit discipulis panes, discipuli autem turbis.

20. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos.

21. Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis.

[u] Luc. 4, 24. Joh. 4, 44. [v] v. 1—12. Marc. 6, 14—29. Luc. 9, 7—9. 3, 19. 20. [w] c. 16, 14. [x] Levit. 18, 16. [y] c. 21. 26.

[z] v. 13—21. Marc. 6, 31—44. Luc. 9. 10—17. Joh. 6, 2—15. [a] c. 9, 36. [b] c. 15, 36.

Cap. XIV. 11. et tulit. 12. corpus (*deest* ejus). 18. illos mihi huc. 19. supra faenum.

22. [c]Et statim compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam, et praecedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.

23. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi[d].

24. Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus; erat enim contrarius ventus.

25. Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans super mare.

26. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est! Et prae timore clamaverunt[e].

27. Statimque Jesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam! ego sum, nolite timere.

28. Respondens autem Petrus dixit: Domine! si tu es, jube me ad te venire super aquas.

29. At ipse ait: Veni! Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam, ut veniret ad Jesum.

30. Videns vero ventum validum, timuit; et cum coepisset mergi, clamavit dicens: Domine! salvum me fac.

31. Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum, et ait illi: Modicae fidei! quare dubitasti?

32. Et cum ascendissent in naviculam, cessavit ventus.

33. Qui autem in navicula erant, venerunt, et adoraverunt eum, dicentes: Vere Filius Dei es!

34. Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesar.

[c] v. 22—36. Marc. 6, 45—56. Joh. 6, 15—21. [d] Luc. 6, 12. [e] Luc. 24, 37.

35. Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, et obtulerunt ei omnes male habentes;

36. et rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Et quicunque tetigerunt, salvi facti sunt.

CAP. XV.

Pharisaeorum falsae traditiones. Femina Chananaea. Infirmi sanati. Multiplicati iterum panes et pisces.

1. [f]Tunc accesserunt ad eum ab Ierosolymis Scribae, et Pharisaei, dicentes:

2. Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Non enim lavant manus suas, cum panem manducant.

3. Ipse autem respondens ait illis: Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit:

4. „Honora patrem, et matrem;“ et: „Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur[g].“

5. Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri, vel matri: Munus quodcunque est ex me, tibi proderit[h],

6. et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam. Et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.

7. Hypocritae! bene prophetavit de vobis Isaias, dicens:

8. „Populus hic labiis me ho-
„norat; cor autem eorum longe
„est a me.

9. „Sine causa autem colunt

[f] v. 1—20. Marc. 7, 1—23. [g] Exod. 20, 12. 21, 17. Lev. 20, 9. Deut. 5, 16. [h] Marc. 7, 11. 12.

Cap. XIV. 22. ascendere in navicula. 25. supra mare (*bis*). 26. supra mare. 28. venire ad te. 34. Gennesar. XV. 6. honorificavit; *ibid.* aut matrem (*deest* suam).

„me, docentes doctrinas, et man-„data hominum.“[i]

10. Et convocatis ad se turbis, dixit eis: Audite, et intelligite:

11. Non quod intrat in os, coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem[k].

12. Tunc accedentes discipuli ejus, dixerunt ei: Scis, quia Pharisaei, audito verbo hoc, scandalizati sunt?

13. At ille respondens ait: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur[l].

14. Sinite illos! caeci sunt, et duces caecorum. Caecus autem si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt.[m]

15. Respondens autem Petrus dixit ei: Edissere nobis parabolam istam.

16. At ille dixit: Adhuc et vos sine intellectu estis[n]?

17. Non intelligitis, quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur?

18. Quae autem procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem.

19. De corde enim exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae.

20. Haec sunt, quae coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

21. [o]Et egressus inde Jesus, secessit in partes Tyri et Sidonis.

22. Et ecce! mulier Chananaea a finibus illis egressa clamavit, dicens ei: Miserere mei Domine fili David! filia mea male a daemonio vexatur.

23. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli ejus rogabant eum, dicentes: Dimitte eam! quia clamat post nos.

24. Ipse autem respondens ait[p]: Non sum missus, nisi ad oves, quae perierunt domus Israel.

25. At illa venit, et adoravit eum, dicens: Domine! adjuva me.

26. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus[q].

27. At illa dixit: Etiam Domine! nam et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum.

28. Tunc respondens Jesus, ait illi: O mulier! magna est fides tua; fiat tibi, sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora.

29. Et cum transisset inde Jesus, venit secus mare Galilaeae; et ascendens in montem, sedebat ibi.

30. Et accesserunt ad eum turbae multae, habentes secum mutos, caecos, claudos, debiles, et alios multos; et projecerunt eos ad pedes ejus, et curavit eos,

31. ita ut turbae mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, caecos videntes; [r]et magnificabant Deum Israel.

32. [s]Jesus autem, convocatis discipulis suis, dixit: Misereor turbae, quia triduo jam perseverant mecum, et non habent, quod manducent; et dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via.

[i] Jes. 29, 13. [k] Rom. 14, 14. Tit. 1, 15. [l] Act. 5, 38. [m] c. 23, 16. Luc. 6, 39. [n] c. 16, 9. [o] v. 21—31. Marc. 7, 24—31.

[p] c. 10, 6. [q] c. 7, 6. [r] c. 11, 5. [s] v. 32—39. Marc. 8, 1—10.

Cap. XV. 12. audito verbo (*deest* hoc). 14. caeci sunt duces caecorum. 17. et in secessu. 22. dicens (*deest* ei). 28. filia illius. 30. clodos caecos. 31. clodos.

33. Et dicunt ei discipuli: Unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam?

34. Et ait illis Jesus: Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem, et paucos pisciculos.

35. Et praecepit turbae, ut discumberent super terram.

36. Et accipiens septem panes, et pisces, et gratias agens, fregit, et dedit discipulis suis, et discipuli dederunt populo[t].

37. Et comederunt omnes, et saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas.

38. Erant autem, qui manducaverunt, quatuor millia hominum, extra parvulos et mulieres.

39. Et, dimissa turba, ascendit in naviculam; et venit in fines Magedan.

CAP. XVI.

Pharisaeorum et Sadducaeorum fermentum. Petri confessio et merces. Mors et resurrectio Jesu ab eodem praedictae. A suo animo suisque rebus discedendum in causa Christi.

1. [u]Et accesserunt ad eum Pharisaei et Sadducaei tentantes; et rogaverunt eum, ut signum de coelo ostenderet eis.

2. At ille respondens, ait illis: Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim coelum[v];

3. et mane: Hodie tempestas, rutilat enim triste coelum.

4. Faciem ergo coeli dijudicare nostis; signa autem temporum non potestis scire[w]? Generatio mala et adultera signum quaerit; et signum non dabitur ei, nisi signum Jonae prophetae[x]. Et relictis illis, abiit.

5. Et cum venissent discipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere.

6. Qui dixit illis: Intuemini, et cavete a fermento Pharisaeorum et Sadducaeorum[y].

7. At illi cogitabant intra se dicentes: Quia panes non accepimus!

8. Sciens autem Jesus, dixit: Quid cogitatis intra vos, modicae fidei! quia panes non habetis?

9. Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, et quot cophinos sumpsistis[z]?

10. Neque septem panum in quatuor millia hominum, et quot sportas sumpsistis[a]?

11. Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis: Cavete a fermento Pharisaeorum et Sadducaeorum?

12. Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisaeorum et Sadducaeorum.

13. [b]Venit autem Jesus in partes Caesareae Philippi; et interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis?

14. At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam[c], alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis.

[t] c. 14, 19. [u] v. 1—12. Marc. 8, 11—21. [v] Luc. 12, 54.

[w] c. 11, 4. [x] c. 12, 39. sqq. [y] Luc. 12, 1. 1 Cor. 5, 6. [z] c. 14, 17. sqq. [a] c. 15, 34. sqq. [b] v. 13—28. Marc. 8, 27—39. Luc. 9, 18—27. [c] c. 14, 2.

Cap. XV. 34. panes habetis. XVI. 1. temtantes. 2. ait eis. 4. non potestis (*deest* scire); *ibid.* Jonae (*deest* prophetae). 7. inter se dicentes. 8. inter vos. 9. quinque panum quinque milia (*deest* in). 10. septem panum quattuor milia (*deest* in). 14. Hieremiam.

15. Dicit illis Jesus: Vos autem, quem me esse dicitis?

16. Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi[d]!

17. Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es, Simon Bar-Jona! quia caro et sanguis non revelavit[e] tibi, sed Pater meus, qui in coelis est.

18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus[f], et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; et portae inferi non praevalebunt adversus eam.

19. Et tibi dabo claves[g] regni coelorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis[h].

20. Tunc praecepit discipulis suis, ut nemini dicerent, quia ipse esset Jesus Christus.

21. Exinde coepit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Ierosolymam, et multa pati a Senioribus, et Scribis, et principibus Sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere[i].

22. Et assumens eum Petrus, coepit increpare illum dicens: Absit a te, Domine! non erit tibi hoc![k]

23. Qui conversus, dixit Petro: Vade post me, satana[l]! scandalum es mihi! quia non sapis ea, quae Dei sunt, sed ea, quae hominum.

24. Tunc Jesus dixit discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me[m].

25. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam[n].

26. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?

27. Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis; et tunc reddet unicuique secundum opera ejus[o].

28. Amen dico vobis: sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo[p].

CAP. XVII.

Christi transfiguratio. Joannes Elias redivivus. Lunaticus. Virtus fidei. Christi mors iterum praedicta. Didrachma. Stater in ore piscis inventus.

1. [q]Et post dies sex assumit Jesus Petrum, et Jacobum et Joannem fratrem ejus[r], et ducit illos in montem excelsum seorsum,

2. et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol; vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.

3. Et ecce! apparuerunt illis Moyses et Elias cum eo loquentes.

4. Respondens autem Petrus,

[d] Joh. 1, 49. 6, 68. sqq. [e] 1 Cor. 2, 14. 12, 3. 1 Joh. 4, 15. [f] Joh. 1, 42. [g] Jes. 22, 22. [h] c. 18, 18. Joh. 20, 23. [i] c. 17, 9. 22. 20, 18. sqq. 26, 32. Luc. 24, 46. Joh. 10, 17. sq. [k] Joh. 11, 8. [l] 2 Reg. 19, 22.

[m] c. 10, 38. sq. [n] Luc. 17, 33. Joh. 11, 25. [o] c. 25, 31. Act. 17, 31. [p] c. 26, 64. [q] v. 1 — 13. Marc. 9, 1 — 13. Luc. 9, 28—36. [r] c. 26, 37. Marc. 13, 3. Luc. 8, 51.

Cap. XVI. 17. dixit (*deest* ei). 19. ligatum in caelis; *ibid.* solutum in caelis. 21. Hierosolymam. 22. adsumens. 27. opus ejus. XVII. 1. adsumsit Jesus. 3. Moses et Helias.

dixit ad Jesum: Domine! bonum est nos hic esse; si vis, faciamus hic tria tabernacula: tibi unum, Moysi unum, et Eliae unum.

5. Adhuc eo loquente, ecce! nubes lucida obumbravit eos. Et ecce! vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite[s]!

6. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde.

7. Et accessit Jesus, et tetigit eos, dixitque eis: Surgite, et nolite timere!

8. Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum.

9. Et descendentibus illis de monte, praecepit eis Jesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat[t].

10. Et interrogaverunt eum discipuli, dicentes: Quid ergo Scribae dicunt, quod Eliam oporteat primum venire[u]?

11. At ille respondens, ait eis: Elias quidem venturus est, et restituet omnia.

12. Dico autem vobis, quia Elias jam venit[v], et non cognoverunt eum; sed fecerunt in eo, quaecumque voluerunt. Sic et Filius hominis passurus est ab eis.

13. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Joanne Baptista dixisset eis.

14. [w]Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum, dicens: Domine! miserere filio meo, quia lunaticus est, et male patitur; nam saepe cadit in ignem, et crebro in aquam.

15. Et obtuli eum discipulis tuis[x]; et non potuerunt curare eum.

16. Respondens autem Jesus, ait: O generatio incredula et perversa! quousque ero vobiscum? usquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me!

17. Et increpavit illum Jesus; et exiit ab eo daemonium; et curatus est puer ex illa hora.

18. Tunc accesserunt discipuli ad Jesum secreto, et dixerunt: Quare nos non potuimus ejicere illum?

19. Dixit illis Jesus: Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis: Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc! et transibit, et nihil impossibile erit vobis[y].

20. Hoc autem genus non ejicitur, nisi per orationem et jejunium.

21. [z]Conversantibus autem eis in Galilaea, dixit illis Jesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum;

22. et occident eum, et tertia die resurget[a]. Et contristati sunt vehementer.

23. Et cum venissent Capharnaum, accesserunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, et dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma[b]?

[s] Marc. 1, 11. 2 Petr. 1, 16. sqq. [t] c. 16, 21. [u] Mal. 4, 5. [v] c. 11, 10. 14. [w] v. 14—21. Marc. 9, 14—29. Luc. 9, 37—43.

[x] c. 10, 1. [y] c. 21, 21. Luc. 17, 6. 1 Cor. 13, 2. [z] v. 21. sqq. Marc. 9, 30—33. Luc. 9, 44. 45. [a] c. 16, 21. [b] Exod. 30, 13. sqq.

Cap. XVII. 4. et Mosi unum. 5. nubis lucida; *ibid.* complacuit. 9. praecepit (*deest* eis). 13. dixisset (*deest* eis). 14. filii mei. 16. respondens Jesus. 17. increpavit eum. 19. dicit illis; *ibid.* transi hinc et. 22. tertio die. 23. et dixerunt (*deest* ei).

24. Ait: Etiam! Et cum intrasset in domum, praevenit eum Jesus, dicens: Quid tibi videtur, Simon? Reges terrae, a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis? an ab alienis?

25. Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii.

26. Ut autem non scandalizemus[c] eos, vade ad mare, et mitte hamum; et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle; et aperto ore ejus, invenies staterem; illum sumens, da eis pro me et te.

CAP. XVIII.

De humilitate et scandalo. Parabola de ove perdita. Sermones de castigatione fraterna, de ligatione et solutione in terris atque coelis. De venia inferentibus injuriam danda. Parabola de rege rationem ineunte cum servis.

1. [d]In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in regno coelorum?

2. Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum,

3. Et dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum[e].

4. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste; hic est major in regno coelorum.

5. Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.

6. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt; expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris[f].

7. Vae mundo a scandalis! Necesse est enim, ut veniant scandala; verumtamen vae homini illi, per quem scandalum venit.

8. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te; abscide eum, et projice abs te! bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum[g].

9. Et si oculus tuus scandalizat te; erue eum, et projice abs te! bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

10. Videte! ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis: Quia angeli[h] eorum in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est.

11. Venit enim Filius hominis salvare, quod perierat[i].

12. Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oves, et erraverit una ex eis; nonne relinquit nonaginta novem in montibus, et vadit quaerere eam, quae erravit?

13. Et si contigerit, ut inveniat eam; amen dico vobis: Quia gaudet super eam magis, quam super nonaginta novem, quae non erraverunt.

14. Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in coelis est, ut pereat unus de pusillis istis.

15. Si autem peccaverit in te

[c] c. 3, 15. [d] v. 1—9. Marc. 9, 33—49. Luc. 9, 46—50. [e] c. 19, 14.

[f] Luc. 17, 2. [g] c. 5, 29. 30. [h] Ps. 33, 8. Hebr. 1, 14. [i] c. 9, 12. Luc. 15, 4. sqq. 19, 10. 1 Tim. 1, 15.

Cap. XVII. 24. cum intrasset domum. XVIII. 3. intrabitis in regno coelorum. 7. ab scandalis; *ibid.* homini per quem. 8. clodum. 9. uno oculo (*deest* cum). 12. relinquet. 13. gaudebit super ea.

frater tuus; vade, et corripe eum inter te et ipsum solum! Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum;[k]

16. si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum[l].

17. Quod si non audierit eos, dic ecclesiae! Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus[m].

18. Amen dico vobis: Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo[n].

19. Iterum dico vobis: Quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est[o];

20. ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum[p].

21. Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine! quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei[q]? usque septies?

22. Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.

23. Ideo assimilatum est regnum coelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.

24. Et cum coepisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.

25. Cum autem non haberet, unde redderet, jussit eum dominus ejus venumdari, et uxorem ejus, et filios, et omnia, quae habebat, et reddi.

26. Procidens autem servus ille, orabat eum dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi!

27. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei.

28. Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios; et tenens suffocabat eum, dicens: Redde, quod debes!

29. Et procidens conservus ejus, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi!

30. Ille autem noluit; sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum.

31. Videntes autem conservi ejus, quae fiebant, contristati sunt valde; et venerunt, et narraverunt domino suo omnia, quae facta fuerant.

32. Tunc vocavit illum dominus suus, et ait illi: Serve nequam! omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me;

33. nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?

34. Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.

35. Sic et Pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

[k] Luc. 17, 3. Gal. 6, 1. Jac. 5, 19. sq. [l] Deut. 19, 15. [m] 2 Thess. 3, 14. [n] c. 16, 19. [o] c. 7, 7. 8. [p] c. 28, 20. [q] c. 6, 14.

Cap. XVIII. 16. non te audierit; *ibid.* duorum testium vel trium. 23. adsimilatum. 24. qui debebat decem milia. 25. Dominus (*deest* ejus); *ibid.* et reddi debitum. 26. procedens. 31. quae facta erant.

CAP. XIX.

De matrimonio, de eunuchis, de divitiis.

1. [r]Et factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, migravit a Galilaea, et venit in fines Judaeae trans Jordanem,

2. et secutae sunt eum turbae multae, et curavit eos ibi.

3. Et accesserunt ad eum Pharisaei tentantes eum, et dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam, quacunque ex causa.

4. Qui respondens ait eis: Non legistis: Quia, qui fecit hominem ab initio, „masculum et feminam „fecit eos;" et dixit:

5. „Propter hoc dimittet homo „patrem et matrem, et adhaere„bit uxori suae, et erunt duo in „carne una[s]."

6. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.

7. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit[t] dare libellum repudii, et dimittere?

8. Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic.

9. Dico autem vobis: Quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur[u].

10. Dicunt ei discipuli ejus: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.

11. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est[v].

12. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt; et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus; et sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt[w] propter regnum coelorum. Qui potest capere, capiat!

13. [x]Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret. Discipuli autem increpabant eos.

14. Jesus vero ait eis: Sinite parvulos! et nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum coelorum[y].

15. Et cum imposuisset eis manus, abiit inde.

16. [z]Et ecce! unus accedens, ait illi: Magister bone! quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam?

17. Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus! Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata[a]!

18. Dicit illi: Quae? Jesus autem dixit: „Non homicidium fa„cies; Non adulterabis; Non fa„cies furtum; Non falsum testi„monium dices;

19. „Honora patrem tuum et „matrem tuam;" et, „Diliges pro„ximum tuum sicut te ipsum[b]."

20. Dicit illi adolescens: Omnia haec custodivi a juventute mea; quid adhuc mihi deest?

[r] v. 1—12. Marc. 10, 1—12. [s] Gen. 2, 24. [t] Deut. 24, 1. [u] c. 5, 32. Luc. 16, 18.

[v] 1 Cor. 7, 9. 17. [w] 1 Cor. 7, 27. [x] v. 13—15. Marc. 10, 13—16. Luc. 18, 15—17. [y] c. 18, 3. [z] v. 16—30. Marc. 10, 17—31. Luc. 18, 18—30. [a] Luc. 10, 26—28. [b] Exod. 20, 13—16. Levit. 19, 18.

Cap. XIX. 1. trans Jordanen. 4. fecit ab initio (*deest* hominem). 5. dimittit. 7. Moses. 8. non sic fuit. 10. homini cum muliere. 11. qui dixit (*deest* illis). 19. honora patrem et matrem (*absunt* tuam *et* tuam). 20. adulescens (*deest* a juventute mea).

21. Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes, et da pauperibus! et habebis thesaurum in coelo[c]: et veni, sequere me!

22. Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis; erat enim habens multas possessiones.

23. Jesus autem dixit discipulis suis: Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum coelorum[d].

24. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum coelorum.

25. Auditis autem his, discipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit salvus esse?

26. Aspiciens autem Jesus, dixit illis: Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt.

27. Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce! nos reliquimus omnia, et secuti sumus te; quid ergo erit nobis?

28. Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae[e], sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.

29. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.

30. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi[f].

[c] c. 6, 20. [d] c. 13, 22. [e] Luc. 22, 29. sq. Act. 3, 21. [f] c. 20, 16. Luc. 13, 30.

CAP. XX.

Parabola de hominibus operariis in vinea. Christi mala et mors iterum praedicuntur. De filiis Zebedaei eorumque matre. Narratio de caecis Jerichuntinis.

1. Simile est regnum coelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.

2. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.

3. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos,

4. et dixit illis: Ite et vos in vineam meam! et quod justum fuerit, dabo vobis.

5. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam et nonam horam; et fecit similiter.

6. Circa undecimam vero exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi?

7. Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite et vos in vineam meam!

8. Cum sero autem factum esset, dicit Dominus vineae procuratori suo: Voca operarios, et redde illis mercedem! incipiens a novissimis usque ad primos.

9. Cum venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios.

10. Venientes autem et primi, arbitrati sunt, quod plus essent accepturi; acceperunt autem et ipsi singulos denarios.

11. Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias,

12. dicentes: Hi novissimi una

Cap. XIX. 23. in regno coelorum. 25. mirabantur dicentes. 29. qui reliquit. XX. 1. simile et enim. 2. in vineam (*deest* suam). 4. illis dixit; *ibid.* vineam (*deest* meam). 7. vineam (*deest* meam).

hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et aestus!

13. At ille respondens uni eorum, dixit: Amice! non facio tibi injuriam; nonne ex denario convenisti mecum?

14. Tolle, quod tuum est, et vade! volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi.

15. Aut, non licet mihi, quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?

16. Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi[g]. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

17. [h]Et ascendens Jesus Ierosolymam, assumpsit duodecim discipulos secreto, et ait illis:

18. Ecce! ascendimus Ierosolymam, et Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, et Scribis, et condemnabunt eum morte;

19. et tradent eum gentibus[i] ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum, et tertia die resurget[k].

20. [l]Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedaei cum filiis suis adorans et petens aliquid ab eo.

21. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram, in regno tuo.

22. Respondens autem Jesus, dixit: Nescitis, quid petatis! Potestis bibere calicem[m], quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus!

23. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis; sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum, dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo[n].

24. Et audientes decem, indignati[o] sunt de duobus fratribus.

25. Jesus autem vocavit eos ad se, et ait: Scitis, quia principes gentium dominantur eorum; et qui majores sunt, potestatem exercent in eos.

26. Non ita erit inter vos; sed quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister[p];

27. et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus;

28. sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare[q], et dare animam suam, redemptionem pro multis[r].

29. [s]Et egredientibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa;

30. et ecce! duo caeci sedentes secus viam, audierunt, quia Jesus transiret, et clamaverunt, dicentes: Domine! miserere nostri, fili David!

31. Turba autem increpabat eos, ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine! miserere nostri, fili David!

32. Et stetit Jesus, et vocavit eos, et ait: Quid vultis, ut faciam vobis?

33. Dicunt illi: Domine! ut aperiantur oculi nostri.

34. Misertus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt, et secuti sunt eum.

[g] c. 19, 30. Luc. 13, 30. [h] v. 17—19. Marc. 10, 32—34. Luc. 18, 31—34. [i] c. 27, 2. [k] c. 16, 21. [l] v. 20—28. Marc. 10, 35—45. [m] Joh. 18, 11.

[n] c. 25, 34. [o] Luc. 22, 24. sqq. [p] c. 18, 4. 23, 11. [q] Joh. 13, 4. sqq. Phil. 2, 7. sqq. [r] c. 18, 11. Gal. 1, 4. Eph. 1, 7. 1 Petr. 1, 18. sqq. 1 Tim. 2, 6. [s] v. 29—34. Marc. 10, 46—52. Luc. 18, 35—43.

Cap. XX. 16. pauci autem. 17. Hierosolymis. 19. deludendum. 22. dicunt possumus. 23. et sinistram. 28. redemtionem. 29. Hiericho.

CAP. XXI.

Triumphans Christus ingreditur Ierosolymam. Venditores templo ejiciuntur. Ficus exarescit verbo Jesu. Principes sacerdotum confutantur. Parabolae de duobus filiis, et de homicidis vinitoribus.

1. [t]Et cum appropinquassent Ierosolymis, et venissent Bethphage ad montem Oliveti; tunc Jesus misit duos discipulos,

2. dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est! et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea; solvite, et adducite mihi!

3. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite: quia Dominus his opus habet; et confestim dimittet eos.

4. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem:

5. „Dicite filiae Sion: Ecce! „Rex tuus venit tibi mansuetus, „sedens super asinam, et pullum „filium subjugalis.[u]"

6. Euntes autem discipuli fecerunt, sicut praecepit illis Jesus;

7. et adduxerunt asinam et pullum; et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt.

8. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via; alii autem caedebant ramos de arboribus, et sternebant in via;

9. turbae autem, quae praecedebant, et quae sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio David! Benedictus, qui venit in nomine Domini; hosanna in altissimis!

10. Et cum intrasset Ierosolymam, commota est universa civitas, dicens: Quis est hic?

11. Populi autem dicebant: Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilaeae!

12. [v]Et intravit Jesus in templum Dei; et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo; et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit;

13. et dicit eis: Scriptum est: „Domus mea domus orationis „vocabitur;"[w]vos autem fecistis illam speluncam latronum!

14. Et accesserunt ad eum caeci et claudi in templo; et sanavit eos.

15. Videntes autem principes Sacerdotum, et Scribae mirabilia, quae fecit, et pueros clamantes in templo, et dicentes: Hosanna filio David! indignati sunt,

16. et dixerunt ei: Audis, quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis: Utique! Nunquam legistis: „Quia „ex ore infantium et lactentium „perfecisti laudem[x]?"

17. [y]Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam; ibique mansit.

18. Mane autem revertens in civitatem, esuriit.

19. Et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam; et nihil invenit in ea, nisi folia

[t] v. 1—11. Marc. 11, 1—10. Luc. 19, 29—44. Joh. 12, 12—15. [u] Zach. 9, 9. Jes. 62, 11.

[v] v. 12—16. Marc. 11, 15—18. Luc. 19, 45—48. [w] Jes. 56, 7. Jer. 7, 11. [x] Ps. 8, 3. [y] v. 17—22. Marc. 11, 11—14. 19—26.

Cap. XXI. 4. hoc autem factum est, ut impleretur. 5. et sedens; *ibid.* subjugalis filium (filium *minutis litteris serius accessit*). 7. super eis. 9. Osanna; *ibid.* qui venturus est. 11. populus autem dicebat. 16. dicant; *ibid.* dicit eis.

tantum, et ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum! Et arefacta est continuo ficulnea[*].

20. Et videntes discipuli, mirati sunt, dicentes: Quomodo continuo aruit!

21. Respondens autem Jesus, ait eis: Amen dico vobis, si habueritis fidem[a], et non haesitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed et si monti huic dixeritis: Tolle, et jacta te in mare! fiet.

22. Et omnia quaecunque petieritis in oratione credentes, accipietis[b].

23. [c]Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentem, principes Sacerdotum, et Seniores populi, dicentes: In qua potestate haec facis? Et quis tibi dedit hanc potestatem?

24. Respondens Jesus dixit eis: Interrogabo vos et ego unum sermonem; quem si dixeritis mihi, et ego vobis dicam, in qua potestate haec facio.

25. Baptismus Joannis unde erat? E coelo? an ex hominibus? At illi cogitabant inter se, dicentes:

26. Si dixerimus: e coelo; dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus: ex hominibus; timemus turbam; omnes enim habebant Joannem sicut prophetam[d].

27. Et respondentes Jesu, dixerunt: Nescimus! Ait illis et ipse: Nec ego dico vobis, in qua potestate haec facio.

28. Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, et accedens ad primum dixit: Fili! vade hodie, operare in vinea mea.

29. Ille autem respondens, ait: Nolo! Postea autem, poenitentia motus, abiit.

30. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo, domine! et non ivit.

31. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis Jesus: Amen dico vobis, quia publicani et meretrices praecedent vos in regnum Dei.

32. Venit enim ad vos Joannes in via justitiae[e], et non credidistis ei; publicani autem, et meretrices crediderunt ei; vos autem videntes, nec poenitentiam habuistis postea, ut crederetis ei.

33. [f]Aliam parabolam audite: Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et aedificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est.

34. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus.

35. Et agricolae, apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt.

36. Iterum misit alios servos plures prioribus, et fecerunt illis similiter[g].

37. Novissime autem misit ad

[*] Luc. 13, 6. 7. [a] c. 17, 19. [b] c. 7, 7. [c] v. 23—32. Marc. 11, 27—33. Luc. 20, 1—8. [d] c. 14, 5.

[e] c. 3, 1. sqq. c. 22, 16. v. 33—46. Marc. 12, 1—12. Luc. 20, 9—19. [f] Act. 7, 52.

Cap. XXI. 24. dixit illis. 26. Johannen. 27. haec faciam 30. non ibit. 31. dicunt novissimus; *ibid.* in regno Dei. 33. et saepe; *ibid.* turrem. 35. adprehensis.

eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum!

38. Agricolae autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est heres! venite, occidamus eum, et habebimus hereditatem ejus!

39. Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam et occiderunt.

40. Cum ergo venerit dominus vineae, quid faciet agricolis illis?

41. Ajunt illi: Malos male perdet; et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.

42. Dicit illis Jesus: Nunquam legistis in Scripturis: „Lapidem „quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli; a Domino factum est istud, „et est mirabile in oculis nostris?“ [h]

43. Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur [i] genti facienti fructus ejus.

44. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit, conteret eum.

45. Et cum audissent principes sacerdotum et Pharisaei parabolas ejus, cognoverunt, quod de ipsis diceret.

46. Et quaerentes eum tenere, timuerunt turbas; quoniam sicut prophetam eum habebant [k].

CAP. XXII.

Parabola de nuptiis regiis. Danda Caesari, quae sunt Caesaris. Mortuorum resurrectio. Summa legis. Messias Davidis filius et dominus.

1. [l] Et respondens Jesus, dixit iterum in parabolis eis, dicens:

[h] Ps. 118, 22. Act. 4, 11. seqq. [i] c. 8, 11. seq. c. 22, 8. seqq. Act. 13, 46. [k] Luc. 7, 16. [l] v. 1. sqq. Luc. 14, 16. sqq.

2. Simile factum est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.

3. Et misit servos suos, vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire.

4. Iterum misit alios [m] servos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata; venite ad nuptias!

5. Illi autem neglexerunt; et abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam.

6. Reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt.

7. Rex autem, cum audisset, iratus est; et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos; et civitatem illorum succendit.

8. Tunc ait servis suis: Nuptiae quidem paratae sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni.

9. Ite [n] ergo ad exitus viarum, et quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias!

10. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes [o], quos invenerunt, malos et bonos; et impletae sunt nuptiae discumbentium.

11. Intravit autem Rex, ut videret discumbentes; et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali,

12. et ait illi: Amice! quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.

13. Tunc dixit Rex ministris: Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exterio-

[m] c. 21, 36. [n] c. 21, 43. [o] c. 13, 47. seqq.

Cap. XXI. 41. vineam locabit (*deest* suam). XXII. 4. occisa (*deest* sunt). 6. contumelia. 13. pedibus ejus et manibus.

res; ibi erit fletus, et stridor dentium.
14. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi[p].
15. [q] Tunc abeuntes Pharisaei, consilium inierunt, ut caperent eum in sermone;
16. et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister! scimus, quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum;
17. dic ergo nobis: Quid tibi videtur, licet censum dare Caesari, an non?
18. Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis, hypocritae?
19. Ostendite mihi numisma census! At illi obtulerunt ei denarium.
20. Et ait illis Jesus: Cujus est imago haec, et superscriptio?
21. Dicunt ei: Caesaris! Tunc ait illis: Reddite ergo, quae sunt Caesaris, Caesari[r]; et quae sunt Dei, Deo!
22. Et audientes mirati sunt, et relicto eo, abierunt.
23. In illo die accesserunt ad eum Sadducaei, qui dicunt, non esse resurrectionem[s]; et interrogaverunt eum,
24. dicentes: Magister! Moyses dixit: „Si quis mortuus fue-„rit non habens filium, ut ducat „frater ejus uxorem illius, et su-„scitet semen fratri suo.[t]"
25. Erant autem apud nos septem fratres; et primus, uxore ducta, defunctus est; et non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo.
26. Similiter secundus, et tertius, usque ad septimum.
27. Novissime autem omnium et mulier defuncta est.
28. In resurrectione ergo cujus erit de septem uxor? Omnes enim habuerunt eam.
29. Respondens autem Jesus, ait illis: Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.
30. In resurrectione enim, neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut angeli Dei in coelo.
31. De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo dicente vobis:
32. „Ego sum Deus Abraham, „et Deus Isaac, et Deus Jacob?[u]" Non est Deus mortuorum, sed viventium.
33. Et audientes turbae, mirabantur in doctrina ejus.
34. [v] Pharisaei autem audientes, quod silentium imposuisset Sadducaeis, convenerunt in unum;
35. et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum:
36. Magister, quod est mandatum magnum in lege?
37. Ait illi Jesus: „Diliges Do-„minum Deum tuum ex toto cor-„de tuo, et in tota anima tua, et „in tota mente tua[w]."
38. Hoc est maximum, et primum mandatum.
39. Secundum autem simile est huic: „Diliges proximum „tuum, sicut te ipsum[x]."

p c. 20, 16. q v. 15 — 33. Marc. 12, 13—27. Luc. 20, 20—40. r Rom. 13, 7. s Act. 23, 8. t Deut. 25, 5.

u Exod. 3, 6. v v. 34—40. Marc. 12, 28—34. w Deut. 6, 5. x Lev. 19, 18. Matth. 7, 12. Rom. 13, 9.

Cap. XXII. 17. videatur. 19. nomisma *ibid.* optulerunt. 20. supra scriptio. 24. Moses (*ita semper*). 30. sed sunt. 37. ex tota anima. 38. hoc est enim.

40. In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetae.

41. [y] Congregatis autem Pharisaeis, interrogavit eos Jesus,

42. dicens: Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei: David[z]!

43. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens:

44. „Dixit Dominus Domino „meo; sede a dextris meis, donec „ponam inimicos tuos scabellum „pedum tuorum[a]?"

45. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?

46. Et nemo poterat ei respondere verbum; neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

CAP. XXIII.

Christi sermo de Scribis et Pharisaeis.

1. [b] Tunc Jesus locutus est ad turbas, et ad discipulos suos,

2. dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribae et Pharisaei;

3. Omnia ergo, quaecunque dixerint vobis, servate, et facite; secundum opera vero eorum nolite facere; dicunt enim, et non faciunt.

4. Alligant[c] enim onera gravia, et importabilia, et imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere.

5. Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur[d] ab hominibus; dilatant enim phylacteria[e] sua, et magnificant fimbrias[f].

6. Amant autem primos recubitus in coenis, et primas[g] cathedras in synagogis,

7. et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi.

8. Vos autem nolite vocari Rabbi; unus est enim Magister vester; omnes autem vos fratres estis.

9. Et patrem nolite vocare vobis super terram; unus est enim Pater vester, qui in coelis est.

10. Nec vocemini magistri; quia Magister vester unus est, Christus.

11. Qui[h] major est vestrum, erit minister vester.

12. Qui[i] autem se exaltaverit, humiliabitur; et qui se humiliaverit, exaltabitur.

13. Vae autem vobis, Scribae et Pharisaei hypocritae! quia clauditis[k] regnum coelorum ante homines; vos enim non intratis, nec introëuntes sinitis intrare.

14. Vae vobis, Scribae et Pharisaei hypocritae! quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes; propter hoc amplius accipietis judicium.

15. Vae vobis, Scribae et Pharisaei hypocritae! quia circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum; et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennae duplo quam vos.

16. Vae vobis, duces[l] caeci! qui dicitis: Quicunque juraverit per templum, nihil est; qui au-

[y] v. 41—46. Marc. 12, 35—37. Luc. 20, 41—44. [z] Joh. 7, 42. [a] Ps. 109, 1. [b] v. 1. sqq. Marc. 12, 38—40. Luc. 20, 45—47. [c] Luc. 11, 46. Act. 15, 10.

[d] c. 6, 1. [e] Deut. 6, 8. [f] Num. 15, 38. [g] Luc. 11, 43. [h] c. 20, 26. [i] Luc. 14, 11. 18, 14. 1 Petr. 5, 5. Prov. 29, 23. Hiob 22, 29. [k] Luc. 11, 52. [l] c. 15, 14.

Cap. XXII. 44. scabillum. 46. respondere ei. XXIII. 4. inportabilia; *ibid.* umeros. 5. philacteria. 6. caenis. 9. caelis. 14. *hic v. plane omissus.* 16. in aurum.

tem juraverit in auro templi, debet[m].

17. Stulti et caeci! Quid enim majus est, aurum? an templum, quod sanctificat aurum?

18. Et quicunque juraverit in altari, nihil est; quicunque autem juraverit in dono, quod est super illud, debet.

19. Caeci! Quid enim majus est, donum? an altare, quod sanctificat donum?

20. Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, et in omnibus, quae super illud sunt;

21. et quicunque juraverit in templo, jurat in illo, et in eo, qui habitat in ipso;

22. et qui jurat in coelo, jurat in throno Dei, et in eo, qui sedet super eum.

23. Vae vobis, Scribae et Pharisaei hypocritae! qui decimatis mentham, et anethum, et cyminum; et reliquistis, quae graviora sunt legis, judicium, et misericordiam, et fidem. Haec oportuit facere, et illa non omittere.

24. Duces caeci, excolantes culicem, camelum autem glutientes!

25. Vae vobis, Scribae et Pharisaei hypocritae! quia mundatis[n], quod deforis est calicis et paropsidis; intus autem pleni estis rapina, et immunditia.

26. Pharisaee caece! munda prius, quod intus est calicis et paropsidis, ut fiat id, quod deforis est, mundum.

27. Vae vobis Scribae et Pharisaei hypocritae! quia similes[o] estis sepulcris dealbatis, quae aforis parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia.

28. Sic et vos aforis quidem paretis hominibus justi; intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate.

29. Vae vobis, Scribae et Pharisaei hypocritae! qui aedificatis[p] sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta justorum,

30. et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum.

31. [q]Itaque testimonio estis vobismet ipsis; quia filii estis eorum, qui prophetas occiderunt;

32. et vos implete mensuram patrum vestrorum.

33. Serpentes genimina viperarum! quomodo fugietis a judicio gehennae?

34. Ideo ecce! ego mitto ad vos Prophetas, et Sapientes, et Scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem;

35. ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel[r] justi usque ad sanguinem Zachariae[s], filii Barachiae, quem occidistis inter templum et altare.

36. Amen dico vobis: Venient haec omnia super generationem istam!

37. [t]Jerusalem, Jerusalem! quae occidis prophetas, et lapi-

[m] c. 5, 33. sqq. [n] Marc. 7, 4. Luc. 11, 39. [o] Luc. 11, 44.

[p] Luc. 11, 47. [q] v. 31—36. Luc. 11, 48—52. [r] Genes. 4, 8. sqq. [s] 2 Par. 24, 20—22. [t] v. 37—39. Luc. 13, 34. 35.

Cap. XXIII. 20. in altare. 21. et qui juraverit; *ibid.* qui inhabitat in ipso. 23. quia decimatis; *ibid.* mentam. 24. gluttientes. 25. parapsidis; *ibid.* pleni sunt; *ibid.* inmunditia. 26. parapsidis; *ibid.* ut fiat et id, quod. 34. persequimini. 37. Hierusalem (*sic semper*).

das eos, qui ad te missi sunt; quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?

38. Ecce! relinquetur[u] vobis domus vestra deserta.

39. Dico enim vobis: Non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini!

CAP. XXIV.

Oratio Jesu de Ierosolymitorum eversione et die judicii. Parabola de ficis. De servo fido et malo.

1. [v]Et egressus Jesus de templo ibat. Et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei aedificationes templi.

2. Ipse autem respondens dixit illis: Videtis haec omnia? Amen dico vobis: Non[w] relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.

3. Sedente autem eo super montem oliveti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes: Dic nobis, quando haec erunt? et quod signum adventus tui, et consummationis saeculi[x]?

4. Et respondens Jesus dixit eis: Videte, ne quis vos seducat!

5. [y]Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus: et multos seducent[z]!

6. Audituri enim estis praelia, et opiniones praeliorum; videte! ne turbemini; oportet enim haec fieri, sed nondum est finis.

7. Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestilentiae, et fames, et terrae motus per loca.

8. Haec autem omnia initia sunt dolorum.

9. Tunc[a] tradent vos in tribulationem, et occident vos; et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.

10. Et tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem.

11. Et multi pseudoprophetae surgent[b], et seducent multos.

12. Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum.

13. Qui[c] autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

14. Et praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio.

15. Cum ergo videritis abominationem desolationis, quae dicta est Daniele[d] propheta, „stantem in loco sancto:" qui legit, intelligat!

16. Tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes;

17. et[e] qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua;

18. et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.

19. Vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus!

20. Orate autem, ut non fiat fuga vestra in hieme, vel sabbato[f],

21. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet;

[u] Luc. 19, 43. sq. [v] v. 1—36. Marc. 13, 1—37. Luc. 21, 5—36. [w] Luc. 19, 44. [x] v. 36. sqq. [y] v. 11. 23. 24. Act. 5, 36. 37. [z] Joh. 5, 43.

[a] Joh. 16, 2. [b] 2 Petr. 2, 1. sqq. [c] c. 10, 22. Apoc. 2, 10. [d] Dan. 9, 27. [e] Luc. 17, 30. sqq. [f] Exod. 16, 29.

Cap. XXIV. 2. dixit eis. 6. proelia. 9. in tribulatione. 12. abundabit; 15. Danihelo; *ibid.* intellegat. 19. praegnatibus (*per errorem*). 20. hieme.

22. et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur dies illi.

23. Tunc[g] si quis vobis dixerit: Ecce! hic est Christus, aut illic; nolite credere!

24. Surgent enim pseudochristi, et pseudoprophetae; et dabunt signa magna, et prodigia, ita, ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.

25. Ecce! praedixi vobis.

26. Si ergo dixerint vobis: Ecce! in deserto est, nolite exire; ecce! in penetralibus, nolite credere!

27. Sicut[h] enim fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem; ita erit et adventus Filii hominis.

28. Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae.

29. Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol[i] obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de coelo, et virtutes coelorum commovebuntur;

30. et tunc parebit signum Filii hominis[k] in coelo; et tunc plangent omnes tribus terrae; et videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli cum virtute[l] multa et majestate.

31. Et mittet angelos suos cum tuba, et voce magna; et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis coelorum usque ad terminos eorum.

32. Ab arbore autem fici discite parabolam: cum jam ramus ejus tener fuerit, et folia nata, scitis, quia prope est aestas.

33. Ita et vos, cum videritis haec omnia, scitote! quia prope est in januis.

34. Amen dico vobis: Quia non praeteribit generatio haec, donec omnia[m] haec fiant.

35. Coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt.

36. De die autem illa[n] et hora nemo scit[o], neque angeli coelorum, nisi solus pater.

37. [p] Sicut autem in diebus Noe[q], ita erit et adventus Filii hominis.

38. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam;

39. et non cognoverunt, donec venit[r] diluvium, et tulit omnes; ita erit et adventus Filii hominis.

40. Tunc duo erunt in agro; unus[s] assumetur, et unus relinquetur;

41. duae molentes in mola; una assumetur, et una relinquetur.

42. Vigilate[t] ergo! quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit.

43. Illud autem scitote[u], quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.

44. Ideo et vos estote parati!

[g] Luc. 17, 23. [h] Luc. 17, 24. [i] Ez. 32, 7. 8. [k] Dan. 7, 13. [l] c. 16, 27.

[m] v. 5—33. c. 10, 23. [n] v. 3. [o] 1 Thess. 5, 1. [p] v. 37 — 39. Luc. 17, 26 — 29. [q] Genes. 6, 3. [r] Genes. 7, 6. sqq. [s] Luc. 17, 34. sqq. [t] c. 25, 13. [u] Luc. 12, 39. 1 Thess. 5, 2. 2 Petr. 3, 10. sqq. Apoc. 16, 15.

Cap. XXIV. 28. illuc. 31. quattuor. 34. haec generatio. 35. verba vero. 36. pater solus. 38. nuptum tradentes; *ibid.* in arcam Noae. 40. adsumetur. 43. perfodiri.

quia, qua nescitis hora, Filius hominis venturus est.

45. [v] Quis, putas, est fidelis servus, et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?

46. Beatus ille servus, quem, cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem!

47. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.

48. Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire!

49. et coeperit percutere conservos suos, manducet autem et bibat cum ebriosis;

50. veniet dominus servi illius in die, qua non sperat, et hora, qua ignorat;

51. et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis. Illic erit fletus, et stridor dentium!

CAP. XXV.

Narratio de decem virginibus. De talentis servorum. Sententia divini judicis die extrema.

1. Tunc simile erit regnum coelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsae.

2. Quinque autem ex eis erant fatuae, et quinque prudentes;

3. sed quinque fatuae, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum;

4. prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.

5. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt.

6. Media autem nocte clamor factus est: Ecce, sponsus venit, exite obviam ei!

7. Tunc surrexerunt omnes virgines illae, et ornaverunt lampades [w] suas.

8. Fatuae autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro! quia lampades nostrae extinguuntur.

9. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis!

10. Dum autem irent emere, venit sponsus; et quae paratae erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa [x] est janua.

11. Novissime vero veniunt et reliquae virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis!

12. At ille respondens ait: Amen dico vobis: Nescio vos!

13. Vigilate [y] itaque! quia nescitis diem, neque horam.

14. [z] Sicut enim homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua;

15. et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem, et profectus est statim.

16. Abiit autem, qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque.

17. Similiter et qui duo acceperat, lucratus est alia duo.

18. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui.

[v] v. 45—51. Luc. 12, 42—46.

[w] Luc. 12, 35. [x] Luc. 13, 25. [y] c. 24, 42. Marc. 13, 33. 1 Thess. 5, 6. [z] v. 14—30. Marc. 13, 34. sqq. Luc. 19, 12—27.

Cap. XXV. 11. novissime veniunt. 17. similiter qui. 18. fodit in terra.

19. Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis.

20. Et accedens, qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine! quinque talenta tradidisti mihi; ecce! alia quinque superlucratus sum.

21. Ait illi dominus ejus: Euge! serve bone et fidelis; quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium domini tui!

22. Accessit autem et qui duo talenta acceperat, et ait: Domine! duo talenta tradidisti mihi; ecce! alia duo lucratus sum.

23. Ait illi dominus ejus: Euge! serve bone et fidelis; quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium domini tui!

24. Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait: Domine! scio, quia homo durus es; metis, ubi non seminasti, et congregas, ubi non sparsisti;

25. et timens abii, et abscondi talentum tuum in terra; ecce! habes, quod tuum est.

26. Respondens autem dominus ejus dixit ei: Serve male et piger! sciebas, quia meto, ubi non semino, et congrego, ubi non sparsi;

27. oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, et veniens ego recepissem utique, quod meum est, cum usura.

28. Tollite itaque ab eo talentum, et date ei, qui habet decem talenta!

29. Omni[a] enim habenti dabitur, et abundabit; ei autem, qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo.

30. Et inutilem servum ejicite[b] in tenebras exteriores! illic erit fletus, et stridor dentium!

31. Cum autem venerit[c] Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suae;

32. et congregabuntur ante eum omnes[d] gentes, et separabit[e] eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hoedis.

33. Et statuet oves quidem a dextris suis, hoedos autem a sinistris.

34. Tunc dicet Rex his, qui a dextris ejus erunt; Venite, benedicti Patris mei! possidete paratum[f] vobis regnum a constitutione mundi.

35. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me;

36. nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me.

37. Tunc respondebunt ei justi, dicentes: Domine! quando te vidimus esurientem, et pavimus te? sitientem, et dedimus tibi potum?

38. Quando autem te vidimus hospitem, et collegimus te? aut nudum, et cooperuimus te?

39. Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, et venimus ad te?

[a] c. 13, 12. [b] c. 8, 12. [c] c. 16, 27. 1 Thess. 4, 15. Act. 17, 31. [d] Rom. 14, 10. 2 Cor. 5, 10. [e] c. 13, 49. [f] c. 20, 23.

Cap. XXV. 20. optulit; *ibid.* mihi tradidisti; *ibid.* et ecce. 21. bone serve. 23. bone serve. 24. et metis. 27. mittere pecuniam. 35. esurii; *ibid.* collexistis. 36. operuistis; *ibid.* in carcere et venistis. 37. et pavimus. 38. colleximus; *ibid.* cooperuimus. 39. et in carcere.

40. Et respondens Rex dicet illis: Amen dico vobis: Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

41. Tunc dicet et his, qui a sinistris erunt: discedite[g] a me, maledicti! in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus.

42. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum;

43. hospes eram, et non collegistis me; nudus, et non cooperuistis me; infirmus, et in carcere, et non visitastis me.

44. Tunc respondebunt ei et ipsi, dicentes: Domine! quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, et non ministravimus tibi?

45. Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.

46. Et ibunt[h] hi in supplicium aeternum; justi autem in vitam aeternam.

CAP. XXVI.

Ultima coena Jesu. Institutio eucharistiae. Christi cum malis conflictantis historia.

1. [i]Et factum est, cum consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis:

2. Scitis, quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur[k], ut crucifigatur.

3. Tunc congregati[l] sunt principes Sacerdotum, et Seniores populi, in atrium principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas;

4. Et consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent, et occiderent.

5. Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.

6. [m]Cum autem Jesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi,

7. accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, et effudit super caput ipsius recumbentis.

8. Videntes autem discipuli, indignati sunt dicentes: Ut quid perditio haec?

9. Potuit enim istud venundari multo, et dari pauperibus.

10. Sciens autem Jesus ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me.

11. Nam semper pauperes habetis vobiscum; me autem non semper habetis.

12. Mittens enim haec unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.

13. Amen dico vobis, ubicumque praedicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod haec fecit in memoriam ejus.

14. [n]Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad principes Sacerdotum,

15. et ait illis: Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam?

[g] c. 7, 23. [h] Joh. 5, 29. [i] v. 1—5. Marc. 14, 1. 2. Luc. 21, 37—22, 2. [k] c. 16, 21. Joh. 18, 1. [l] Joh. 11, 47.

[m] v. 6—13. Marc. 14, 3—9. Joh. 12, 1—8. [n] v. 14—16. Marc. 14, 10. sqq. Luc. 22, 3—6.

Cap. XXV. 40. de his. 41. praeparatus. 43. collexistis; *ibid.* operuistis. 44. respondebunt et ipsi; *ibid.* quando vidimus; *ibid.* vel in carcere. XXVI. 3. Caiaphas. 6. cum autem esset Jesus. 10. mulieri; *ibid.* opus bonum. 12. ungentum. 14. Iscariot.

At illi constituerunt ei triginta argenteos.

16. Et exinde quaerebat opportunitatem, ut eum traderet.

17. [o]Prima autem die azymorum[p] accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?

18. At Jesus dixit: Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.

19. Et fecerunt discipuli, sicut constituit illis Jesus, et paraverunt Pascha.

20. [q]Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis.

21. Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est.

22. Et contristati valde, coeperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine?

23. At ipse respondens ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.

24. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo; vae autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur! bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.

25. Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum, Rabbi? Ait illi: Tu dixisti!

26. Coenantibus[r] autem eis accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite; hoc est corpus meum.

27. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes!

28. Hic est enim sanguis[s] meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem[t] peccatorum.

29. Dico autem vobis: Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno[u] Patris mei.

30. [v]Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.

31. Tunc dicit illis Jesus: Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte; scriptum est enim: „Percutiam pastorem, et „dispergentur oves gregis[w]."

32. Postquam autem resurrexero, praecedam[x] vos in Galilaeam.

33. Respondens autem Petrus ait illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te; ego numquam scandalizabor.

34. Ait[y] illi Jesus: Amen dico tibi: Quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.

35. Ait illi Petrus: Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt.

36. [z]Tunc venit Jesus cum illis in villam, quae dicitur Gethsemani, et dixit discipulis suis: Sedete hic! donec vadam illuc, et orem.

37. Et assumpto Petro et duo-

[o] v. 17—29. Marc. 14, 12—25. Luc. 22, 7—23. [p] Exod. 12. Deut. 16. [q] v. 20—26. Joh. 13, 21—30. [r] 1 Cor. 11, 23. sqq.

[s] Exod. 24. 8. [t] c. 20, 28. [u] Luc. 14, 15. [v] v. 30—35. Marc. 14, 26—31. Luc. 22, 39. [w] Zach. 13, 7. [x] c. 28, 7. [y] v. 75. Luc. 22, 31—34. [z] v. 36—46. Marc. 14, 32—42. Luc. 22, 40—46

Cap. XXVI. 17. prima autem azymorum. 20. discipulis. 23. parapside. 26. cenantibus. 28. effunditur. 29. usque in diem, cum illum bibam. 31. dispargentur 36. Gesemani.

bus filiis Zebedaei, coepit contristari et moestus esse.

38. Tunc ait illis: Tristis[a] est anima mea usque ad mortem! sustinete hic, et vigilate mecum!

39. Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans, et dicens: Pater mi! si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.

40. Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum?

41. Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

42. Iterum secundo abiit, et oravit, dicens: Pater mi! si non potest hic calix transire, nisi bibam illum; fiat voluntas tua!

43. Et venit iterum, et invenit eos dormientes; erant enim oculi eorum gravati.

44. Et relictis illis iterum abiit, et oravit tertio, eumdem sermonem dicens.

45. Tunc venit ad discipulos suos, et dicit illis: Dormite jam, et requiescite! ecce! appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

46. Surgite, eamus! ecce! appropinquavit, qui me tradet.

47. [b]Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit, et cum eo turba multa, cum gladiis et fustibus, missi a principibus Sacerdotum, et Senioribus populi.

48. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum!

49. Et confestim accedens ad Jesum, dixit: Ave, Rabbi! Et osculatus est eum.

50. Dixitque illi Jesus: Amice! ad quid venisti? Tunc accesserunt, et manus injecerunt in Jesum, et tenuerunt eum.

51. Et ecce! unus ex his, qui erant cum Jesu, extendens manum exemit gladium suum, et percutiens servum principis Sacerdotum, amputavit auriculam ejus.

52. Tunc ait illi Jesus: Converte gladium tuum in locum suum! omnes[c] enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.

53. An putas, quia non possum rogare patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum?

54. Quomodo ergo implebuntur[d] Scripturae, quia sic oportet fieri?

55. In illa hora dixit Jesus turbis: Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me; quotidie apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis.

56. Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur Scripturae prophetarum. Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt[e].

57. [f]At illi tenentes Jesum duxerunt ad Caipham principem Sacerdotum, ubi Scribae et Seniores convenerant.

58. Petrus autem sequebatur

[a] Joh. 12, 27. [b] v. 47—56. Marc. 14, 43—52. Luc. 22, 47—53. Joh. 18, 2—11.

[c] Genes. 9, 6. [d] Luc. 24, 25. sqq. [e] v. 31. [f] v. 57. 58. Marc. 14, 53. 54. Luc. 22, 54. sq. Joh. 18, 12—15. coll. 24.

Cap. XXVI. 37. mestus. 39. pater, si; *ibid.* transeat calix iste. 40. discipulos. 46. tradit. 47. ipso loquente. 49. have. 50. ad quod. 55. cotidie. 56. ut implerentur. 57. Caiaphan.

eum a longe, usque in atrium principis Sacerdotum. Et ingressus intro sedebat cum ministris, ut videret finem.

59. [g]Principes autem Sacerdotum, et omne concilium quaerebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent.

60. Et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Novissime autem venerunt duo falsi testes,

61. et dixerunt: Hic dixit: Possum destruere templum Dei, et post[h] triduum reaedificare illud.

62. Et surgens princeps Sacerdotum ait illi: Nihil respondes ad ea, quae isti adversum te testificantur?

63. Jesus autem tacebat. Et princeps Sacerdotum ait illi: Adjuro te per Deum vivum! ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei.

64. Dicit illi Jesus: Tu dixisti! verumtamen dico vobis: Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem[i] in nubibus coeli.

65. Tunc princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit[k]! quid adhuc egemus testibus? ecce! nunc audistis blasphemiam!

66. Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus[l] est mortis!

67. Tunc exspuerunt in faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt; alii autem palmas in faciem ejus dederunt,

68. dicentes: Prophetiza nobis, Christe! quis est, qui te percussit?

69. [m]Petrus vero sedebat foris in atrio; et accessit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Jesu Galilaeo eras!

70. At ille negavit coram omnibus, dicens: Nescio, quid dicis!

71. Exeunte autem illo januam vidit eum alia ancilla et ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum Jesu Nazareno!

72. Et iterum negavit cum juramento: Quia non novi hominem.

73. Et post pusillum accesserunt, qui stabant, et dixerunt Petro: Vere et tu ex illis es! nam et loquela tua manifestum te facit.

74. Tunc coepit detestari et jurare, quia non novisset hominem. Et continuo gallus cantavit.

75. Et recordatus est Petrus verbi[n] Jesu, quod dixerat: Prius, quam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, flevit amare.

CAP. XXVII.

Jesu acerbissimae vexationes, mors, sepultura.

1. Mane[o] autem facto consilium inierunt omnes principes Sacerdotum et Seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent.

2. Et vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt[p] Pontio Pilato praesidi.

[g] v. 59—68. Marc. 14, 55—65. [h] Joh. 2, 19. 21. [i] c. 16, 27. 24, 30. [k] Joh. 5, 18. [l] Levit. 24, 16. Joh. 19, 7.

[m] v. 69—75. Marc. 14, 66—72. Luc. 22, 56—62. Joh. 18, 15—18. 25—27. [n] cf. v. 34. [o] Marc. 15, 1. Luc. 22, 66. [p] Joh. 18, 28.

Cap. XXVI. 61. aedificare 64. virtutis. 67. in faciem ei. 71. alia. 73. loquella. 75. ploravit.

3. Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, poenitentia ductus retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum et Senioribus,

4. dicens: Peccavi! tradens sanguinem justum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris!

5. Et projectis argenteis in templo recessit; et abiens laqueo se suspendit.

6. Principes autem Sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est.

7. Consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum.

8. Propter[q] hoc vocatus est ager ille, Haceldama, hoc est, ager sanguinis, usque in hodiernum diem.

9. Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem: „Et acceperunt „triginta argenteos pretium ap„pretiati, quem appretiaverunt „a filiis Israel;

10. „et dederunt eos in agrum „figuli, sicut constituit mihi Do„minus[r].“

11. [s]Jesus autem stetit ante praesidem, et interrogavit eum praeses, dicens: Tu es Rex Judaeorum? Dicit illi Jesus: Tu dicis!

12. Et cum accusaretur a principibus Sacerdotum, et Senioribus, nihil respondit.

13. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis, quanta adversum te dicunt testimonia?

14. Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur praeses vehementer.

15. Per diem autem solemnem consueverat praeses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent.

16. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas.

17. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis, dimittam vobis, Barabbam? an Jesum, qui dicitur Christus?

18. Sciebat enim, quod per invidiam[t] tradidissent eum.

19. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi et justo illi! multa enim passa sum hodie per visum propter eum.

20. Principes autem Sacerdotum, et Seniores, persuaserunt populis, ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent.

21. Respondens autem praeses ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barabbam.

22. Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus?

23. Dicunt omnes: Crucifigatur! Ait illis praeses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur!

24. Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine justi hujus; vos videritis!

25. Et respondens universus

[q] Act. 1, 18. sq. [r] Jer. 32, 7—9. Zach. 11, 12. 13. [s] v. 11—31. Marc. 15, 2—20. Luc. 23. 2—25. Joh. 18, 33—38. 19, 15.

[t] Joh. 11, 47. sqq.

Cap. XXVII. 3. rettulit. 6. mittere eos in corbanan. 8. acheltemach. 9. et tunc; *ibid.* Hieremiam. 11. dicit ei. 13. dicant. 15. dimittere populo 17. Barraban. 19. ad illum. 20. princeps.

populus dixit: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros!

26. Tunc dimisit illis Barabbam; Jesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.

27. Tunc milites praesidis suscipientes Jesum in praetorium, congregaverunt ad eum universam cohortem;

28. et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei;

29. et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave, Rex Judaeorum!

30. Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus.

31. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, et induerunt eum vestimentis ejus, et duxerunt eum, ut crucifigerent.

32. [u]Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenaeum, nomine Simonem; huic angariaverunt, ut tolleret crucem ejus.

33. Et venerunt in locum, qui dicitur Golgatha, quod est Calvariae locus.

34. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum; et cum gustasset, noluit bibere.

35. Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes; ut impleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem: „Diviserunt „sibi vestimenta mea, et super „vestem meam miserunt sortem.[v]“

36. Et sedentes servabant eum.

37. Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam: HIC EST JESUS REX JUDAEORUM!

38. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones; unus a dextris, et unus a sinistris.

39. Praetereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua,

40. et dicentes: Vah! qui destruis templum Dei, et in triduo illud reaedificas; salva temet ipsum! si Filius Dei es, descende de cruce!

41. Similiter et principes Sacerdotum illudentes cum Scribis et Senioribus dicebant:

42. Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere! si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei!

43. Confidit in Deo: liberet nunc, si vult eum; dixit enim: Quia Filius Dei sum.

44. Id ipsum autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.

45. A sexta autem hora tenebrae factae sunt super universam terram usque ad horam nonam.

46. Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens: Eli, Eli [w], lamma sabacthani! hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

47. Quidam autem illic stan-

[u] v. 32—66. Marc. 15, 21—47. Luc. 23, 26—56. Joh. 19, 17—42.

[v] Ps. 21, 19. [w] Ps. 21, 1.

Cap. XXVII. 27. in praetorio. 29. harundinem; *ibid.* inludebant dicentes have. 31. inluserunt; *ibid.* clamyde. 32. Cyreneum. 35. per prophetam. 37. inposuerunt. 40. reaedificabat. 41. dicentes. 43. confidet; *ibid.* si vult; *ibid.* Dei filius. 46. circa horam vero; *ibid.* heli heli lema sabacthani.

tes et audientes dicebant: Eliam vocat iste!

48. Et continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere.

49. Ceteri vero dicebant: Sine! videamus, an veniat Elias liberans eum!

50. Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum.

51. Et ecce velum[x] templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, et terra mota est, et petrae scissae sunt;

52. et monumenta aperta sunt, et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.

53. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis.

54. Centurio autem, et qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terrae motu, et his, quae fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste!

55. Erant autem ibi mulieres multae a longe, quae secutae[y] erant Jesum a Galilaea, ministrantes ei;

56. inter quas erat Maria Magdalene, et Maria, Jacobi et Joseph mater, et mater filiorum Zebedaei.

57. Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathaea, nomine Joseph, qui et ipse discipulus erat Jesus.

58. Hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus.

59. Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda.

60. Et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit.

61. Erat autem ibi Maria Magdalene, et altera Maria, sedentes contra sepulcrum.

62. Altera autem die, quae est post Parasceven, convenerunt principes Sacerdotum et Pharisaei ad Pilatum,

63. dicentes: Domine! recordati sumus, quia seductor ille dixit[z] adhuc vivens: Post tres dies resurgam.

64. Jube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli ejus, et furentur eum, et dicant plebi: Surrexit a mortuis; et erit novissimus error pejor priore.

65. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam! ite, custodite, sicut scitis!

66. Illi autem abeuntes munierunt sepulcrum, signantes lapidem cum custodibus.

CAP. XXVIII.

Christus redivivus. Discipuli ad omnes terrarum populos missi.

1. [a]Vespere autem sabbati, quae lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, et altera[b] Maria, videre sepulcrum.

2. Et ecce! terrae motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de coelo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum;

[x] Exod. 26. 31. sqq. 2 Par. 3, 14. [y] Luc. 8, 2. sq.

[z] c. 16, 21. [a] v. 1—15. Marc. 16. 1—14. Luc. 24, 1—12. Joh. 20, 1—18. [b] c. 27, 56.

Cap. XXVII. 54. Dei filius. 57. cum sero autem; *ibid.* Arimathia. 58. petit.

3. erat autem aspectus ejus sicut fulgur, et vestimentum ejus sicut nix.

4. Prae timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui.

5. Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos! scio enim, quod Jesum, qui crucifixus est, quaeritis;

6. non est hic! surrexit enim, sicut dixit[c]; venite! et videte locum, ubi positus erat Dominus.

7. Et cito euntes dicite discipulis ejus, quia surrexit; et ecce! praecedit[d] vos in Galilaeam; ibi eum videbitis, ecce! praedixi vobis.

8. Et exierunt cito de monumento cum timore, et gaudio magno, currentes, nuntiare discipulis ejus.

9. Et ecce! Jesus occurrit illis, dicens: Avete! Illae autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum.

10. Tunc ait illis Jesus: Nolite timere! ite, nuntiate fratribus meis! ut eant in Galilaeam; ibi[e] me videbunt.

11. Quae cum abiissent, ecce! quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nuntiaverunt principibus Sacerdotum omnia, quae facta fuerant.

[c] c. 16, 21. [d] c. 26, 32. [e] Act. 1, 3.

12. Et congregati cum Senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus,

13. dicentes: Dicite: Quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus;

14. et si hoc auditum fuerit a praeside, nos suadebimus ei, et securos vos faciemus.

15. At illi, accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judaeos, usque in hodiernum diem.

16. [f] Undecim autem discipuli abierunt in Galilaeam, in montem, ubi constituerat[g] illis Jesus.

17. Et videntes eum, adoraverunt; quidam autem dubitaverunt.[h]

18. Et accedens Jesus locutus est eis, dicens: Data[i] est mihi omnis potestas in coelo et in terra!

19. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti;

20. docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis; et ecce! ego[k] vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.

[f] v. 16—20. Marc. 16, 15—18. [g] c. 26, 32. [h] Joh. 20, 25. [i] Joh. 13, 3. Phil. 2, 9. sqq. [k] c. 18, 20.

Cap. XXVIII, 8. magno gaudio. 9. havete. 15. docti.

SANCTUM
JESU CHRISTI
EVANGELIUM
SECUNDUM
MARCUM.

CAP. I.

Joannis praedicatio. Jesus baptizatur et tentatur. Simonis et Andreae, Jacobi et Joannis vocatio. Daemoniaci et infirmi sanantur.

1. [a]Initium Evangelii Jesu Christi, Filii Dei.
2. Sicut scriptum est in Isaia propheta: „Ecce ego mitto ange-„lum meum ante faciem tuam, „qui praeparabit viam tuam ante „te.“
3. „Vox clamantis in deserto! „Parate viam Domini, rectas fa-„cite semitas ejus.[b]“
4. Fuit Joannes in deserto baptizans, et praedicans baptismum poenitentiae[c] in remissionem peccatorum.
5. Et egrediebatur ad eum omnis Judaeae regio, et Ierosolymitae universi, et baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua.

[a] v. 1—8. Matth. 3, 1—12. Luc. 3, 1—18. [b] Mal. 3, 1. 4, 5. Jes. 40, 3. [c] Act. 13, 24.

6. Et erat Joannes vestitus pilis cameli, et zona pellicea circa lumbos ejus; et locustas, et mel sylvestre edebat. Et praedicabat, dicens:
7. Venit fortior me post me, cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus.
8. Ego baptizavi vos aqua; ille vero baptizabit vos Spiritu sancto.
9. [d]Et factum est, in diebus illis venit Jesus a Nazareth Galilaeae; et baptizatus est a Ioanne in Jordane.
10. Et statim ascendens de aqua vidit coelos apertos, et Spiritum tanquam columbam descendentem, et manentem in ipso.
11. Et vox facta est de coelis: Tu es filius meus dilectus, in te complacui!
12. Et statim Spiritus expulit eum in desertum.

[d] v. 9—13. Matth. 3, 13— 4, 11. Luc. 3, 21. 4, 1—13.

Cap. I. 2. ecce mitto; *ibid. omiss.* ante te. 5. ad illum; *ibid.* in Jordane fl. 6. pallicia; *ibid.* lucustas. 9. in Jordane ab Johanne.

13. Et erat in deserto quadraginta diebus, et quadraginta noctibus; et tentabatur a satana; eratque cum bestiis, et angeli ministrabant illi.

14. [e]Postquam autem traditus est Ioannes, venit Jesus in Galilaeam, praedicans Evangelium regni Dei,

15. et dicens: Quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei; poenitemini, et credite Evangelio!

16. [f]Et praeteriens secus Mare Galilaeae, vidit Simonem, et Andream fratrem ejus, mittentes retia in mare (erant enim piscatores);

17. et dixit eis Jesus: Venite post me! et faciam vos fieri piscatores hominum.

18. Et protinus relictis retibus secuti sunt eum.

19. Et progressus inde pusillum, vidit Jacobum Zebedaei, et Ioannem fratrem ejus, et ipsos componentes retia in navi;

20. et statim vocavit illos. Et relicto patre suo Zebedaeo in navi cum mercenariis secuti sunt eum.

21. [g]Et ingrediuntur Capharnaum; et statim sabbatis ingressus in synagogam, docebat eos.

22. Et stupebant[h] super doctrina ejus; erat enim docens eos, quasi potestatem habens, et non sicut Scribae.

23. Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo, et exclamavit,

[e] v. 14. 15. Matth. 4, 12—17. Luc. 4, 14. [f] v. 16—20. Matth. 4, 18—22. Luc. 5, 2—11. [g] v. 21—28. Luc. 4, 31—37. [h] Matth. 7, 28. 29. Joh. 7, 46.

24. dicens[i]: Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene! venisti perdere nos? scio, qui sis, Sanctus Dei.

25. Et comminatus est ei Jesus, dicens; Obmutesce, et exi de homine!

26. Et discerpens eum spiritus immundus, et exclamans voce magna, exiit ab eo.

27. Et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se dicentes: Quidnam est hoc? Quaenam doctrina haec nova? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, et obediunt ei.

28. Et processit[k] rumor ejus statim in omnem regionem Galilaeae.

29. [l]Et protinus egredientes de synagoga, venerunt in domum Simonis et Andreae, cum Jacobo, et Ioanne.

30. Decumbebat autem socrus Simonis febricitans; et statim dicunt ei de illa.

31. Et accedens elevavit eam, apprehensa manu ejus; et continuo dimisit eam febris, et ministrabat eis.

32. Vespere autem facto, cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes, et daemonia habentes;

33. et erat omnis civitas congregata ad januam.

34. Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus, et daemonia multa ejiciebat, et non sinebat ea loqui, quoniam[m] sciebant eum.

[i] c. 3, 11. Matth. 8, 29. [k] Matth. 4, 24. [l] v. 29—34. Matth. 8, 14—17. Luc. 4, 38—41. [m] cf. v. 24.

Cap. I. 13. temtabatur (*semper*). 19. in navi componentes retia. 21. ingressus synag. 24. scio quis es. 26. exivit. 27. quae doctrina; *ibid.* et spiritibus. 34. loqui ea.

35. [n]Et diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat.

36. Et prosecutus est eum Simon, et qui cum illo erant;

37. et cum invenissent eum, dixerunt ei: Quia omnes quaerunt te!

38. Et ait illis: Eamus in proximos vicos, et civitates, ut et ibi praedicem; ad hoc enim veni.

39. Et erat praedicans in synagogis eorum, et in omni Galilaea, et daemonia ejiciens.

40. [o]Et venit ad eum leprosus, deprecans eum, et genu flexo dixit ei: Si vis, potes me mundare.

41. Jesus autem misertus ejus, extendit manum suam, et tangens eum, ait illi: Volo, mundare!

42. Et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra, et mundatus est.

43. Et comminatus est ei, statimque ejecit illum,

44. et dicit ei: Vide[p], nemini dixeris! sed vade, ostende te principi Sacerdotum, et offer pro emundatione tua, quae praecepit Moyses[q], in testimonium illis.

45. At ille egressus coepit praedicare, et diffamare sermonem, ita, ut jam non posset manifeste introire in civitatem; sed foris in desertis locis esset, et conveniebant ad eum undique.

CAP. II.

Paralytico peccata remittuntur et sanitas redditur. Levi vocatio. Cur Jesus peccatoribus familiariter utatur. Discipuli non jejunantes et spicas vellentes excusantur.

1. [r]Et iterum intravit Capharnaum post dies.

2. Et auditum est, quod in domo esset, et convenerunt multi, ita, ut non caperet neque ad januam; et loquebatur eis verbum.

3. Et venerunt ad eum, ferentes paralyticum, qui a quatuor portabatur.

4. Et cum non possent offerre eum illi prae turba, nudaverunt tectum, ubi erat; et patefacientes submiserunt grabatum, in quo paralyticus jacebat.

5. Cum autem vidisset Jesus fidem illorum, ait paralytico: Fili! dimittuntur tibi peccata tua.

6. Erant autem illic quidam de Scribis sedentes, et cogitantes in cordibus suis:

7. Quid hic sic loquitur! blasphemat! Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?

8. Quo statim cognito[s] Jesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dicit illis: Quid ista cogitatis in cordibus vestris?

9. Quid est facilius, dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata; an dicere: Surge! tolle grabatum tuum, et ambula?

10. Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem, in terra dimittendi peccata, (ait paralytico:)

11. Tibi dico: Surge: tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam.

[n] v. 35—39. Luc. 4, 42—44. [o] v. 40—45. Matth. 8, 1—4. Luc. 5, 12—16. [p] Matth. 8, 4. [q] Levit. 13.

[r] v. 1—12. Matth. 9, 1—8. Luc. 5, 17—26. [s] Matth. 12, 25. Luc. 6, 8. 9, 47. Joh. 2, 24. sq.

Cap. I. 36. et secutus. 39. et omni. 43. comminatus ei statim. 44. Moses. 45. in civitatem introire; *ibid.* locis esse. II. 3. ferentes ad eum. 4. summiserunt. 5. cum vidisset autem; *ibid. omiss.* tua 9. inter se surge et — grabattum. 10. potestatem habet filius hominis.

12. Et statim surrexit ille et, sublato grabato, abiit coram omnibus, ita ut mirarentur omnes, et honorificarent Deum, dicentes: Quia nunquam sic vidimus!

13. [t]Et egressus est rursus ad mare; omnisque turba veniebat ad eum, et docebat eos.

14. Et cum praeteriret, vidit Levi Alphaei sedentem ad telonium, et ait illi: Sequere me! Et surgens secutus est eum.

15. Et factum est, cum accumberet in domo illius, multi publicani, et peccatores simul discumbebant cum Jesu, et discipulis ejus; erant enim multi, qui et sequebantur eum.

16. Et Scribae, et Pharisaei videntes, quia manducaret cum publicanis, et peccatoribus, dicebant discipulis ejus: Quare cum publicanis, et peccatoribus manducat et bibit Magister vester?

17. Hoc audito Jesus ait illis: Non necesse[u] habent sani medico, sed qui male habent; non enim veni vocare justos, sed peccatores.

18. Et erant discipuli Joannis, et Pharisaei jejunantes, et veniunt, et dicunt illi: Quare discipuli Joannis et Pharisaeorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant?

19. Et ait illis Jesus: Numquid possunt filii nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, jejunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare.

20. Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus; et tunc[v] jejunabunt in illis diebus.

21. Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri; alioquin aufert supplementum novum a veteri, et major scissura fit.

22. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres; alioquin dirumpet vinum utres, et vinum effundetur, et utres peribunt; sed vinum novum in utres novos mitti debet.

23. [w]Et factum est iterum cum Dominus sabbatis ambularet per sata, et discipuli ejus coeperunt progredi, et vellere spicas.

24. Pharisaei autem dicebant ei: Ecce! quid faciunt sabbatis, quod non licet?

25. Et ait illis: Numquam legistis, quid fecerit David[x], quando necessitatem habuit, et esuriit ipse, et qui cum eo erant?

26. Quomodo introivit in domum Dei sub Abiathar principe Sacerdotum, et panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare, nisi[y] Sacerdotibus, et dedit eis, qui cum eo erant?

27. Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum est; et non homo propter sabbatum.

28. Itaque Dominus est Filius hominis, etiam sabbati.

[t] v. 13—22. Matth. 9, 9—17. Luc. 5, 27—39. [u] Matth. 9, 11—13.

[v] Joh. 16, 20. [w] v. 23—28. Matth. 12, 1—8. Luc. 6, 1—5. [x] 1 Reg. 21, 6. [y] Exod. 29, 32.

Cap. II. 12. ille surrexit; *ibid.* sublato grabatto *omiss.* et; *ibid.* ita ut ammirarentur. 14. Levin Alphei. 16. cum peccatoribus et publicanis. 17. medicum. 20. in illa die. 21. auferet. 22. novellum; *ibid.* disrumpet; *ibid.* et vinum effunditur. 23. cum sabbatis ambularet per sata *omiss.* Dominus; *ibid.* praegredi. 26. introiit (*semp.*) domum; *ibid.* quos non licet.

CAP. III.

Curatio manus aridae et infirmorum. Apostoli mittuntur ad praedicandum evangelium. Blasphemia in Spiritum Sanctum irremissibilis. Quae mater, qui fratres Jesu sint.

1. [z]Et introivit iterum in synagogam; et erat ibi homo habens manum aridam.

2. Et observabant eum, si sabbatis curaret, ut accusarent illum.

3. Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium!

4. Et dicit eis: Licet sabbatis bene facere, an male? animam salvam facere, an perdere? At illi tacebant.

5. Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super caecitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam! Et extendit, et restituta est manus illi.

6. Exeuntes autem Pharisaei, statim cum Herodianis consilium faciebant adversus eum, quomodo eum perderent.

7. Jesus autem cum discipulis suis secessit ad mare; et multa turba a Galilaea et Judaea secuta est eum.

8. Et ab Ierosolymis, et ab Idumaea, et trans Jordanem; et qui circa Tyrum, et Sidonem, multitudo magna, audientes, quae faciebat, venerunt ad eum.

9. Et dixit discipulis suis, ut navicula sibi deserviret propter turbam, ne comprimerent eum.

10. Multos enim sanabat, ita ut irruerent in eum, ut illum tangerent[a], quotquot habebant plagas.

11. Et spiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei; et clamabant, dicentes:

12. Tu[b] es Filius Dei! Et vehementer comminabatur eis, ne[c] manifestarent illum.

13. [d]Et ascendens in montem, vocavit ad se, quos voluit ipse; et venerunt ad eum.

14. Et fecit, ut essent duodecim cum illo; et ut mitteret eos praedicare.

15. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, et ejiciendi daemonia.

16. Et imposuit[e] Simoni nomen Petrus;

17. et Jacobum[f] Zebedaei, et Joannem fratrem Jacobi, et imposuit eis nomina Boanerges, quod est, Filii tonitrui;

18. et Andream et Philippum, et Bartholomaeum, et Matthaeum, et Thomam, et Jacobum Alphaei, et Thaddaeum, et Simonem Cananaeum,

19. Et Judam Iscariotem, qui et tradidit illum.

20. [g]Et veniunt ad domum; et convenit iterum turba, ita, ut non possent neque panem manducare.

21. Et cum audissent sui, exierunt, tenere eum; dicebant enim: Quoniam in furorem versus est.

22. Et Scribae, qui ab Ierosolymis descenderant, dicebant: Quoniam Beelzebub habet; et quia[h] in principe daemoniorum ejicit daemonia.

[z] v. — 6. Matth. 12, 9 — 14. Luc. 6, 6—11. [a] Matth. 9, 21.

[b] c. 1, 24. [c] Matth. 8, 4. [d] v. 13—19. Matth. 10, 1—4. Luc. 6, 12—16. [e] Joh. 1, 42. [f] Matth. 4, 21. [g] v. 20 — 30. Matth. 12, 22 — 32. Luc. 11, 14 — 23. [h] Matth. 9, 34.

Cap. III. 6. exeuntes autem statim Pharisaei cum Herodianis 7. Et Jesus. 8. ab Hierosolymis; *ibid.* trans Jordanen (*semp.*). 10. quotquot autem (*initium novi versus in cod. nempe v.* 11.). 14. praedicare eos. 19. Judam Scariot. 22. Belzebub; *ibid.* principe daemonum.

23. Et convocatis eis, in parabolis dicebat illis: Quomodo potest satanas satanam ejicere?

24. Et si regnum in se dividatur, non potest regnum illud stare.

25. Et si domus super semet ipsam dispertiatur, non potest domus illa stare.

26. Et si satanas consurrexerit in semet ipsum, dispertitus est, et non poterit stare, sed finem habet.

27. Nemo potest vasa fortis, ingressus in domum, diripere, nisi prius fortem alliget, et tunc domum ejus diripiet.

28. Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, et blasphemiae, quibus blasphemaverint;

29. qui autem blasphemaverit[i] in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni delicti.

30. Quoniam dicebant: Spiritum immundum habet.

31. [k]Et veniunt mater ejus et fratres, et foris stantes, miserunt ad eum, vocantes eum,

32. et sedebat circa eum turba; et dicunt ei: Ecce! mater tua, et fratres tui foris quaerunt te!

33. Et respondens eis, ait: Quae est mater mea, et fratres mei?

34. Et circumspiciens eos, qui in circuitu ejus sedebant, ait: Ecce! mater mea, et fratres mei.

35. Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, et soror mea, et mater est.

[i] Matth. 12, 32. [k] Matth. 12, 46—50. Luc. 8, 19—21.

CAP. IV.

Parabolae de seminatore, de lucerna super candelabrum, de semine in terram jacto, de grano sinapis. Sedatur tempestas ab Jesu.

1. [l]Et iterum coepit docere ad mare; et congregata est ad eum turba multa, ita ut navim ascendens, sederet in mari, et omnis turba circa mare super terram erat.

2. Et docebat eos in parabolis multa, et dicebat illis in doctrina sua:

3. Audite! Ecce, exiit seminans ad seminandum.

4. Et dum seminat, aliud cecidit circa viam, et venerunt volucres coeli, et comederunt illud.

5. Aliud vero cecidit super petrosa, ubi non habuit terram multam; et statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terrae;

6. et quando exortus est sol, exaestuavit; et eo quod non habebat radicem, exaruit.

7. Et aliud cecidit in spinas; et ascenderunt spinae, et suffocaverunt illud, et fructum non dedit.

8. Et aliud cecidit in terram bonam, et dabat fructum ascendentem, et crescentem; et afferebat unum triginta, unum sexaginta, et unum centum.

9. Et dicebat: Qui habet aures audiendi, audiat!

10. Et cum esset singularis, interrogaverunt eum hi, qui cum eo erant duodecim, parabolam.

[l] v. 1—20. Matth. 13, 1—23. Luc. 8, 4—15.

Cap. III. 24. stare regnum illius. 26. consurrexit. 27. deripiet. IV. 1. in navem ascendens. 2. docebat illos. 4. volucres *omiss.* coeli. 6. et quod non haberet. 8. et unum sexaginta. 10. cum duodecim (*sic*); *ibid.* parabolas.

11. Et dicebat eis: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei; illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt:

12. „ut[m] videntes videant, et „non videant; et audientes au„diant, et non intelligant; ne„quando convertantur, et dimit„tantur eis peccata."

13. Et ait illis: Nescitis parabolam hanc? et quomodo omnes parabolas cognoscetis?

14. Qui seminat, verbum seminat.

15. Hi autem sunt, qui circa viam, ubi seminatur verbum, et cum audierint, confestim venit satanas, et aufert verbum, quod seminatum est in cordibus eorum.

16. Et hi sunt similiter, qui super petrosa seminantur; qui cum audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud;

17. et non habent radicem in se, sed temporales sunt; deinde orta tribulatione et persecutione propter verbum, confestim scandalizantur.

18. Et alii sunt, qui in spinis seminantur; hi sunt, qui verbum audiunt,

19. et aerumnae saeculi, et deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiae introeuntes suffocant verbum, et sine fructu efficitur.

20. Et hi sunt, qui super terram bonam seminati sunt, qui audiunt verbum, et suscipiunt et fructificant, unum triginta, unum sexaginta, et unum centum.

21. [n]Et dicebat illis: Numquid venit lucerna, ut sub modio ponatur, aut sub lecto? Nonne ut[o] super candelabrum ponatur?

22. Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur; nec factum est occultum, sed ut in palam veniat.

23. Si quis habet aures audiendi, audiat!

24. Et dicebat illis: Videte! quid audiatis: In qua[p] mensura mensi fueritis, remetietur vobis, et adjicietur vobis.

25. Qui enim[q] habet, dabitur illi: et qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo.

26. Et dicebat: Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem in terram,

27. et dormiat, et exurgat nocte et die; et semen germinet, et increscat, dum nescit ille.

28. Ultro enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.

29. Et cum produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis.

30. [r]Et dicebat: Cui assimilabimus regnum Dei? Aut cui parabolae comparabimus illud?

31. Sicut granum sinapis, quod cum seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus, quae sunt in terra;

32. et cum seminatum fuerit, ascendit, et fit majus omnibus oleribus, et facit ramos magnos; ita ut possint sub umbra ejus aves coeli habitare.

33. Et talibus multis parabolis

[m] Matth. 13, 14. [n] v. 21—25. Luc. 8, 16—18.

[o] Matth. 5, 15. [p] Matth. 7, 2. Luc. 6, 38. [q] Matth. 13, 12. [r] v. 30—32. Matth. 13, 31. sqq. Luc. 13, 18. sqq.

Cap. IV. 11. scire mysterium. 15. in corda eorum. 20. et unum sexaginta. 22. non enim est. 27. exsurgat. 29. se produxerit. 32. holeribus.

loquebatur eis verbum, prout poterant audire;

34. sine[s] parabola autem non loquebatur eis; seorsum autem discipulis suis disserebat omnia.

35. [t] Et ait illis in illa die, cum sero esset factum: Transeamus contra!

36. Et dimittentes turbam, assumunt eum ita, ut erat in navi; et aliae naves erant cum illo.

37. Et facta est procella magna venti, et fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis.

38. Et erat ipse in puppi super cervical dormiens; et excitant eum, et dicunt illi: Magister! non ad te pertinet, quia perimus?

39. Et exsurgens, comminatus est vento, et dixit mari: Tace, obmutesce! et cessavit ventus; et facta est tranquillitas magna.

40. Et ait illis: Quid timidi estis? necdum habetis fidem? Et timuerunt timore magno, et dicebant ad alterutrum: Quis, putas, est iste, quia et ventus et mare obediunt ei?

CAP. V.

Legio Daemonum expulsa porcos ingreditur. Mulier a profluvio sanguinis liberatur. Jairi filia vitae redditur.

1. [u] Et venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum.

2. Et exeunti ei de navi, statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo,

3. qui domicilium habebat in monumentis, et neque catenis jam quisquam poterat eum ligare;

4. quoniam saepe compedibus et catenis vinctus, dirupisset catenas, et compedes comminuisset, et nemo poterat eum domare.

5. Et semper die ac nocte in monumentis, et in montibus erat, clamans, et concidens se lapidibus.

6. Videns autem Jesum a longe, cucurrit, et adoravit eum,

7. et clamans voce magna, dixit[v]: Quid mihi, et tibi, Jesu, fili Dei altissimi? adjuro te per Deum! ne me torqueas.

8. Dicebat enim illi: Exi, spiritus immunde, ab homine!

9. Et interrogabat eum: Quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio mihi nomen est, quia multi sumus.

10. Et deprecabatur eum multum, ne se expelleret extra regionem.

11. Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, pascens.

12. Et deprecabantur eum spiritus, dicentes: Mitte nos in porcos! ut in eos introeamus.

13. Et concessit ei statim Jesus. Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos; et magno impetu grex praecipitatus est in mare ad duo millia, et suffocati sunt in mari.

14. Qui autem pascebant eos, fugerunt et nuntiaverunt in civitatem, et in agros. Et egressi sunt videre, quid esset factum;

[s] Matth. 13, 34. [t] v. 35—40. Matth. 8, 18. 23—27. Luc. 8, 22—25. [u] v. 1—17. Matth. 8, 28—34. Luc. 8, 26—37.

[v] c. 1, 24.

Cap. IV. 35. illis illa die. 36. ita ut erant. 37. in navem. 38. supra cervical. 39. tace et obmutesce. V. 2. occurrit ei de monumentis. 3. quisquam eum poterat. 4. disrupisset. 5. nocte ac die; *ibid.* et clamans. 9. legio nomen mihi. 13. milia — in mare (*ultim.*). 14. quid esset facti.

15. et veniunt ad Jesum; et vident illum, qui a daemonio vexabatur, sedentem, vestitum, et sanae mentis, et timuerunt.

16. Et narraverunt illis, qui viderant, qualiter factum esset ei, qui daemonium habuerat, et de porcis.

17. Et rogare coeperunt eum, ut discederet de finibus eorum.

18. [w]Cumque ascenderet navim, coepit illum deprecari, qui a daemonio vexatus fuerat, ut esset cum illo.

19. Et non admisit eum, sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, et annuntia illis, quanta tibi Dominus fecerit, et misertus sit tui.

20. Et abiit, et coepit praedicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Jesus; et omnes mirabantur.

21. [x]Et cum transcendisset Jesus in navi rursum trans fretum, convenit turba multa ad eum, et erat circa mare.

22. Et venit quidam de archisynagogis, nomine Jairus; et videns eum, procidit ad pedes ejus,

23. et deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam filia mea in extremis est: veni, impone manum super eam! ut salva sit, et vivat.

24. Et abiit cum illo, et sequebatur eum turba multa, et comprimebant eum.

25. Et mulier, quae erat in profluvio sanguinis annis duodecim,

[w] v. 18—20. Luc. 8, 38. 39. [x] v. 21—43. Math. 9, 18—26. Luc. 8, 40—56.

26. et fuerat multa perpessa a compluribus medicis; et erogaverat omnia sua, nec quidquam profecerat; sed magis deterius habebat;

27. cum audisset de Jesu, venit in turba retro, et tetigit vestimentum ejus.

28. Dicebat enim: Quia si vel vestimentum ejus tetigero, salva ero.

29. Et confestim siccatus est fons sanguinis ejus; et sensit corpore, quia sanata esset a plaga.

30. Et statim Jesus in semet ipso cognoscens virtutem, quae exierat de illo, conversus ad turbam, ajebat: Quis tetigit vestimenta mea?

31. Et dicebant ei discipuli sui: Vides turbam comprimentem te, et dicis: Quis me tetigit?

32. Et circumspiciebat videre eam, quae hoc fecerat.

33. Mulier vero timens et tremens, sciens, quod factum esset in se, venit, et procidit ante eum, et dixit ei omnem veritatem.

34. Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te salvam fecit; vade in pace, et esto sana a plaga tua!

35. Adhuc eo loquente, veniunt ab archisynagogo, dicentes: Quia filia tua mortua est; quid ultra vexas Magistrum?

36. Jesus autem audito verbo, quod dicebatur, ait archisynagogo: Noli timere! tantummodo crede!

37. Et non admisit quemquam se sequi, nisi Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem Jacobi.

38. Et veniunt in domum ar-

Cap. V. 17. rogare eum coeperunt; *ibid.* a finibus. 18. navem. 21. rursus; *ibid.* ad illum. 23. manus. 24. illum. 29. corpore quod. 30. cognoscens in semet ipso; *ibid.* de eo. 33. mulier autem. 36. verbo quod dicebatur audito. 37. sequi se.

chisynagogi, et videt tumultum, et flentes, et ejulantes multum.

39. Et ingressus, ait illis: Quid turbamini, et ploratis? puella non est mortua, sed dormit.

40. Et irridebant eum. Ipse vero, ejectis omnibus, assumit patrem, et matrem puellae, et qui secum erant, et ingreditur, ubi puella erat jacens.

41. Et tenens manum puellae, ait illi: Talitha, cumi, quod est interpretatum: Puella! (tibi dico:) surge!

42. Et confestim surrexit puella, et ambulabat; erat autem annorum duodecim; et obstupuerunt stupore magno.

43. Et praecepit[y] illis vehementer, ut nemo id sciret; et dixit dari illi manducare.

CAP. VI.

Cur Jesus in patria pauca edat miracula. Praecepta apostolis data. Joannis Baptistae mors. Quinque panes et duo pisces multiplicati. Tempestatis sedatio. Jesus multos sanat tactu fimbriae vestimenti.

1. [z]Et egressus inde, abiit in patriam suam; et sequebantur eum discipuli sui.

2. Et facto sabbato coepit in synagoga docere; et multi audientes admirabantur in doctrina ejus, dicentes: Unde huic haec omnia? et quae est sapientia, quae data est illi! et virtutes tales, quae per manus ejus efficiuntur!

3. Nonne hic est faber? filius Mariae, frater Jacobi, et Joseph, et Judae, et Simonis? nonne et sorores ejus hic nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illo.

4. Et dicebat illis Jesus: Quia non est propheta sine honore, nisi in patria sua, et in domo sua, et in cognatione sua.

5. Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit.

6. Et mirabatur propter incredulitatem eorum, et circuibat[a] castella in circuitu, docens.

7. [b]Et vocavit duodecim; et coepit eos mittere binos, et dabat illis potestatem spirituum immundorum.

8. Et praecepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum; non peram, non panem, neque in zona aes,

9. sed calceatos sandaliis, et ne induerentur duabus tunicis.

10. Et dicebat eis: Quocumque introieritis in domum; illic manete, donec exeatis inde.

11. Et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus vestris, in testimonium illis.

12. Et exeuntes praedicabant, ut poenitentiam agerent;

13. et daemonia multa ejiciebant, et ungebant[c] oleo multos aegros, et sanabant.

14. [d]Et audivit Rex Herodes (manifestum enim factum est nomen ejus) et dicebat: Quia Joannes[e] Baptista resurrexit a mor-

[y] Matth. 8, 4. [z] v. 1—6. Matth. 13, 53—58.

[a] Matth. 9, 35. [b] v. 7—12. Matth. 10, 1—14. Luc. 9, 1—6. [c] Jac. 5, 14. [d] v. 14—29. Matth. 14, 1—12. Luc. 9, 7—9. 3, 19. 20. [e] Matth. 16, 14.

Cap. V. 38. hejulantes. 39. ait eis. 40. erat puella jacens. 42. stupore maximo. VI. 3. iste est faber. 4. dicebat eis; *ibid.* et in cognatione sua et in domo sua. 6. circum ibat. 7. convocavit. 14. Herodes rex — propter ea inopinantur virtutes in illo.

tuis! et propterea virtutes operantur in illo.

15. Alii autem dicebant: Quia Elias est! Alii vero dicebant: Quia Propheta est, quasi unus ex prophetis!

16. Quo audito, Herodes ait: Quem ego decollavi Joannem, hic a mortuis resurrexit.

17. Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Ioannem, et vinxit eum in carcere, propter Herodiadem, uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam.

18. Dicebat enim Joannes Herodi: Non[f] licet tibi habere uxorem fratris tui,

19. Herodias autem insidiabatur illi; et volebat occidere eum, nec poterat.

20. Herodes enim metuebat Joannem, sciens eum virum justum et sanctum; et custodiebat eum, et audito eo multa faciebat et libenter eum audiebat.

21. Et cum dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui coenam fecit principibus, et tribunis, et primis Galilaeae,

22. cumque introisset filia ipsius Herodiadis, et saltasset, et placuisset Herodi, simulque recumbentibus; Rex ait puellae: Pete a me, quod vis, et dabo tibi!

23. Et juravit illi: Quia, quidquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei.

24. Quae cum exisset, dixit matri suae: Quid petam? At illa dixit: Caput Joannis Baptistae.

25. Cumque introisset statim cum festinatione ad Regem, petivit dicens: Volo, ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistae.

26. Et contristatus est Rex: propter jusjurandum, et propter simul discumbentes noluit eam contristare;

27. sed, misso spiculatore, praecepit afferri caput ejus in disco. Et decollavit eum in carcere,

28. et attulit caput ejus in disco; et dedit illud puellae, et puella dedit matri suae.

29. Quo audito, discipuli ejus venerunt, et tulerunt corpus ejus; et posuerunt illud in monumento.

30. [g]Et convenientes Apostoli ad Jesum, renuntiaverunt ei omnia, quae egerant, et docuerant.

31. Et ait illis: Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum! Erant enim, qui veniebant et redibant multi; et nec spatium manducandi habebant.

32. Et ascendentes in navim, abierunt in desertum locum seorsum.

33. Et viderunt eos abeuntes, et cognoverunt multi; et pedestres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc, et praevenerunt eos.

34. Et exiens, vidit turbam multam Jesus; et misertus[h] est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem, et coepit illos docere multa.

35. Et cum jam hora multa fieret, accesserunt discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus hic, et jam hora praeteriit;

[f] Lev. 18, 16.

[g] v. 30—44. Matth. 14, 13—21. Luc. 9, 10—17. Joh. 6, 2—15. [h] Matth. 9, 36.

Cap. VI 15 Helias; *ibid.* alii vero dicebant: propheta est. 17. Herodiadam. 23. et dabo. 24. et illa. 26. contristatus rex (*omiss.* et); *ibid.* recumbentes. 27. speculatore. 30. illi. 31. rediebant; *ibid.* nec (*deest* et). 32. in navi. 33. et de omnibus. 34. docere illos multa. 35. praeterivit.

36. dimitte illos, ut euntes in proximas villas, et vicos, emant sibi cibos, quos manducent.

37. Et respondens, ait illis: Date illis vos manducare! Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denariis panes, et dabimus illis manducare.

38. Et dicit eis: Quot panes habetis? ite, et videte! Et cum cognovissent, dicunt: Quinque, et duos pisces.

39. Et praecepit illis, ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride foenum.

40. Et discubuerunt in partes, per centenos et quinquagenos.

41. Et acceptis quinque panibus, et duobus piscibus, intuens in coelum, benedixit, et fregit panes; et dedit discipulis suis, ut ponerent ante eos; et duos pisces divisit omnibus.

42. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt.

43. Et sustulerunt reliquias fragmentorum, duodecim cophinos plenos, et de piscibus.

44. Erant autem, qui manducaverunt, quinque millia virorum.

45. [i]Et statim coegit discipulos suos ascendere navim, ut praecederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum.

46. Et cum dimisisset eos, abiit in montem orare.

47. Et cum sero esset, erat navis in medio mari, et ipse solus in terra.

48. Et videns eos laborantes in remigando [erat enim ventus contrarius eis] et circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare; et volebat praeterire eos.

49. At illi, ut viderunt eum ambulantem supra mare, putaverunt, phantasma esse, et exclamaverunt.

50. Omnes enim viderunt eum, et conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis, et dixit eis: Confidite! ego sum, nolite timere.

51. Et ascendit ad illos in navim, et cessavit[k] ventus. Et plus magis intra se stupebant;

52. non[l] enim intellexerunt de panibus; erat enim cor eorum obcaecatum.

53. Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesareth, et applicuerunt.

54. Cumque egressi essent de navi, continuo cognoverunt eum.

55. Et percurrentes universam regionem illam, coeperunt in grabatis eos, qui se male habebant, circumferre, ubi audiebant, eum esse.

56. Et quocumque introibat, in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, et deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent[m]; et quotquot tangebant eum, salvi fiebant.

CAP. VII.

Pharisaei Dei mandata ob suas traditiones violant. Quaenam hominem

[i] v. 45 — 56. Matth. 14, 22 — 36. Joh. 6, 16 — 21.

[k] Marc. 4, 39. [l] Marc. 8, 17. sqq. [m] Matth. 9, 21.

Cap. VI. 37. date eis manducare; *ibid.* denariis ducentis; *ibid.* dabimus eis manducare. 40. et per quinquagenos. 44. milia. 45. navem. 49. viderunt et; *ibid.* super mare. 50. dixit illis. 51. in navem. 52. cor illorum. 53. Gennesareth. 55. grabattis. 56. aut in civitates.

inquinent? Syrophoenissae filia a Daemonio liberatur. Surdi ac muti curatio.

1. [n] Et conveniunt ad eum Pharisaei, et quidam de Scribis, venientes ab Ierosolymis.

2. Et cum vidissent quosdam ex discipulis ejus communibus manibus, id est, non lotis, manducare panes, vituperaverunt.

3. Pharisaei enim, et omnes Judaei, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem Seniorum;

4. et a foro nisi baptizentur, non comedunt; et alia multa sunt, quae tradita sunt illis servare, baptismata [o] calicum, et urceorum, et aeramentorum, et lectorum.

5. Et interrogabant eum Pharisaei et Scribae: Quare discipuli tui non ambulant juxta traditionem Seniorum, sed communibus manibus manducant panem?

6. At ille respondens, dixit eis: Bene prophetavit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est: „Populus hic labiis me ho-„norat, cor autem eorum longe „est a me.

7. „In vanum autem me colunt, „docentes doctrinas, et praece-„pta hominum [p].“

8. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum et calicum; et alia similia his facitis multa.

9. Et dicebat illis: Bene irritum facitis praeceptum Dei, ut traditionem vestram servetis.

10. Moyses enim dixit: „Ho-„nora patrem tuum et matrem „tuam.“ Et: „Qui maledixerit „patri vel matri, morte moria-„tur [q].“

11. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri aut matri, Corban (quod est donum) quodcumque ex me, tibi profuerit;

12. et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo, aut matri,

13. rescindentes verbum Dei per traditionem vestram, quam tradidistis; et similia hujusmodi multa facitis.

14. Et advocans iterum turbam, dicebat illis: Audite me omnes, et intelligite!

15. Nihil [r] est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare; sed quae de homine procedunt, illa sunt, quae communicant hominem.

16. Si quis habet aures audiendi, audiat!

17. Et cum introisset in domum a turba, interrogabant eum discipuli ejus parabolam.

18. Et ait illis: Sic et vos imprudentes estis? Non intelligitis, quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare;

19. quia non intrat in cor ejus, sed in ventrem vadit, et in secessum exit, purgans omnes escas?

20. Dicebat autem: Quoniam, quae de homine exeunt, illa communicant hominem;

21. ab intus enim de corde hominum malae cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia,

[n] v. 1—23. Matth. 15, 1—20. [o] Matth. 23, 25. [p] Jes. 29, 13.

[q] Exod. 20, 12. Levit. 20, 9. [r] Matth. 15, 17—20.

Cap. VII. 5. interrogant. 7. doctrinas praecepta. 10. patri aut matri mortem moriatur. 19. *omiss.* vadit. 21. cogitationes malae.

22. furta, avaritiae, nequitiae, dolus, impudicitiae, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia.

23. Omnia haec mala ab intus procedunt, et communicant hominem.

24. [s]Et inde surgens, abiit in fines Tyri et Sidonis; et ingressus domum, neminem voluit scire, et non potuit latere.

25. Mulier enim statim ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit, et procidit ad pedes ejus.

26. Erat enim mulier gentilis, Syrophoenissa genere, et rogabat eum, ut daemonium ejiceret de filia ejus.

27. Qui dixit illi: Sine prius saturari filios! non est enim bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.

28. At illa respondit, et dixit illi: Utique, Domine! nam et catelli comedunt sub mensa de micis puerorum.

29. Et ait illi: Propter hunc sermonem vade! exiit daemonium a filia tua.

30. Et cum abiisset domum suam, invenit puellam jacentem supra lectum, et daemonium exiisse.

31. Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilaeae inter medios fines Decapoleos.

32. Et adducunt ei surdum et mutum, et deprecabantur eum, ut imponat illi manum.

33. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus; et exspuens[t], tetigit linguam ejus;

34. et suspiciens in coelum, ingemuit, et ait illi: Ephpheta! quod est, adaperire.

35. Et statim apertae sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguae ejus; et loquebatur recte.

36. Et praecepit[u] illis, ne cui dicerent. Quanto autem eis praecipiebat, tanto magis plus praedicabant;

37. et eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit! et surdos fecit audire, et mutos loqui.

CAP. VIII.

Septem panes et pauci pisciculi multiplicantur. Pharisaeorum fermentum. Caecus sensim curatur. Petri confessio. Tollendae crucis necessitas.

1. [v]In diebus illis, iterum cum turba multa esset, nec haberent, quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis;

2. Misereor super turbam! quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent;

3. et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via; quidam enim ex eis de longe venerunt.

4. Et responderunt ei discipuli sui: Unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine?

5. Et interrogavit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem.

[s] v, 24—31. Matth. 15, 21—31.

[t] c. 8, 23. [u] Matth. 8, 4. [v] v. 1—10. Matth. 15, 32—39.

Cap. VII. 22. inpudicitia. 25. cujus habebat filia. 26. erat autem. 28. dicit ei; *ibid.* sub mensa comedunt. 29. de filia. 30. exisse. 32. deprecantur. 33. auriculas (*omiss.* ejus.) 34. effetha. VIII. 2. super turba. 4. unde istos poterit quis hic.

6. Et praecepit turbae discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, et dabat discipulis suis, ut apponerent; et apposuerunt turbae.

7. Et habebant pisciculos paucos; et ipsos benedixit, et jussit apponi.

8. Et manducaverunt, et saturati sunt; et sustulerunt, quod superaverat de fragmentis, septem sportas.

9. Erant autem, qui manducaverant, quasi quatuor millia; et dimisit eos.

10. Et statim ascendens navim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha.

11. [w]Et exierunt Pharisaei, et coeperunt conquirere cum eo, quaerentes[x] ab illo signum de coelo, tentantes eum.

12. Et ingemiscens spiritu, ait: Quid generatio ista signum quaerit? Amen dico vobis: Si dabitur generationi isti signum!

13. Et dimittens eos, ascendit iterum navim et abiit trans fretum.

14. Et obliti sunt panes sumere; et nisi unum panem non habebant secum in navi.

15. Et praecipiebat eis, dicens: Videte, et cavete a fermento Pharisaeorum, et fermento Herodis.

16. Et cogitabant ad alterutrum, dicentes: Quia panes non habemus!

17. Quo cognito, ait illis Jesus: Quid cogitatis, quia panes non habetis? nondum[y] cognoscitis, nec intelligitis? adhuc caecatum habetis cor vestrum?

18. Oculos habentes non videtis? et aures habentes non auditis? Nec recordamini,

19. quando quinque panes fregi in quinque millia; quot[z] cophinos fragmentorum plenos sustulistis? Dicunt ei: Duodecim.

20. Quando et septem panes in quatuor millia; quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei: Septem[a].

21. Et dicebat eis: Quomodo nondum intelligitis?

22. Et veniunt Bethsaidam, et adducunt ei caecum, et rogabant eum, ut illum tangeret.

23. Et apprehensa manu caeci, eduxit eum extra vicum; et exspuens[b] in oculos ejus, impositis manibus suis, interrogavit eum, si quid videret.

24. Et aspiciens, ait: Video homines velut arbores, ambulantes.

25. Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus; et coepit videre, et restitutus est ita, ut clare videret omnia.

26. Et misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam! et si in vicum introieris, nemini[c] dixeris.

27. [d]Et egressus est Jesus, et discipuli ejus in castella Caesareae Philippi; et in via interro-

[w] v. 11—21. Matth. 16, 1—12. [x] Matth. 12, 38.

[y] c. 6, 52. [z] c. 6, 43. [a] cf. v. 8. [b] c. 7, 33. Joh 9, 6. [c] Matth. 8, 4. [d] v. 27 — 39. Matth. 16, 13 — 28. Luc. 9, 18 — 27.

Cap. VIII. 6. supra terram. 10. navem. 12. quaerit signum. 13. ascendens iterum abiit. 14. sumere panes. 15. videte cavete. 17. Jesus ait illis; *ibid.* neque intellegitis. 19. et quot cophinos. 22. Bethsaida. 23. adprehendens manum; *ibid.* si aliquid. 25. videret clare. 27. in castello.

gabat discipulos suos, dicens eis: Quem me dicunt esse homines?

28. Qui responderunt illi, dicentes: Joannem[e] Baptistam, alii Eliam, alii vero quasi unum de prophetis.

29. Tunc dicit illis: Vos vero quem me esse dicitis? Respondens Petrus, ait ei: Tu es Christus!

30. Et comminatus[f] est eis, ne cui dicerent de illo.

31. Et coepit[g] docere eos, quoniam oportet Filium hominis pati multa, et reprobari a Senioribus, et a summis Sacerdotibus, et Scribis, et occidi; et post tres dies resurgere.

32. Et palam verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, coepit increpare[h] eum.

33. Qui conversus, et videns discipulos suos, comminatus est Petro, dicens: Vade retro me, satana[i]! quoniam non sapis, quae Dei sunt, sed quae sunt hominum.

34. Et convocata turba cum discipulis suis, dixit eis: Si quis vult me sequi, deneget semet ipsum, et tollat[k] crucem suam, et sequatur me.

35. Qui enim[l] voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, et Evangelium, salvam faciet eam.

36. Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum, et detrimentum animae suae faciat?

37. Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua?

38. Qui enim me confusus fuerit, et verba mea, in generatione ista adultera et peccatrice; et Filius hominis confundetur[m] eum, cum venerit[n] in gloria patris sui cum angelis sanctis.

39. Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant[o] regnum Dei, veniens in virtute.

CAP. IX.

Jesus transfiguratur. Eliam venisse demonstrat; surdum ac mutum spiritum ejicit; mala sua praedicit. Quis discipulorum major sit? Amputandum manus, pedis et oculi scandalum.

1. [p]Et post dies sex assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem; et ducit illos in montem excelsum seorsum solos, et transfiguratus est coram ipsis.

2. Et vestimenta ejus facta sunt splendentia, et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.

3. Et apparuit illis Elias cum Moyse; et erant loquentes cum Jesu.

4. Et respondens Petrus, ait Jesu: Rabbi! bonum est nos hic esse, et faciamus tria tabernacula, Tibi unum, et Moysi unum, et Eliae unum.

5. Non enim sciebat, quid di-

[e] Matth. 14, 2. [f] c. 9, 8. [g] Matth. 16, 21. [h] Joh. 11, 8. [i] 2 Reg. 19, 22. [k] Matth 10, 38. sq. [l] Joh. 12, 25.

[m] Matth. 10, 33. [n] Matth 25, 31. [o] Matth. 26, 64. [p] v. 1—12. Matth. 17, 1—13. Luc. 9, 28—36

Cap. VIII. 29. dicitis esse. 31. docere illos; *ibid.* multa pati. 34. post me sequi; *ibid.* deneget se ipsum. 35. salvam eam faciet. 36. detrimentum faciet animae suae. 37. commutationem. 38. mea verba. IX. 2. splendentia candida; *ibid.* super terram non potest. 4. hic nos esse.

ceret; erant enim timore exterriti.

6. Et facta est nubes obumbrans eos, et venit[q] vox de nube, dicens: Hic est filius meus carissimus; audite illum!

7. Et statim circumspicientes, neminem amplius viderunt, nisi Jesum tantum secum.

8. Et descendentibus illis de monte, praecepit[r] illis, ne cuiquam, quae vidissent, narrarent; nisi cum Filius hominis a mortuis resurrexerit.

9. Et verbum continuerunt apud se, conquirentes, quid esset: Cum a mortuis resurrexerit.

10. Et interrogabant eum, dicentes: Quid ergo dicunt Pharisaei et Scribae, quia Eliam oportet venire primum?

11. Qui respondens, ait illis: Elias cum venerit primo, restituet omnia; et quomodo scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur, et contemnatur.

12. Sed dico vobis, quia et Elias[s] venit (et fecerunt illi, quaecumque voluerunt) sicut scriptum est de eo.

13. [t]Et veniens ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, et Scribas conquirentes cum illis.

14. Et confestim omnis populus videns Jesum, stupefactus est, et expaverunt, et accurrentes salutabant eum.

15. Et interrogavit eos: Quid inter vos conquiritis?

[q] Matth. 3, 17. 12, 18. 2 Petr. 1, 17. [r] c. 8, 30. [s] Matth. 11, 14. [t] v. 13—28. Matth. 17, 14—21. Luc. 9, 37—43.

16. Et respondens unus de turba, dixit: Magister! attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum,

17. qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, et spumat, et stridet dentibus, et arescit; et dixi discipulis tuis, ut ejicerent illum, et non potuerunt.

18. Qui respondens eis, dixit: O generatio incredula! quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? afferte illum ad me!

19. Et attulerunt eum. Et cum vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum; et elisus in terram, volutabatur spumans.

20. Et interrogavit patrem ejus: Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia.

21. Et frequenter eum in ignem, et in aquas misit, ut eum perderet; sed si quid potes, adjuva nos, misertus nostri.

22. Jesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.

23. Et continuo exclamans pater pueri, cum lacrymis ajebat: Credo, Domine! adjuva incredulitatem meam.

24. Et cum videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde et mute spiritus! ego praecipio tibi, exi ab eo, et amplius ne introeas in eum!

25. Et exclamans, et multum discerpens eum, exiit ab eo, et factus est sicut mortuus, ita, ut multi dicerent: Quia mortuus est!

Cap. IX. 5. erant autem. 8. ne cui quae. 10. Heliam oporteat. 14. videns eum; *ibid.* expaverunt *omiss.* et. 17. adlidit eum. 18. dicit. 19. vidisset illum, conturbavit eum. 21. et in ignem. 22. possibilia credenti. 23. credo adjuva. 24. ego tibi praecipio. 25. exclamans multum discerpens.

26. Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, et surrexit.

27. Et cum introisset in domum, discipuli ejus secreto interrogabant eum: Quare nos non potuimus ejicere eum?

28. Et dixit illis: Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio.

29. [u]Et inde profecti praetergrediebantur Galilaeam; nec volebat quemquam scire.

30. Docebat autem discipulos suos, et dicebat illis: Quoniam[v] Filius hominis tradetur in manus hominum, et occident eum, et occisus, tertia die resurget.

31. At illi ignorabant verbum, et timebant interrogare eum.

32. [w]Et venerunt Capharnaum. Qui cum domi essent, interrogabat eos: Quid in via tractabatis?

33. At illi tacebant; siquidem in via inter se disputaverant, quis eorum major esset?

34. Et residens vocavit duodecim, et ait illis: Si quis[x] vult primus esse, erit omnium novissimus, et omnium minister.

35. Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum; quem cum complexus esset, ait illis:

36. Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit; et quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum, qui misit me.

37. Respondit illi Joannes, dicens: Magister! vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem daemonia, qui non sequitur nos; et prohibuimus eum.

38. Jesus autem ait: Nolite prohibere eum! Nemo est enim, qui faciat virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me.

39. Qui[y] enim non est adversum vos, pro vobis est.

40. Quisquis[z] enim potum dederit vobis calicem aquae in nomine meo, quia Christi estis; Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

41. Et quisquis[a] scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me; bonum est ei magis, si circumdaretur mola asinaria collo ejus, et in mare mitteretur.

42. [b]Et si scandalizaverit te manus tua, abscinde illam! bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem, ire in gehennam, in ignem inextinguibilem,

43. ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.

44. Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum! bonum est tibi claudum introire in vitam aeternam, quam duos pedes habentem, mitti in gehennam ignis inextinguibilis,

45. ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.

46. Quod si oculus tuus scandalizat te, ejice eum! bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis,

47. ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.

[u] v. 29—31. Matth. 17, 21. sq. Luc. 9, 44. sq. [v] Matth. 16, 21. [w] v. 32 — 49. Matth. 18, 1—9. Luc. 9, 46—48. [x] Matth. 20, 26.

[y] Matth. 12, 30. [z] Matth. 10, 42. [a] Luc. 17, 2. [b] Matth. 5, 29. sqq.

Cap. IX. 26. elevavit illum. 31. eum interrogare. 32. domi esset. 33. quis esset illorum major. 35. quem ut. 36. qui me misit

48. Omnis enim igne salietur, et omnis victima sale[c] salietur.

49. Bonum est sal; quod si sal[d] insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal, et pacem[e] habete inter vos!

CAP. X.

Matrimonii vinculum. Parvulos benevole excipit Christus. Divitum salus difficilis. Praemium omnia relinquentibus promissum. Christus extremam sortem suam adnuntiat. Filios Zebedaei ceterosque discipulos docet. Bartimaeum caecum sanat.

1. [f]Et inde exsurgens venit in fines Judaeae ultra Jordanem; et conveniunt iterum turbae ad eum; et sicut consueverat, iterum docebat illos.

2. Et accedentes Pharisaei interrogabant eum: Si licet viro uxorem dimittere? tentantes eum.

3. At ille respondens, dixit eis: Quid vobis praecepit Moyses?

4. Qui dixerunt: Moyses[g] permisit libellum repudii scribere, et dimittere.

5. Quibus respondens Jesus, ait: Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis praeceptum istud;

6. ab initio autem creaturae „masculum, et feminam fecit eos „Deus[h].

7. „Propter hoc relinquet ho„mo patrem suum, et matrem, et „adhaerebit ad uxorem suam;

8. „et erunt duo in carne una[i].“ Itaque jam non sunt duo, sed una caro.

9. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.

[c] Levit. 2, 13. [d] Matth. 5, 13. [e] Rom. 12, 18. [f] v. 1—12. Matth. 19, 1—12. [g] Matth. 5, 31. [h] Genes. 1, 27. [i] Genes. 2, 24.

10. Et in domo iterum discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum.

11. Et ait illis: Quicumque[k] dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam.

12. Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, moechatur.

13. [l]Et offerebant illi parvulos, ut tangeret illos. Discipuli autem comminabantur offerentibus.

14. Quos cum videret Jesus, indigne tulit, et ait illis: Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos! talium[m] enim est regnum Dei.

15. Amen dico vobis: Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.

16. Et complexans eos, et imponens manus super illos, benedicebat eos.

17. [n]Et cum egressus esset in viam, procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum: Magister bone! quid faciam, ut vitam aeternam percipiam?

18. Jesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus.

19. Praecepta nosti: „Ne adul„teres; ne occidas; ne fureris; „ne falsum testimonium dixeris; „ne fraudem feceris; honora pa„trem tuum et matrem[o].“

20. At ille respondens, ait illi:

[k] Matth. 5, 32. 19, 9. Luc. 16, 18. 1 Cor. 7, 10. [l] v. 13—16. Matth. 19, 13—15. Luc. 18, 15—17. [m] Matth. 18, 3. [n] v. 17—31. Matth. 19, 16—30. Luc. 18, 18—30. [o] Exod. 20, 12. sqq. Deut. 5, 16. sqq.

Cap. IX. 48. sallietur (*omiss.* sale). X. 7. adherebit. 9. junxit. 14. talium est enim. 15. quisque.

Magister! haec omnia observavi a juventute mea.

21. Jesus autem intuitus eum, dilexit eum, et dixit ei: Unum tibi deest! vade! quaecumque habes, vende, et da pauperibus, et habebis[p] thesaurum in coelo; et veni, sequere me!

22. Qui contristatus in verbo, abiit moerens; erat enim habens multas possessiones.

23. Et circumspiciens Jesus, ait discipulis suis: Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt!

24. Discipuli autem obstupescebant in verbis ejus. At Jesus rursus respondens, ait illis: Filioli! quam difficile est, confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire!

25. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei.

26. Qui magis admirabantur, dicentes ad semet ipsos: Et quis potest salvus fieri?

27. Et intuens illos Jesus, ait: Apud homines impossibile est, sed non apud Deum; omnia enim possibilia sunt apud Deum.

28. Et coepit ei Petrus dicere: Ecce! nos dimisimus omnia, et secuti sumus te.

29. Respondens Jesus, ait: Amen dico vobis: Nemo[q] est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, et propter evangelium;

30. qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros, cum persecutionibus, et in saeculo futuro vitam aeternam.

31. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi.

32. [r]Erant autem in via ascendentes Ierosolymam; et praecedebat illos Jesus, et stupebant; et sequentes timebant. Et assumens iterum duodecim, coepit illis dicere, quae essent ei eventura.

33. Quia ecce! ascendimus Ierosolymam, et Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, et Scribis et Senioribus, et damnabunt eum morte, et tradent eum gentibus.

34. Et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum, et interficient[s] eum; et tertia die resurget.

35. [t]Et accedunt ad eum Jacobus et Joannes, filii Zebedaei, dicentes: Magister! volumus, ut quodcumque petierimus, facias nobis.

36. At ille dixit eis: Quid vultis, ut faciam vobis?

37. Et dixerunt: Da nobis, ut unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram tuam sedeamus, in gloria tua.

38. Jesus autem ait eis: Nescitis, quid petatis! potestis bibere calicem, quem ego[u] bibo? aut baptismo, quo ego[v] baptizor, baptizari?

39. At illi dixerunt ei: Possumus! Jesus autem ait eis: Calicem quidem, quem ego bibo, bi-

[p] Matth. 6, 20. [q] Matth. 19, 28. sqq.

[r] v. 32—34. Matth. 20, 17—19. Luc. 18, 31—34. [s] Matth. 16, 21. [t] v. 35—45. Matth. 20, 20—28. [u] Joh. 18, 11. [v] Luc. 12, 50.

Cap. X. 21. illi. 22. possessiones multas. 28. coepit Petrus ei dicere. 29. aut matrem aut patrem. 30. cum persecutoribus (*sic, si non est σφάλμα*). 32. ascendentes in Hierosolyma. 33. in Hierosolyma; *ibid. omiss.* et Senioribus. 34. interficient eum (*deest* et).

betis; et baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini;

40. sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum[w] est.

41. Et audientes decem coeperunt indignari[x] de Jacobo et Joanne.

42. Jesus autem vocans eos, ait illis: Scitis, quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis; et principes eorum potestatem habent ipsorum.

43. Non ita est autem in vobis, sed quicumque[y] voluerit fieri major, erit vester minister;

44. et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus.

45. Nam et Filius hominis non venit, ut ministraretur ei; sed ut ministraret, et daret animam suam redemptionem pro multis.

46. [z]Et veniunt Jericho; et proficiscente eo de Jericho, et discipulis ejus, et plurima multitudine, filius Timaei Bartimaeus caecus, sedebat juxta viam mendicans.

47. Qui cum audisset, quia Jesus Nazarenus est, coepit clamare et dicere: Jesu, fili David! miserere mei.

48. Et comminabantur ei multi, ut taceret. At ille multo magis clamabat: Fili David! miserere mei.

49. Et stans Jesus praecepit illum vocari. Et vocant caecum, dicentes ei: Animaequior esto! surge, vocat te!

50. Qui projecto vestimento suo exiliens, venit ad eum.

51. Et respondens Jesus dixit illi: Quid tibi vis, faciam? Caecus autem dixit ei: Rabboni! ut videam.

52. Jesus autem ait illi: Vade! fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, et sequebatur eum in via.

CAP. XI.

Ierusalem ingreditur Christus. De ficu maledicta. Venditores e templo ejecti. Fidei efficacia. Christi auctoritas. Baptismus Joannis.

1. [a]Et cum appropinquarent Jerosolymae, et Bethaniae ad montem Olivarum, mittit duos ex discipulis suis,

2. et ait illis: Ite in castellum, quod contra vos est, et statim introeuntes illuc, invenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit; solvite illum, et adducite!

3. Et si quis vobis dixerit: Quid facitis? Dicite, quia Domino necessarius est! et continuo illum dimittet huc.

4. Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio; et solvunt eum.

5. Et quidam de illic stantibus dicebant illis: Quid facitis solventes pullum?

6. Qui dixerunt eis, sicut praeceperat illis Jesus, et dimiserunt eis.

7. Et duxerunt pullum ad Je-

[w] Matth. 25, 34. [x] Luc. 22, 24. sqq. [y] Matth. 20, 26. sqq. [z] v. 46—52. Matth. 20, 29—34. Luc. 18, 35—43.

[a] v. 1—10. Matth. 21, 1—11. Luc. 19, 29—44. Joh. 12, 12—15.

Cap. X. 39. baptismum quo (*sic*). 40. dextram; *ibid.* meum dare *omiss.* vobis. 45. redemtionem. 46. Hierichum; *ibid.* eo Hiericho; *ibid.* Bartimeus. 47. fili David Jesus clamavit. 51. quid vis tibi. 52. in viam. XI. 1. Hierosolymae. 2. est contra vos.

sum; et imponunt illi vestimenta sua, et sedit super eum.

8. Multi autem vestimenta sua straverunt in via; alii autem frondes caedebant de arboribus, et sternebant in via.

9. Et qui praeibant, et qui sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna!

10. Benedictus[b], qui venit, in nomine Domini! Benedictum, quod venit, regnum patris nostri David! Hosanna in excelsis!

11. Et introivit Ierosolymam in templum; et circumspectis omnibus, cum jam vespera esset hora,[c] exiit in Bethaniam cum duodecim.

12. Et alia die cum exirent a Bethania, esuriit.

13. Cumque vidisset a longe ficum habentem folia, venit, si quid forte inveniret in ea; et cum venisset ad eam, nihil invenit praeter folia; non enim erat tempus ficorum.

14. Et respondens dixit ei: Jam[d] non amplius in aeternum ex te fructum quisquam manducet! Et audiebant discipuli ejus.

15. [e]Et veniunt Ierosolymam. Et cum introisset in templum, coepit ejicere vendentes, et ementes in templo; et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit.

16. Et non sinebat, ut quisquam transferret vas per templum.

17. Et docebat, dicens eis: Nonne scriptum est: „Quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus[f]?" Vos autem fecistis eam speluncam latronum.

18. Quo audito, principes Sacerdotum et Scribae quaerebant[g], quomodo eum perderent; timebant enim eum, quoniam universa turba admirabatur super doctrina ejus.

19. [h]Et cum vespera facta esset, egrediebatur de civitate.

20. Et cum mane transirent, viderunt ficum aridam factam a radicibus.

21. Et recordatus Petrus, dixit ei: Rabbi! ecce! ficus, cui maledixisti, aruit.

22. Et respondens Jesus ait illis: Habete fidem Dei!

23. Amen dico vobis: Quia, quicumque dixerit huic monti: Tollere, et mittere in mare! et non haesitaverit in corde suo, sed crediderit, quia, quodcumque dixerit, fiat: fiet ei.

24. Propterea dico vobis: Omnia[i] quaecumque orantes petitis, credite, quia accipietis, et evenient vobis.

25. Et cum stabitis[k] ad orandum, dimittite, si quid habetis adversus aliquem; ut et Pater vester, qui in coelis est, dimittat vobis peccata vestra.

26. Quod[l]si vos non dimiseritis; nec Pater vester, qui in coelis est, dimittet vobis peccata vestra.

27. [m]Et veniunt rursus Iero-

[b] Ps. 117, 25. sq. [c] v. 11—14. Matth. 21, 17. sqq. [d] Luc. 13, 6. 7. [e] v. 15—18. Matth. 21, 12—15. Luc. 19, 45—48. Joh. 2, 15—18.

[f] Jes. 56, 7. Jer. 7, 11. [g] Luc. 20, 19. [h] v. 19—26. Matth. 21, 20—22. [i] Matth. 7, 7. sqq. [k] Matth. 5, 23. sqq. [l] Matth. 6, 14. sq. [m] v. 27—33. Matth. 21, 23—32. Luc. 20, 1—8.

Cap. XI. 9. Osanna (*sic*). 11. Hierosolyma; *ibid.* vespere esset hora exivit. 12. cum irent a. 14. quisquam fructum ex te. 15. Hierosolymam; *ibid.* introisset templum. 17. non scriptum est. 21. dicit ei. 24. et veniet vobis. 25. adversum. 27. Hierosolymam (*semp.*).

solymam. Et cum ambularet in templo, accedunt ad eum summi Sacerdotes, et Scribae, et Seniores,

28. et dicunt ei: In qua potestate haec facis? et quis dedit tibi hanc potestatem, ut ista facias?

29. Jesus autem respondens, ait illis: Interrogabo vos et ego unum verbum, et respondete mihi; et dicam vobis, in qua potestate haec faciam.

30. Baptismus Joannis, de coelo erat? an ex hominibus? Respondete mihi:

31. At illi cogitabant secum, dicentes: Si dixerimus: De coelo! dicet: Quare ergo non credidistis ei?

32. Si dixerimus: Ex hominibus! timemus populum; omnes enim habebant[n] Joannem, quia vere propheta esset.

33. Et respondentes, dicunt Jesu: Nescimus. Et respondens Jesus ait illis: Neque ego dico vobis, in qua potestate haec faciam.

CAP. XII.

Parabolae de vinitoribus homicidis, et de petra angulari. Danda Caesari ea, quae sunt Caesaris. Mortuorum resurrectio. Vita angelica. Amor Dei et proximi. Messias Davidis filius. Scribae superbi. Vidua duo minuta erogans.

1. [o]Et coepit illis in parabolis loqui: Vineam pastinavit homo, et circumdedit sepem, et fodit lacum, et aedificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est.

2. Et misit ad agricolas in tempore servum, ut ab agricolis acciperet de fructu vineae.

3. Qui apprehensum eum ceciderunt, et dimiserunt vacuum.

4. Et iterum misit ad illos alium servum; et illum in capite vulneraverunt, et contumeliis affecerunt.

5. Et rursum alium misit; et illum occiderunt, et plures alios: quosdam caedentes, alios vero occidentes[p].

6. Adhuc ergo unum habens filium carissimum; et illum misit ad eos novissimum, dicens: Quia reverebuntur filium meum!

7. Coloni autem dixerunt ad invicem: Hic est haeres! venite, occidamus eum! et nostra erit haereditas.

8. Et apprehendentes eum, occiderunt; et ejecerunt extra vineam.

9. Quid ergo faciet Dominus vineae? Veniet et perdet colonos; et dabit vineam aliis.

10. Nec scripturam hanc legistis: „Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus „est in caput anguli;

11. „a Domino factum est „istud, et est mirabile in oculis „nostris[q]?"

12. Et quaerebant eum tenere; et timuerunt turbam; cognoverunt enim, quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo, abierunt.

13. [r]Et mittunt ad eum quosdam ex Pharisaeis et Herodianis, ut eum caperent in verbo.

14. Qui venientes, dicunt ei:

[n] Matth. 14, 5. [o] v. 1—12. Matth. 21, 33—46. Luc. 20, 9—19.

[p] Act. 7, 52. [q] Ps. 117, 22. [r] v. 13—27. Matth. 22, 15—33. Luc. 20, 20—40.

Cap. XI. 28. illi. 30. baptismum Johannis. 32. timebant populum. 33. Respondens Jesus (*omiss.* et). XII. 1. saepem; *ibid.* turrem. 6. carissimum *omiss.* filium. 7. heres — hereditas. 11. admirabile.

Magister, scimus, quia verax es, et non curas quemquam; nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces; licet dari tributum Caesari? an non dabimus?

15. Qui sciens versutiam illorum, ait illis: Quid me tentatis? afferte mihi denarium, ut videam.

16. At illi attulerunt ei. Et ait illis: Cujus est imago haec et inscriptio? Dicunt ei: Caesaris.

17. Respondens autem Jesus dixit illis: Reddite[s] igitur, quae sunt Caesaris, Caesari; et quae sunt Dei, Deo. Et mirabantur super eo.

18. Et venerunt ad eum Sadducaei, qui dicunt[t] resurrectionem non esse, et interrogabant eum, dicentes:

19. Magister! Moyses nobis scripsit, ut, „si cujus frater mor„tuus fuerit, et dimiserit uxorem, „et filios non reliquerit, accipiat „frater ejus uxorem ipsius, et „resuscitet semen fratri suo.“[u]

20. Septem ergo fratres erant; et primus accepit uxorem, et mortuus est, non relicto semine.

21. Et secundus accepit eam, et mortuus est; et nec iste reliquit semen. Et tertius similiter.

22. Et acceperunt eam similiter septem; et non reliquerunt semen. Novissima omnium defuncta est et mulier.

23. In resurrectione ergo cum resurrexerint, cujus de his erit uxor? Septem enim habuerunt eam uxorem.

24. Et respondens Jesus, ait illis: Nonne ideo erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei?

25. Cum enim a mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli in coelis.

26. De mortuis autem, quod resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum quomodo dixerit illi Deus, inquiens: „Ego „sum Deus Abraham, et Deus „Isaac, et Deus Jacob?“[v]

27. Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Vos ergo multum erratis.

28. [w]Et accessit unus de Scribis, qui audierat illos conquirentes, et videns, quoniam bene illis responderit, interrogavit eum, quod esset primum omnium mandatum.

29. Jesus autem respondit ei: Quia primum omnium mandatum est: „Audi, Israel! Dominus, „Deus tuus, Deus unus est:

30. „Et diliges Dominum Deum „tuum ex toto corde tuo, et ex „tota anima tua, et ex tota mente „tua, et ex tota virtute tua.“ [x]Hoc est primum mandatum.

31. Secundum autem simile est illi: „Diliges[y] proximum tuum, „tanquam te ipsum.“ Majus horum aliud mandatum non est.

32. Et ait illi scriba: Bene, Magister! in veritate dixisti, quia unus est Deus, et non est alius praeter eum.

33. Et ut diligatur ex toto corde, et ex toto intellectu, et ex tota anima, et ex tota fortitudine; et diligere proximum tanquam se

[s] Rom. 13, 7. [t] Act. 23, 8. [u] Deut. 25, 5.

[v] Exod. 3, 6. [w] v. 28—34. Matth. 22, 34—40. [x] Deut. 6, 4. 5. [y] Levit. 19, 18. Matth. 22, 39.

Cap. XII. 14. viam Domini. 15. versutiam eorum. 16. *omiss.* ei; *ibid.* dicunt illi. 24. non ideo. 29. Deus noster. 32. quia unus est (*omiss.* Deus).

ipsum, majus est omnibus holocautomatibus et sacrificiis.

34. Jesus autem videns, quod sapienter respondisset, dixit illi: Non es longe a regno Dei. Et nemo jam audebat eum interrogare.

35. [a]Et respondens Jesus dicebat, docens in templo: Quomodo dicunt Scribae, Christum filium esse David?

36. Ipse enim David dicit in Spiritu sancto: „Dixit Dominus „Domino meo, sede a dextris „meis, donec ponam inimicos „tuos scabellum pedum tuo- „rum.“ [a]

37. Ipse ergo David dicit eum Dominum, et unde est filius ejus? Et multa turba eum libenter audivit.

38. [b]Et dicebat eis in doctrina sua: Cavete a Scribis, qui volunt in stolis ambulare, et salutari in foro:

39. et in primis cathedris sedere in synagogis, et primos discubitus in coenis;

40. qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixae orationis; hi accipient prolixius judicium.

41. [c]Et sedens Jesus contra gazophylacium, aspiciebat, quomodo turba jactaret aes in gazophylacium, et multi divites jactabant multa.

42. Cum venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta, quod est quadrans:

43. Et convocans discipulos suos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua haec pauper plus [d] omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium.

44. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt; haec vero de penuria sua omnia, quae habuit, misit totum victum suum.

CAP. XIII.

Templi ruinam praenuntiat Christus: quaerentibus de hac re discipulis copiose respondet. Templi eversionis atque ultimi adventus signa.

1. [e]Et cum egrederetur de templo, ait illi unus ex discipulis suis: Magister! aspice, quales lapides, et quales structurae!

2. Et respondens Jesus, ait illi: Vides has omnes magnas aedificationes? Non relinquetur [f] lapis super lapidem, qui non destruatur.

3. Et cum sederet in monte Olivarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus, et Jacobus, et Joannes, et Andreas:

4. Dic nobis, quando ista fient? et quod signum erit, quando haec omnia incipient consummari?

5. Et respondens Jesus, coepit dicere illis: Videte, ne quis vos seducat!

6. Multi enim venient in nomine meo, dicentes, quia ego sum; et multos seducent.

7. Cum audieritis autem bella, et opiniones bellorum, ne timueritis; oportet enim haec fieri; sed nondum finis.

8. Exsurget enim gens contra

[a] v. 35—37. Matth. 22, 41—46. Luc. 20, 41—44. [a] Ps. 109, 1. [b] v. 38—40. Luc. 20. 45—47. Matth. 23, 1. sqq. [c] v. 41—44. Luc. 21, 1—4.

[d] 2 Cor. 8, 12. [e] v. 1—37. Matth. 24, 1—36. Luc. 21, 5—36. [f] Luc. 19, 44.

Cap. XII. 33. holocaustomatibus. 39. caenis (*sic semper et similiter* paenuria, caelum al.). XIII. 3. in montem olivarum. 7. oportet enim fieri.

gentem, et regnum super regnum, et erunt terrae motus per loca, et fames. Initium dolorum haec.

9. Videte[g] autem vosmet ipsos! Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis vapulabitis, et ante praesides et reges stabitis propter me, in testimonium illis.

10. Et in omnes gentes primum oportet praedicari Evangelium.

11. Et cum duxerint vos tradentes, nolite[h] praecogitare, quid loquamini; sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini. Non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus.

12. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium; et consurgent filii in parentes, et morte afficient eos.

13. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui[i] autem sustinuerit in finem, hic salvus erit.

14. Cum[k] autem videritis abominationem desolationis stantem, ubi non debet, qui legit, intelligat! tunc, qui in Judaea sunt, fugiant in montes;

15. et qui[l] super tectum, ne descendat in domum, nec introeat, ut tollat quid de domo sua;

16. et qui in agro erit, non revertatur retro tollere vestimentum suum.

17. Vae autem praegnantibus, et nutrientibus in illis diebus!

18. Orate vero, ut hyeme non fiant.

19. Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturae, quam condidit Deus, usque nunc, neque fient.

20. Et nisi breviasset Dominus dies, non fuisset salva omnis caro; sed propter electos, quos elegit, breviavit dies.

21. Et tunc[m], si quis vobis dixerit: Ecce! hic est Christus, ecce! illic; ne credideritis.

22. Exsurgent enim pseudochristi[n], et pseudoprophetae, et dabunt signa, et portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos.

23. Vos ergo videte! ecce, praedixi vobis omnia.

24. Sed in illis diebus, post tribulationem illam, sol contenebrabitur, et luna non dabit splendorem suum;

25. et stellae coeli erunt decidentes, et virtutes, quae in coelis sunt, movebuntur.

26. Et tunc videbunt[o] Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, et gloria.

27. Et tunc mittet angelos suos, et congregabit electos suos a quatuor ventis, a summo terrae, usque ad summum coeli.

28. A ficu autem discite parabolam. Cum jam ramus ejus tener fuerit, et nata fuerint folia, cognoscitis, quia in proximo sit aestas;

29. sic et vos cum videritis haec fieri, scitote, quod in proximo sit in ostiis.

30. Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio haec, donec omnia[p] ista fiant.

[g] Matth. 10, 17. sq. [h] Matth. 10, 19. sq. [i] Matth. 24, 13. [k] Matth. 24, 15. [l] Matth. 24, 17.

[m] Luc. 17, 23. [n] cf. v. 6. Matth. 7, 15. [o] Matth. 24, 29. sq. 26, 64. [p] v. 6—29.

Cap. XIII. 9. conciliis (*omiss.* in). 11. estis vos. 17. praegnatibus (*sic*). 19. tribulationis. 22. si potest fieri. 25. quae sunt in caelis.

31. Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

32. De die autem illo, vel hora nemo scit, neque angeli in coelo, neque Filius, nisi Pater.

33. Videte[q], vigilate, et orate! nescitis enim, quando tempus sit.

34. Sicut[r] homo, qui peregre profectus, reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem cujusque operis, et janitori praecepit, ut vigilet.

35. Vigilate ergo! [nescitis enim, quando dominus domus veniat; sero an media nocte, an galli cantu, an mane]

36. ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes.

37. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate!

CAP. XIV

Judaeorum conspiratio in Jesum, qui unguento a muliere perfunditur. Judae proditio. Ultima coena. Eucharistiae institutio. Christus Petri vacillantem animum praedicit. Orat in horto. Captus ad Caipham ducitur. Ibi accusatus damnatur, caeditur, ter a Petro coram aliis negatur.

1. [s]Erat autem Pascha[t] et Azyma post biduum; et quaerebant[u] summi Sacerdotes et Scribae, quomodo eum dolo tenerent, et occiderent.

2. Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.

3. [v]Et cum esset Bethaniae in domo Simonis leprosi, et recumberet; venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, et fracto alabastro effudit super caput ejus.

4. Erant autem quidam indigne ferentes intra semet ipsos, et dicentes: Ut quid perditio ista unguenti facta est?

5. Poterat enim unguentum istud vaenundari plus, quam trecentis denariis, et dari pauperibus. Et fremebant in eam.

6. Jesus autem dixit: Sinite eam! quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me.

7. Semper enim pauperes habetis vobiscum; et cum volueritis, potestis illis benefacere; me autem non semper habetis.

8. Quod habuit haec, fecit; praevenit ungere corpus meum in sepulturam.

9. Amen dico vobis: Ubicumque praedicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo, et quod fecit haec, narrabitur in memoriam ejus.

10. [w]Et Judas Iscariotes unus de duodecim abiit ad summos Sacerdotes, ut proderet eum illis.

11. Qui audientes, gavisi sunt; et promiserunt ei pecuniam se daturos. Et quaerebat, quomodo illum opportune traderet.

12. [x]Et primo die Azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quo vis eamus, et paremus tibi, ut manduces Pascha[y]?

13. Et mittit duos ex discipulis suis, et dicit eis: Ite in civita-

[q] Matth. 25, 13. [r] Matth. 25, 14—30. Luc. 19, 12. sqq. [s] v. 1. 2. Matth. 26, 1—5. Luc. 21, 37. — 22, 2. [t] Matth. 26, 17. [u] Joh. 11, 47. sqq. [v] v. 3—9. Matth. 26, 6—13. Joh. 12, 1—8.

[w] v. 10, 11. Matth. 26, 14—16. Luc. 22, 3—6. [x] v. 12—25. Matth. 26, 17—29. Luc. 22, 7—23. [y] Exod. 12.

Cap. XIII. 34. janitori praecipiat (*sic*). XIV. 2. fieret populi. 5. unguentum istud veniri. 10. Scariotis.

tem; et occurret vobis homo, lagenam aquae bajulans, sequimini eum;

14. et quocumque introierit, dicite domino domus, quia Magister dicit: Ubi est refectio mea, ubi Pascha cum discipulis meis manducem?

15. Et ipse vobis demonstrabit coenaculum grande, stratum; et illic parate nobis.

16. Et abierunt discipuli ejus, et venerunt in civitatem; et invenerunt, sicut dixerat illis, et paraverunt Pascha.

17. Vespere autem facto, venit cum duodecim.

18. Et discumbentibus eis, et manducantibus, ait Jesus: Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum.

19. At illi coeperunt contristari, et dicere ei singulatim: Numquid ego?

20. Qui ait illis: Unus ex duodecim, qui intingit[z] mecum manum in catino.

21. Et Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de eo; vae autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur! bonum erat ei, si non esset natus homo ille.

22. Et manducantibus illis, accepit[a] Jesus panem; et benedicens fregit, et dedit eis, et ait: Sumite, hoc est corpus meum.

23. Et accepto calice, gratias agens dedit eis: et biberunt ex illo omnes.

24. Et ait illis: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.

25. Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei.

26. [b]Et hymno dicto exierunt in montem Olivarum.

27. Et ait eis Jesus: Omnes scandalizabimini in me in nocte ista, quia scriptum est: „Percutiam pastorem, et dispergentur „oves."[c]

28. Sed postquam resurrexero, praecedam[d] vos in Galilaeam.

29. Petrus[e] autem ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te: sed non ego.

30. Et ait illi Jesus: Amen dico tibi: Quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus[f].

31. At ille amplius loquebatur: Et si oportuerit me simul commori[g] tibi, non te negabo. Similiter autem et omnes dicebant.

32. [h]Et veniunt in praedium, cui nomen Gethsemani, et ait discipulis suis: Sedete hic, donec orem.

33. Et assumit[i] Petrum, et Jacobum, et Joannem secum; et coepit pavere, et taedere.

34. Et ait illis: Tristis[k] est anima mea usque ad mortem! sustinete hic, et vigilate!

[z] Joh. 13, 18. [a] 1 Cor. 11, 23. sqq.

[b] v. 26—31. Matth. 26, 30—35. Luc. 22, 39. [c] Zach. 13, 7. [d] c. 16, 7. [e] Luc. 22, 33. [f] cf. v. 66. sqq. [g] Joh. 13, 37. [h] v. 32—46. Matth. 26, 36—50. Luc. 22, 40—54. Joh. 18, 1. [i] Matth. 17, 1. [k] Joh. 12, 27.

Cap. XIV. 13. occurrit; *ibid.* laguenam. 18. me tradet. 19. dicere ei singillatim. 21. traditur; *ibid.* bonum est ei. 22. accipit. 24. effunditur. 25. quod jam; *ibid.* de genimine. 27. scandalizabimini in me (*omiss.* omnes); *ibid.* dispargentur. 28. posteaquam surrexero. 29. ait ei; *ibid.* scandalizati fuerint (*omiss.* in te). 30. priusquam bis Gallus. 32. Gesemani.

35. Et cum processisset paululum, procidit super terram; et orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora,

36. et dixit: Abba pater! omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me, sed non, quod ego volo, sed quod tu.

37. Et venit, et invenit eos dormientes. Et ait Petro: Simon! dormis? non potuisti una hora vigilare?

38. Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem; Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma.

39. Et iterum abiens, oravit, eumdem sermonem dicens.

40. Et reversus, denuo invenit eos dormientes, (erant enim oculi eorum gravati,) et ignorabant, quid responderent ei.

41. Et venit tertio, et ait illis: Dormite jam, et requiescite! Sufficit! venit hora! ecce! Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

42. Surgite, eamus! ecce! qui me tradet, prope est.

43. [l] Et, adhuc eo loquente, venit Judas Iscariotes, unus de duodecim, et cum eo turba multa, cum gladiis et lignis, a summis Sacerdotibus, et Scribis, et Senioribus.

44. Dederat autem traditor ejus signum eis, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, et ducite caute.

45. Et cum venisset, statim accedens ad eum, ait: Ave, Rabbi! et osculatus est eum.

46. At illi manus injecerunt in eum, et tenuerunt eum.

47. Unus autem quidam de circumstantibus, educens gladium, percussit servum summi Sacerdotis, et amputavit illi auriculam.

48. Et respondens Jesus, ait illis: Tanquam ad latronem existis cum gladiis, et lignis comprehendere me?

49. Quotidie[m] eram apud vos in templo docens, et non me tenuistis. Sed ut impleantur[n] Scripturae.

50. Tunc discipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt.

51. Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo; et tenuerunt eum.

52. At ille, rejecta sindone, nudus profugit ab eis.

53. [o] Et adduxerunt Jesum ad summum Sacerdotem; et convenerunt omnes Sacerdotes, et Scribae, et Seniores.

54. Petrus autem a longe secutus est eum, usque intro in atrium summi Sacerdotis; et sedebat cum ministris ad ignem, et calefaciebat se.

55. [p] Summi vero Sacerdotes, et omne concilium quaerebant adversus Jesum testimonium, ut eum morti traderent; nec inveniebant.

56. Multi enim testimonium falsum dicebant adversus eum;

[l] v. 43—52. Matth. 26, 47—56. Luc. 22, 47—53. Joh. 18, 2—11.

[m] Joh. 18, 20. [n] Matth. 26, 54. [o] v. 53. 54. Matth. 26, 57. 58. Luc. 22, 54. sq. Joh. 18, 12—15. [p] v. 55—65. Matth. 26, 59—68.

Cap. XIV. 38. promtus (*omiss.* est). 40. oculi illorum ingravati. 41. traditur filius hominis. 42. tradit. 43. Scarioth (*sed hoc ad marginem scriptum est minutioribus literis*); *ibid.* et cum illo; *ibid.* et a scribis et a senioribus. 44. caute ducite. 45. Rabbi (*omiss.* ave). 49. cotidie; *ibid.* adimpleantur 53. et conveniunt. 54. usque in atrium; *ibid.* cum ministris et calefaciebat se ad ignem.

et convenientia testimonia non erant.

57. Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant adversus eum, dicentes:

58. Quoniam nos audivimus eum dicentem: Ego[q] dissolvam templum hoc, manu factum, et per triduum, aliud, non manu factum, aedificabo.

59. Et non erat conveniens testimonium illorum.

60. Et exsurgens summus Sacerdos in medium, interrogavit Jesum, dicens: Non respondes quidquam ad ea, quae tibi objiciuntur ab his?

61. Ille autem tacebat, et nihil respondit. Rursum summus Sacerdos interrogabat eum, et dixit ei: Tu es Christus, Filius Dei benedicti!

62. Jesus autem dixit illi: Ego sum; et videbitis[r] Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus coeli.

63. Summus autem Sacerdos, scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes?

64. Audistis blasphemiam; quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt[s], eum esse reum mortis.

65. Et coeperunt quidam conspuere eum, et velare faciem ejus, et colaphis eum caedere, et dicere ei: Prophetiza! et ministri alapis eum caedebant.

66. [t]Et cum esset Petrus in atrio deorsum, venit una ex ancillis summi Sacerdotis;

67. et cum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum, ait: Et tu cum Jesu Nazareno eras!

68. At ille negavit, dicens: Neque scio, neque novi, quid dicas. Et exiit foras ante atrium, et gallus cantavit.

69. Rursus autem cum vidisset illum ancilla, coepit dicere circumstantibus: Quia hic ex illis est!

70. At ille iterum negavit. Et post pusillum rursus, qui astabant, dicebant Petro: Vere ex illis es! nam et Galilaeus es.

71. Ille autem coepit anathematizare, et jurare: Quia nescio hominem istum, quem dicitis.

72. Et statim gallus iterum cantavit. Et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat[u] ei Jesus: Prius quam gallus cantet bis, ter me negabis. Et coepit flere.

q Matth. 26, 61. r c. 13, 26. s Matth. 26, 66. t v. 66—72. Matth. 26, 69—75. Luc. 22, 56—62. Joh. 18, 14—18. 25—27.

CAP. XV.

Jesus coram Pilato accusatus, Barabbae cedit. Spinis coronatus illuditur et crucifigitur. Sepelitur ab Josepho Arimathaeo.

1. Et[v] confestim, mane consilium facientes summi Sacerdotes, cum Senioribus, et Scribis, et universo concilio, vincientes Jesum, duxerunt, et tradiderunt Pilato.

2 [w]Et interrogavit eum Pilatus: Tu es Rex Judaeorum? At ille respondens, ait illi: Tu dicis!

3. Et accusabant eum summi Sacerdotes in multis.

4. Pilatus autem rursum interrogavit eum, dicens: Non re-

u v. 30. v Matth. 27, 1. w v. 2—20. Matth. 27, 11—31. Luc. 23, 2—25. Joh. 18, 33.—19, 16.

Cap. XIV. 61. dicit ei. 62. a dextris sedentem virtutis (*omiss.* Dei). 72. et statim iterum. XV. 4. respondis (*sic*).

spondes quidquam? vide! in quantis te accusant.

5. Jesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus.

6. Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis, quemcumque petissent.

7. Erat autem, qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium.

8. Et cum ascendisset turba, coepit rogare, sicut semper faciebat illis.

9. Pilatus autem respondit eis, et dixit: Vultis dimittam vobis regem Judaeorum?

10. Sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum summi Sacerdotes.

11. Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam [x] dimitteret eis.

12. Pilatus autem iterum respondens, ait illis: Quid ergo vultis faciam regi Judaeorum?

13. At illi iterum clamaverunt: Crucifige eum!

14. Pilatus vero dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: Crucifige eum!

15. Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, et tradidit Jesum flagellis caesum, ut crucifigeretur.

16. Milites autem duxerunt eum in atrium praetorii, et convocant totam cohortem;

17. et induunt eum purpura, et imponunt ei plectentes spineam coronam;

[x] Act. 3, 14.

18. et coeperunt salutare eum: Ave, rex Judaeorum!

19. Et percutiebant caput ejus arundine: et conspuebant eum, et ponentes genua, adorabant eum.

20. Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, et induerunt eum vestimentis suis; et educunt illum, ut crucifigerent eum.

21. [y] Et angariaverunt praetereuntem quempiam, Simonem Cyrenaeum, venientem de villa, patrem Alexandri, et Rufi, ut tolleret crucem ejus.

22. Et perducunt illum in Golgotha locum, quod est interpretatum: Calvariae locus.

23. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum; et non accepit.

24. Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret.

25. Erat autem hora tertia; et crucifixerunt eum.

26. Et erat titulus causae ejus inscriptus: REX JUDAEORUM.

27. Et cum eo crucifigunt duos latrones: unum a dextris, et alium a sinistris ejus.

28. Et impleta est scriptura, quae dicit: „Et cum iniquis reputatus est[z].“

29. Et praetereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes: Vah! qui [a] destruis templum Dei, et in tribus diebus reaedificas;

30. salvum fac temet ipsum, descendens de cruce!

[y] v. 21—47. Matth. 27, 32—61. Luc. 23, 26—56. Joh. 19, 17—42. [z] Jes. 53, 12. [a] c, 14, 58.

Cap. XV. 6. dimittere solebat. 14. dicebat eis. 18. have. 19. harundine. 21. Cyreneum. 23. murratum. 27. duo latrones. 29. va qui destruit templum (*omiss.* Dei); *ibid.* in tribus diebus aedificat (*sic*).

31. Similiter et summi Sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum Scribis dicebant: Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere.

32. Christus Rex Israel! descendat nunc de cruce, ut videamus, et credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei.

33. Et facta hora sexta, tenebrae factae sunt per totam terram, usque in horam nonam.

34. Et hora nona exclamavit Jesus voce magna, dicens: Eloi[b], Eloi, lamma sabacthani! quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me!

35. Et quidam de circumstantibus audientes, dicebant: Ecce! Eliam vocat.

36. Currens autem unus, et implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei, dicens: Sinite! videamus, si veniat Elias ad deponendum eum.

37. Jesus[c] autem emissa voce magna exspiravit.

38. Et velum templi scissum est in duo, a summo usque deorsum.

39. Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans exspirasset, ait: Vere hic homo Filius Dei erat!

40. Erant autem et mulieres de longe aspicientes; inter quas erat Maria Magdalene[d], et Maria, Jacobi minoris, et Joseph mater, et Salome;

41. et cum esset in Galilaea, sequebantur eum, et ministrabant ei, et aliae multae, quae simul cum eo ascenderant Ierosolymam.

42. Et cum jam sero esset factum (quia erat parasceve, quod est ante sabbatum)

43. venit Joseph ab Arimathaea nobilis decurio, qui et ipse erat exspectans regnum Dei; et audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu.

44. Pilatus autem mirabatur, si jam obiisset. Et accersito centurione, interrogavit eum, si jam mortuus esset.

45. Et cum cognovisset a centurione, donavit corpus Joseph.

46. Joseph autem mercatus sindonem, et deponens eum involvit sindone, et posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, et advolvit lapidem ad ostium monumenti.

47. Maria autem Magdalene, et Maria Joseph aspiciebant, ubi poneretur.

CAP. XVI.

Christi resurrectio mulieribus ab Angelo nuntiata. Jesus primum Magdalenae apparet, dein discipulis duobus, post Apostolis undecim. Apostolorum missio. Ascensus Christi in coelum.

1. [e]Et cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.

2. Et valde mane una sabbato-

[b] Ps. 21, 2. [c] Joh. 19, 30. [d] Luc. 8, 2.

[e] v. 1—14. Matth. 28, 1—15. Luc. 24, 1—12. Joh. 20, 1—18.

Cap. XV. 31. sacerdotes ludentes. 34. Heloi Heloi lama sabacthani. 35. Heliam (*sic semper*). 38. a sursum. 39. homo hic. 40. inter quas et Maria; *ibid.* Salomae. 43. Arimathia *omiss.* ab; *ibid.* introiit; *ibid.* et petit. XVI. 1. Salomae; *ibid.* ungerent eum.

rum, veniunt ad monumentum, orto jam sole;

3. et dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?

4. Et respicientes, viderunt revolutum lapidem; erat quippe magnus valde.

5. Et introeuntes in monumentum, viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt.

6. Qui dicit illis: Nolite expavescere! Jesum quaeritis Nazarenum, crucifixum; surrexit, non est hic, ecce locus, ubi posuerunt eum.

7. Sed ite, dicite discipulis ejus, et Petro[f], quia praecedit[g] vos in Galilaeam; ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.

8. At illae exeuntes, fugerunt de monumento; invaserat enim eas tremor et pavor; et nemini quidquam dixerunt; timebant enim.

9. Surgens autem mane, prima sabbati, apparuit primo Mariae Magdalene, de qua[h] ejecerat septem daemonia.

10. Illa vadens nuntiavit his, qui cum eo fuerant, lugentibus, et flentibus.

11. Et illi audientes, quia viveret, et visus esset ab ea, non crediderunt.

12. Post[i] haec autem duobus ex his ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam.

13. Et illi euntes nuntiaverunt ceteris; nec illis crediderunt.

14. Novissime recumbentibus illis undecim apparuit[k]; et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis; quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.

15. [l]Et dixit eis: Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae!

16. Qui crediderit[m], et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.

17. Signa[n] autem eos, qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo daemonia[o] ejicient; linguis[p] loquentur novis;

18. Serpentes[q] tollent; et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super[r] aegros manus imponent, et bene habebunt.

19. Et[s] Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumtus est in coelum, et sedet a dextris Dei.

20. Illi autem profecti praedicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.

[f] c. 14, 72. [g] c. 14, 28. [h] Luc. 8, 2. [i] Luc. 24, 13. sqq.

[k] Luc. 24, 36. sqq. Joh. 20, 19. sqq. Joh. 21, 1. sqq. [l] v. 15—18. Matth. 28, 16—20. [m] Joh. 3, 18. 36. Act. 2, 38. Rom. 10, 9. [n] Matth. 10, 8. [o] Act. 5, 16. 8, 7. [p] Act. 2, 4. 10, 46. 1 Cor. 12, 10. [q] Act. 28, 5. [r] Act. 28, 8. [s] Luc. 24, 50. sqq. Act. 1, 9.

Cap. XVI. 4. vident. 5. in monumento. 12. ex eis. 14. quia his; *ibid.* crediderant. 18. non eos (*sic*); *ibid.* super egrotos. 19. et Dominus quidem (*omiss.* Jesus).

SANCTUM

JESU CHRISTI EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM.

CAP. I.

De Joannis Baptistae vitae primordiis. Christi nativitas adnuntiatur. Maria Elisabeth cognatam domo familiariter adit. Nascitur Joannes. Zachariae canticum.

1. Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quae in nobis completae sunt, rerum;

2. sicut tradiderunt nobis, qui[t] ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis;

3. visum est et mihi, assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile[u]!

4. ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

5. Fuit in diebus Herodis, regis Judaeae, Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia[v]; et uxor illius de filiabus Aaron, et nomen ejus Elisabeth.

6. Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela.

7. Et non erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, et ambo processissent in diebus suis.

8. Factum est autem, cum Sacerdotio fungeretur in ordine vicis suae ante Deum,

9. secundum consuetudinem Sacerdotii, forte exiit, ut incensum poneret, ingressus in templum Domini;

10. et omnis multitudo populi erat orans foris[w] hora incensi.

11. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans a dextris altaris[x] incensi.

12. Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum.

[t] 1 Joh. 1, 1. [u] Act. 1, 1. [v] 1 Par. 25, 10. 19.

[w] Levit. 16, 17. [x] Exod. 30, 1. sqq.

Cap. I. 3. a principio omnia. 5. uxor illi; *ibid.* Elisabet. 6. querella. 7. sterelis.

13. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas, Zacharia! quoniam exaudita est deprecatio tua; et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem;

14. et erit gaudium tibi, et exultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt;

15. erit enim magnus[y] coram Domino: et vinum et siceram non[z] bibet, et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae;

16. et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum;

17. et ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae[a]; ut[b] convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.

18. Et dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc sciam? ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis?

19. Et respondens Angelus dixit ei: Ego sum Gabriel[c], qui[d] asto ante Deum; et missus sum loqui ad te, et haec tibi evangelizare.

20. Et ecce! eris tacens, et non poteris loqui usque in diem, quo haec fiant, pro eo, quod non credidisti verbis meis, quae implebuntur in tempore suo.

21. Et erat plebs exspectans Zachariam; et mirabantur, quod tardaret ipse in templo.

22. Egressus autem non poterat loqui ad illos, et cognoverunt, quod visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis, et permansit mutus.

23. Et factum est, ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam.

24. Post hos autem dies concepit Elisabeth uxor ejus, et occultabat se mensibus quinque, dicens:

25. Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium[e] meum inter homines.

26. In mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth,

27. ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph[f], de domo David, et nomen virginis Maria.

28. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena! Dominus tecum! Benedicta tu in mulieribus!

29. Quae cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat, qualis esset ista salutatio.

30. Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria! invenisti enim gratiam apud Deum;

31. ecce! concipies in utero, et paries filium, et vocabis[g] nomen ejus Jesum.

32. Hic erit magnus, et Filius[h] Altissimi vocabitur; et dabit[i] illi Dominus Deus sedem David patris ejus; et regnabit in domo Jacob in aeternum,

33. et regni[k] ejus non erit finis.

[y] Matth. 11, 11. [z] Numer. 6, 2. sqq. [a] Matth. 11, 14. [b] Matth. 3. 2. sqq. [c] Dan. 8, 16. [d] Matth. 18, 10.

[e] Genes. 30, 23. [f] c. 2, 4. sq. Matth. 1, 18. [g] Matth. 1, 21. Luc. 2, 21. [h] Marc. 5, 7. [i] 2 Reg. 7, 12. sqq. Jes. 9, 2. sqq. [k] Dan. 7, 14. 27. Mich. 4, 7.

Cap. I. 13. Johannem (*sic semper*). 15. sicera. 17. incredibiles. 23. et facti sunt (*sic per errorem*). 25. obprobrium. 28. Have (*ita semper*). 32. Dominus (*omiss.* Deus).

34. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco?

35. Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te; et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.

36. Et ecce! Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua; et hic mensis sextus est illi, quae vocatur sterilis;

37. quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.

38. Dixit autem Maria: Ecce! ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus.

39. Exsurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda.

40. Et intravit in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth.

41. Et factum est, ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit infans in utero ejus; et repleta est Spiritu sancto Elisabeth:

42. Et exclamavit voce magna, et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui!

43. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?

44. Ecce! enim, ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.

45. Et beata, quae credidisti, quoniam perficientur ea, quae dicta sunt tibi a Domino.

46. Et ait Maria: Magnificat[l] anima mea Dominum;

47. et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

48. Quia respexit humilitatem ancillae suae; ecce! enim ex hoc beatam[m] me dicent omnes generationes.

49. Quia fecit mihi magna, qui potens est; et sanctum nomen ejus!

50. Et misericordia[n] ejus a progenie in progenies timentibus eum.

51. Fecit potentiam in brachio suo; dispersit superbos mente cordis sui.

52. Deposuit potentes de sede, et exaltavit[o] humiles.

53. Esurientes implevit bonis; et divites[p] dimisit inanes.

54. Suscepit Israel puerum suum, recordatus[q] misericordiae suae;

55. sicut locutus est ad patres nostros, Abraham[r], et semini ejus in saecula.

56. Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus; et reversa est in domum suam.

57. Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, et peperit filium.

58. Et audierunt vicini et cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei.

59. Et factum est in die octavo,

[l] 1 Reg. 2, 1. sqq. [m] Genes. 30, 13. [n] Ps. 102, 17. [o] Ps. 146, 6. [p] Ps. 33, 11. [q] Ps. 97, 3. [r] Genes. 17, 7. 19. 22, 17 sqq. 18, 18.

Cap. I. 35. nascetur sanctum (*omiss.* ex te). 36. in senecta sua; *ibid.* mensis est sextus; *ibid.* sterelis. 45. quae credidit; *ibid.* dicta sunt ei. 50. in progenies et progenies. 54. puerum suum, memorari misericordiae. 57. Elisabeth (*hoc propterea notatur, ut intelligatur, non esse constantiam codicis in scribendo hoc nomine*).

venerunt circumcidere[s] puerum, et vocabant eum nomine patris sui, Zachariam.

60. Et respondens mater ejus, dixit: Nequaquam! sed vocabitur[t] Joannes.

61. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.

62. Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum.

63. Et postulans pugillarem scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus! Et mirati sunt universi.

64. Apertum est autem illico os ejus, et lingua ejus, et loquebatur benedicens Deum.

65. Et factus est timor super omnes vicinos eorum; et super omnia montana Judaeae divulgabantur omnia verba haec;

66. et posuerunt omnes, qui audierant, in corde suo, dicentes: Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.

67. Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu sancto; et prophetavit, dicens:

68. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suae.

69. Et erexit cornu[u] salutis nobis, in domo David pueri sui;

70. sicut[v] locutus est per os Sanctorum, qui a saeculo sunt, prophetarum ejus.

71. Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium, qui oderunt nos.

72. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris; et memorari testamenti[w] sui sancti;

73. jusjurandum, quod[x] juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis;

74. ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi,

75. in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.

76. Et tu puer! propheta[y] Altissimi vocaberis; praeibis[z] enim ante faciem Domini parare vias ejus;

77. ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum;

78. per viscera misericordiae Dei nostri; in quibus visitavit nos Oriens[a] ex alto;

79. illuminare his, qui[b] in tenebris, et in umbra mortis sedent; ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

80. Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu; et erat in desertis usque in diem ostensionis suae ad Israel.

CAP. II.

Nascitur Christus. Angelus pastoribus apparet. Christi circumcisio. Mariae purificatio. Simeon atque Anna. Christus medios inter doctores detegitur.

1. Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis.

2. Haec descriptio prima, facta est a praeside Syriae Cyrino;

[s] Gen. 17, 12. [t] cf. v. 13. [u] 3 Reg. 1, 50. 2, 28. [v] Jes. 35, 4. Jerem. 23, 6. 30, 10.

[w] Gen. 17, 7. [x] Gen. 22, 16. [y] cf. v. 17. Matth. 11, 9. [z] Matth. 3, 3. [a] Matth. 4, 16. [b] Jes. 9, 2.

Cap. I. 59. vocant eum; *ibid.* patris ejus. 63. pugilarem. 64. ilico. 67. impletus. 80. in deserto. II. 1. exivit. 2. facta est praeside Syriae Cyrino (*omiss.* a, *quod grave est*).

3. et ibant omnes, ut profiterentur singuli, in suam civitatem.

4. Ascendit autem et Joseph Galilaea, de civitate Nazareth, in Judaeam, in civitatem David[c], quae vocatur Bethlehem[d]; eo quod[e] esset de domo et familia David,

5. ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante[f].

6. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret;

7. et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in praesepia; quia non erat eis locus in diversorio.

8. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum.

9. Et ecce! Angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno.

10. Et dixit illis Angelus: Nolite timere, ecce! enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo:

11. quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David.

12. Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, et positum in praesepio.

13. Et subito facta est cum angelo multitudo militiae coelestis laudantium Deum, et dicentium:

14. Gloria in altissimis Deo! et in terra pax[g] hominibus bonae voluntatis!

[c] 1 Reg. 16, 1. 4. [d] Matth. 2, 5. [e] c. 1, 27. [f] Matth. 1, 18. [g] Eph. 2, 14. sqq.

15. Et factum est, ut discesserunt ab eis Angeli in coelum; pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.

16. Et venerunt festinantes; et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in praesepio.

17. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.

18. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt; et de his, quae dicta erant a pastoribus ad ipsos.

19. Maria autem conservabat[h] omnia verba haec, conferens in corde suo.

20. Et reversi sunt pastores, glorificantes, et laudantes Deum in omnibus, quae audierant et viderant, sicut dictum est ad illos.

21. Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur[i] puer, vocatum[k] est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo prius, quam in utero conciperetur.

22. Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum[l] legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino,

23. sicut scriptum est in lege Domini: „Quia omne masculi„num adaperiens vulvam, san„ctum Domino vocabitur.“[m]

24. Et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege[n] Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

[h] cf. v. 51. [i] c. 1, 59. [k] c. 1, 31. [l] Levit. 12, 2. sqq. [m] Exod. 13, 1. 2. [n] Levit. 12, 8.

Cap. II. 4. in Judaeam civitatem; *ibid.* Bethleem. 5. praegnate. 7. praesipio (*semper*). 8. supra gregem. 15. Bethlem; *ibid.* quod fecit Dominus et ostendit nobis. 21. circumcideretur *omiss.* puer. 24. in lege (*omiss.* Domini).

25. Et ecce! homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus, exspectans consolationem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo.

26. Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.

27. Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo;

28. et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit:

29. Nunc dimittis servum tuum, Domine! secundum verbum tuum in pace;

30. quia viderunt oculi mei salutare tuum,

31. quod parasti ante faciem omnium populorum;

32. lumen[o] ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuae Israel.

33. Et erat pater ejus et mater mirantes super his, quae dicebantur de illo.

34. Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce! positus[p] est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel; et in signum, cui contradicetur;

35. et tuam[q] ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

36. Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel de tribu Aser; haec processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua.

37. Et haec vidua usque ad annos octoginta quatuor; quae non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens[r] nocte ac die.

38. Et haec, ipsa hora superveniens, confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant[s] redemptionem Israel.

39. Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilaeam in civitatem suam Nazareth.

40. Puer autem crescebat et confortabatur, plenus sapientia; et gratia Dei erat in illo.

41. Et ibant parentes ejus per omnes[t] annos in Ierusalem in die solemni Paschae.

42. Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi,

43. consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Ierusalem, et non cognoverunt parentes ejus.

44. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et notos;

45. et non invenientes, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum.

46. Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos.

47. Stupebant autem omnes,

[o] Jes. 42, 6. 49, 6. [p] Matth. 21, 42. 44. Rom. 9, 33. 1 Cor. 1, 23. [q] Joh. 19, 25.

[r] 1 Tim. 5, 5. [s] cf. v. 25. Marc. 15, 43. [t] Deut. 16, 16.

Cap. II. 25. Symeon. 26. ab spiritu sancto. 34. et resurrectionem 38. redemtionem Hierusalem (*sic*). 41. sollemni. 42. in Hierosolymam. 46. interrogantem (*omiss.* eos).

qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus.

48. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili! quid fecisti nobis sic? Ecce! pater tuus et ego, dolentes quaerebamus te.

49. Et ait ad illos: Quid est, quod me quaerebatis? nesciebatis, quia in his, quae patris mei sunt, oportet me esse?

50. Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.

51. Et descendit cum eis, et venit Nazareth; et erat subditus illis. Et mater ejus conservabat[u] omnia verba haec in corde suo.

52. Et Jesus proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum et homines.

CAP. III.

Joannes populum, publicanos, milites docet: Christi excellentiam testatur: eum baptizat: ab Herode mittitur in carcerem. Christi genealogia additur, diversa a stemmate Matthaei.

1. [v] Anno autem quintodecimo imperii Tiberii Caesaris, procurante Pontio Pilato Judaeam, tetrarcha autem Galilaeae Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarchâ Ituraeae, et Trachonitidis regionis, et Lysaniâ Abilinae tetrarchâ,

2. sub principibus Sacerdotum Anna et Caïpha, factum est verbum Domini super Joannem, Zachariae filium, in deserto.

3. Et venit in omnem regionem Jordanis, praedicans baptismum[w] poenitentiae in remissionem peccatorum,

4. sicut scriptum est in libro sermonum Isaiae prophetae: „Vox clamantis in deserto; Pa„rate viam Domini! rectas facite „semitas ejus!

5. „Omnis vallis implebitur; „et omnis mons et collis humilia„bitur; et erunt prava in directa, „et aspera in vias planas;

6. „et videbit omnis caro sa„lutare Dei[x]."

7. Dicebat ergo ad turbas, quae exibant, ut baptizarentur ab ipso: Genimina viperarum! quis ostendit vobis fugere a ventura ira?

8. Facite ergo fructus dignos poenitentiae, et ne[y] coeperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis: Quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae.

9. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, non faciens fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.

10. Et interrogabant eum turbae, dicentes: Quid ergo faciemus?

11. Respondens autem, dicebat illis: Qui[z] habet duas tunicas, det non habenti; et qui habet escas, similiter faciat.

12. Venerunt autem et publicani, ut baptizarentur, et dixerunt ad illum: Magister! quid faciemus?

13. At ille dixit ad eos: Nihil

[u] cf. v. 19. [v] v. 1—30. Matth. 3, 1—12. Marc. 1, 2—8.

[w] Act. 19, 4. [x] Jes. 40, 3. [y] Joh. 8, 33. 39. [z] 1 Joh. 3, 17.

Cap. II. 48. ammirati sunt; *ibid.* quid fecisti nobis (*omiss.* sic). 50. ad illos. 51. discendit. 52. sapientia aetate et gratia. III. 1. Itureae. 2. Caiapha; *ibid.* verbum Dei. 7. exiebant. 8. potest Deus. 9. fructum (*omiss.* bonum; *sequitur*): exciditur et ignem mittitur (*sic*).

amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis.

14. Interrogabant autem eum milites, dicentes: Quid faciemus et nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis; et contenti estote stipendiis vestris.

15. Existimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte[a] ipse esset Christus,

16. respondit Joannes, dicens omnibus, Ego[b] quidem aqua baptizo vos; veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus; ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni;

17. cujus ventilabrum in manu ejus, et purgabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

18. Multa quidem et alia exhortans, evangelizabat populo.

19. Herodes autem[c] tetrarcha, cum corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris sui, et de omnibus malis, quae fecit Herodes,

20. adjecit et hoc super omnia, et inclusit Joannem in carcere.

21. [d] Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato et orante, apertum est coelum;

22. et descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum; et vox de coelo facta est: Tu[e] es filius meus dilectus! in te complacui mihi.

23. [f] Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut[g] putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Matthat,

24. qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joseph,

25. qui fuit Matthathiae, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hessi, qui fuit Nagge,

26. qui fuit Mahath, qui fuit Matthathiae, qui fuit Semei, qui fuit Joseph, qui fuit Juda,

27. qui fuit Joanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri,

28. qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her,

29. qui fuit Jesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Matthat, qui fuit Levi,

30. qui fuit Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joseph, qui fuit Jona, qui fuit Eliakim,

31. qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Matthatha, qui fuit Nathan, qui fuit David[h],

32. qui fuit Jesse[i], qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson,

33. qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Phares, qui fuit Judae,

34. qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahae, qui fuit Thare, qui fuit Nachor,

35. qui fuit Sarug, qui fuit Ra-

[a] Joh. 1, 19. sqq. [b] Matth. 3, 11. [c] Matth. 14, 2. sqq. [d] v. 21. 22. Matth. 3, 13—17. Marc. 1, 9—11.

[e] Matth. 12, 18. 17, 5. Marc. 9, 8. Luc. 9, 35. 2 Petr. 1, 17. [f] v. 23—38. Matth. 1, 1—17. [g] Matth. 13, 55. [h] 2 Reg. 5, 14. [i] Ruth 4, 21. 22.

Cap. III. 17. purgavit (v *pro* b). 22. complacuit mihi. 23. ut putaretur; *ibid.* Mattat. 24. Jannae. 25. Naum; *ibid.* Esli; *ibid.* Naggae. 26. Maath. 27. Johanna. 28. Cosam; *ibid.* Helmadam. 29. Jhesu; *ibid.* Matthad. 30. Symeon; *ibid.* Eljachim. 31. Matthata. 33. Aram; *ibid.* Esrom. 34. Tharae. 35. Seruch.

gau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale,

36. qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad[k], qui fuit Sem, qui fuit Noë[l], qui fuit Lamech,

37. qui fuit Mathusale, qui fuit Henoch[m], qui fuit Jared[n], qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan,

38. qui fuit Henos[o], qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

CAP. IV.

De Christi jejunio et tentatione. In synagoga Nazareth agit doctorem. Capharnaumi daemoniacum, socrum Simonis, aliosque infirmos sanat.

1. [p] Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane; et agebatur a Spiritu in desertum

2. diebus quadraginta, et tentabatur a diabolo. Et nihil manducavit in diebus illis; et consummatis illis esuriit.

3. Dixit autem illi diabolus: Si Filius Dei es, dic lapidi huic, ut panis fiat.

4. Et respondit ad illum Jesus: Scriptum[q] est: „Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni „verbo Dei.“

5. Et duxit illum diabolus in montem excelsum, et ostendit illi omnia regna orbis terrae in momento temporis;

6. et ait illi: Tibi dabo potestatem hanc universam et gloriam illorum; quia mihi tradita sunt, et cui volo, do illa.

7. Tu ergo si adoraveris coram me, erunt tua omnia.

8. Et respondens Jesus, dixit illi: Scriptum est: „Dominum „Deum tuum adorabis, et illi soli „servies.“[r]

9. Et duxit illum in Ierusalem, et statuit eum super pinnam templi, et dixit illi: Si filius Dei es, mitte te hinc deorsum!

10. Scriptum est enim: Quod „Angelis suis mandavit de te, ut „conservent te;

11. „et quia in manibus tollent „te, ne forte offendas ad lapidem „pedem tuum.“[s]

12. Et respondens Jesus, ait illi: Dictum est: „Non tentabis „Dominum Deum tuum.“[t]

13. Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, usque ad tempus.

14. [u]Et regressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilaeam et fama exiit per universam regionem de illo.

15. Et ipse docebat in synagogis eorum, et magnificabatur ab omnibus.

16. Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, et surrexit legere.

17. Et traditus est illi Liber Isaiae prophetae; et ut revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum erat:

18. „Spiritus Domini super „me; propter quod unxit me,

[k] Genes. 11, 10. [l] Genes. 5, 28. 29. [m] Genes. 5, 21. [n] Genes. 5, 18. 15, 12. [o] Genes. 5, 9. 6, 3. [p] v. 1—13. Matth. 4, 1—11. Marc. 1, 12. sq. [q] Deut. 8, 3.

[r] Deut. 6, 13. [s] Ps. 90, 11. [t] Deut. 6, 16. [u] v. 14. sqq. Matth. 4, 12. sqq. Marc. 1, 14. sqq.

Cap. III. 35. Eber. 36. Chainan; *ibid.* Arfaxat. 37. Matthusale; *ibid.* Enoch; *ibid.* Malelehel. 38. Enos. IV. 1. ab Jordane; *ibid.* in spiritu. 4. in pane solo. 5. *omiss.* in montem excelsum. 6. ait ei 7. procidens si adoraveris. 9. supra. 10. mandabit. 14. egressus. 17. prophetae Esaiae.

„evangelizare pauperibus misit
„me, sanare contritos corde;
19. „praedicare captivis re-
„missionem, et caecis visum, di-
„mittere confractos in remissio-
„nem; praedicare annum Domini
„acceptum, et diem retributio-
„nis.“[v]
20. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, et sedit; et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum.
21. Coepit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est haec scriptura in auribus vestris.
22. Et omnes testimonium illi dabant; et mirabantur in verbis gratiae, quae procedebant de ore ipsius, et dicebant: Nonne hic est filius Joseph?
23. Et ait illis: Utique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice! cura te ipsum; quanta audivimus facta in Capharnaum[w], fac et hic in patria tua.
24. Ait autem: Amen dico vobis, quia[x] nemo propheta acceptus est in patria sua.
25. In veritate dico vobis: Multae viduae erant in diebus Eliae in Israel, quando clausum est coelum annis tribus et mensibus sex; cum facta esset fames magna in omni terra;
26. et ad[y] nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniae, ad mulierem viduam.
27. Et multi leprosi erant in Israel sub Elisaeo propheta; et nemo eorum mundatus est, nisi[z] Naaman Syrus.

[v] Jes. 61, 1. [w] Matth. 4, 13. [x] Matth. 13, 57. [y] 3 Reg. 17, 9—24. [z] 4 Reg. 5, 9—15.

28. Et repleti sunt omnes in synagoga ira, haec audientes.
29. Et surrexerunt, et ejecerunt illum extra civitatem, et duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat aedificata, ut praecipitarent eum.
30. Ipse autem transiens[a] per medium illorum, ibat.
31. [b]Et descendit in Capharnaum civitatem Galilaeae, ibique docebat illos sabbatis.
32. Et stupebant in doctrina ejus, quia in potestate erat sermo ipsius.
33. Et in synagoga erat homo habens daemonium immundum, et exclamavit voce magna,
34. dicens: Sine! quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te, qui sis: Sanctus Dei.
35. Et increpavit illum Jesus, dicens: Obmutesce, et exi ab eo! Et cum projecisset illum daemonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit.
36. Et factus est pavor in omnibus, et colloquebantur ad invicem, dicentes: Quod est hoc verbum, quia in potestate et virtute imperat immundis spiritibus, et exeunt?
37. Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.
38. [c]Surgens autem Jesus de synagoga, introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus; et rogaverunt illum pro ea.

[a] Joh. 8, 59. [b] v. 31—37. Marc. 1, 21—28. [c] v. 38—41. Matth. 8, 14—17. Marc. 1, 29—34.

Cap. IV. 18. *omiss.* sanare contritos corde. 22. filius est. 25. Heliae; *ibid.* clusum est. 26. Sareptha Sydonae. 27. Helisaeo; *ibid.* Neman. 35. increpavit illi; *ibid.* ommutesce; *ibid.* exi ab illo; *ibid.* illud daemonium. 36. spiritibus inmundis. 38. surgens autem (*omiss.* Jesus).

39. Et stans super illam, imperavit febri; et dimisit illam. Et continuo surgens, ministrabat illis.

40. Cum autem sol occidisset, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos.

41. Exibant autem daemonia a multis, clamantia et dicentia: Quia tu es Filius Dei! et increpans, non sinebat ea loqui, quia sciebant, ipsum esse Christum.

42. [d]Facta autem die egressus ibat in desertum locum, et turbae requirebant eum, et venerunt usque ad ipsum; et detinebant illum, ne discederet ab eis.

43. Quibus ille ait: Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei; quia ideo missus sum.

44. Et erat praedicans in synagogis Galilaeae.

CAP. V.

Jesus in navicula Petri doctor. Piscatio admirabilis. Leprosi et Paralytici hominis curatio. Matthaeus vocatur ad officium apostoli.

1. Factum est autem, cum turbae irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth.

2. [e]Et vidit duas naves stantes secus stagnum; piscatores autem descenderant, et lavabant retia.

3. Ascendens autem in unam navim, quae erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum; et sedens docebat de navicula turbas.

4. Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum! et laxate retia vestra in capturam.

5. Et respondens Simon, dixit illi: Praeceptor! per totam noctem laborantes, nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete.

6. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum.

7. Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, et adjuvarent eos. Et venerunt, et impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur.

8. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens: Exi a me, quia homo peccator sum, Domine!

9. Stupor enim circumdederat eum, et omnes, qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant,

10. similiter autem Jacobum, et Joannem, filios Zebedaei, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Jesus: Noli timere! ex hoc jam homines eris capiens.

11. Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

12. [f]Et factum est, cum esset in una civitatum, et ecce vir plenus lepra, et videns Jesum, et procidens in faciem, rogavit eum, dicens: Domine! si vis, potes me mundare.

13. Et extendens manum, tetigit eum, dicens: Volo; mundare! Et confestim lepra discessit ab illo.

14. Et ipse praecepit illi[g], ut

[d] v. 42—44. Marc. 1, 35—39. [e] v. 2—11. Matth. 4, 18—22. Marc. 1, 6—20. [f] v. 12—16. Matth. 8, 1—4. Marc. 1, 40—45. [g] Matth. 8, 4.

Cap. IV. 40. cum sol autem. 41. exiebant etiam. V. 2. lavabant *correctum est in* levabant. 3. navem (*ita semper*). 7. ita ut mergerentur. 11. illum. 12. et rogavit. 13. tetigit illum.

nemini diceret; sed: Vade! ostende te Sacerdoti, et offer pro emundatione tua, sicut[h] praecepit Moyses, in testimonium illis.

15. Perambulabat autem magis sermo de illo; et conveniebant turbae multae, ut audirent, et curarentur ab infirmitatibus suis.

16. Ipse autem secedebat in desertum, et orabat.

17. [i]Et factum est in una dierum, et ipse sedebat docens. Et erant Pharisaei sedentes, et legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilaeae, et Judaeae, et Ierusalem; et virtus Domini erat ad sanandum eos.

18. Et ecce! viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus; et quaerebant eum inferre, et ponere ante eum.

19. Et non invenientes, qua parte illum inferrent prae turba, ascenderunt supra tectum, et per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante Jesum.

20. Quorum fidem, ut vidit, dixit: Homo! remittuntur tibi peccata tua.

21. Et coeperunt cogitare Scribae et Pharisaei, dicentes: Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Qnis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?

22. Ut cognovit[k] autem Jesus cogitationes eorum, respondens dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus vestris?

23. Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata? An dicere: Surge, et ambula?

24. Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico): Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam!

25. Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum, in quo jacebat; et abiit in domum suam, magnificans Deum.

26. Et stupor apprehendit omnes, et magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie!

27. [l]Et post haec exiit, et vidit publicanum nomine Levi, sedentem ad telonium: et ait illi: Sequere me!

28. Et relictis omnibus, surgens secutus est eum.

29. Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua; et erat turba multa publicanorum, et aliorum, qui cum illis erant discumbentes.

30. Et murmurabant Pharisaei et Scribae eorum, dicentes ad discipulos ejus: Quare cum publicanis et peccatoribus manducatis et bibitis?

31. Et respondens Jesus, dixit ad illos: Non egent, qui sani sunt, medico, sed qui male habent;

32. non veni vocare justos, sed peccatores ad poenitentiam.

33. At illi dixerunt ad eum: Quare discipuli Joannis jejunant frequenter, et obsecrationes faciunt, similiter et Pharisaeorum? tui autem edunt, et bibunt?

34. Quibus ipse ait: Numquid

[h] Levit. 14, 2. sqq. [i] v. 17—26. Matth. 9, 1—8. Marc. 2, 1—12. [k] Matth. 12, 25. Joh. 2, 25.

[l] v. 27—39. Matth. 9, 9—17. Marc. 2, 13—22.

Cap. V. 17. virtus erat Domini. 19. *Ordo hic est:* supra tectum per tegulas et summiserunt illum. 24. potestatem habet. 25. tulit in quo jacebat (*omiss.* lectum). 27. teloneum. 32. in paenitentiam.

potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere jejunare?

35. Venient autem dies, cum ablatus fuerit ab illis sponsus; tunc[m] jejunabunt in illis diebus.

36. Dicebat autem et similitudinem ad illos: Quia nemo commissuram a novo vestimento immittit in vestimentum vetus; alioquin et novum rumpit, et veteri non convenit commissura a novo.

37. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres; alioquin rumpet vinum novum utres, et ipsum effundetur, et utres peribunt;

38. sed vinum novum in utres novos mittendum est; et utraque conservantur.

39. Et nemo bibens vetus, statim vult novum, dicit enim: Vetus melius est!

CAP. VI.

Christus discipulos spicas sabbato vellentes excusat: alio sabbato manum sanat aridam. De Apostolorum electione. Sermonis in monte summa brevis.

1. [n]Factum est autem in sabbato secundo primo, cum transiret per sata, vellebant discipuli ejus spicas, et manducabant, confricantes manibus.

2. Quidam autem Pharisaeorum dicebant illis: Quid facitis, quod non licet[o] in sabbatis?

3. Et respondens Jesus ad eos, dixit: Nec hoc legistis, quod fecit[p] David, cum esurisset ipse, et qui cum illo erant?

4. Quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis sumpsit, et manducavit, et dedit his, qui cum ipso erant, quos non licet manducare nisi[q] tantum Sacerdotibus?

5. Et dicebat illis: Quia dominus est Filius hominis, etiam sabbati.

6. [r]Factum est autem et in alio sabbato, ut intraret in synagogam, et doceret. Et erat ibi homo, et manus ejus dextra erat arida.

7. Observabant autem Scribae et Pharisaei, si in sabbato curaret; ut invenirent, unde accusarent eum.

8. Ipse vero sciebat[s] cogitationes eorum; et ait homini, qui habebat manum aridam; Surge, et sta in medium! Et surgens stetit.

9. Ait autem ad illos Jesus: Interrogo vos, si licet sabbatis benefacere, an male? animam salvam facere, an perdere?

10. Et circumspectis omnibus dixit homini: Extende manum tuam! Et extendit; et restituta est manus ejus.

11. Ipsi autem repleti sunt insipientia, et colloquebantur ad invicem, quidnam facerent Jesu.

12. [t]Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.

13. Et, cum dies factus esset, vocavit discipulos suos; et elegit duodecim ex ipsis (quos et Apostolos nominavit):

[m] Joh. 16, 20. [n] v. 1—5. Matth. 12, 1—8. Marc. 2, 23—28. [o] Deut. 23, 25. [p] 1 Reg. 21, 6.

[q] Levit. 24, 5. sqq. [r] v. 6—11. Matth. 12, 9—14. Marc. 3, 1—6. [s] cf. c. 5, 22. [t] v. 12—16. Matth. 10, 1—4. Marc. 3, 13—19.

Cap. V. 36. a vestimento novo. 37. rumpit; *ibid.* effunditur. VI. 3. et qui cum eo erant. 6. dextra arida (*omiss.* erat). 7. si sabbato; *ibid.* invenirent accusare illum.

14. Simonem, quem cognominavit Petrum, et Andream fratrem ejus, Jacobum et Joannem, Philippum et Bartholomaeum,

15. Matthaeum, et Thomam, Jacobum Alphaei, et Simonem, qui vocatur Zelotes,

16. et Judam Jacobi, et Judam Iscariotem, qui fuit proditor.

17. Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis ab omni Judaea, et Ierusalem, et maritima, et Tyri, et Sidonis,

18. qui venerant, ut audirent eum, et sanarentur a languoribus suis; et qui vexabantur a Spiritibus immundis, curabantur[u].

19. Et omnis turba quaerebat eum tangere[v]; quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes.

20. Et ipse elevatis oculis in discipulos suos, dicebat: Beati[w] pauperes! quia vestrum est Regnum Dei.

21. Beati[x], qui nunc esuritis! quia saturabimini. Beati, qui nunc fletis! quia ridebitis.

22. Beati[y] eritis, cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tamquam malum, propter Filium hominis;

23. gaudete in illa die, et exultate! ecce, enim merces vestra multa est in coelo; secundum haec enim faciebant Prophetis patres eorum.

24. Verumtamen vae vobis divitibus[z]! quia habetis consolationem vestram.

25. Vae vobis, qui saturati estis! quia esurietis. Vae vobis, qui ridetis nunc! quia lugebitis, et flebitis.

26. Vae, cum benedixerint vobis homines! secundum haec enim faciebant pseudoprophetis patres eorum.

27. Sed vobis dico, qui auditis: Diligite[a] inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.

28. Benedicite maledicentibus vobis, et orate pro calumniantibus vos.

29. Et qui[b] te percutit in maxillam, praebe et alteram. Et ab eo, qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere.

30. Omni[c] autem petenti te, tribue; et qui aufert, quae tua sunt, ne repetas.

31. Et prout[d] vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter.

32. [e]Et si diligitis eos, qui vos diligunt, quae vobis est gratia? Nam et peccatores diligentes se diligunt.

33. Et si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quae vobis est gratia? Siquidem et peccatores hoc faciunt.

34. Et si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere, quae

[u] Matth. 4, 23. sq. [v] Matth. 9, 21. [w] Matth. 5, 3. [x] Matth. 5, 6. [y] Matth. 5, 11. 12.

[z] Marc. 10, 24. [a] Matth. 5, 44. [b] Matth. 5, 39. sqq. [c] Matth. 5, 42. [d] Matth. 7, 12. [e] v. 32—36. Matth. 5, 44—48.

Cap. VI. 14. Bartholomeum. 15. Mattheum. 16. Judam Jacobi (*omiss.* et); *ibid.* Scariot. 18. venerunt. 19. quaerebant; *ibid.* exiebat. 23. multa in caelo *omiss.* est 26. bene vobis dixerint omnes (*sic*) homines secundum haec faciebant prophetis (*sic pro* pseudoprophetis!). 27. vos oderunt. 29. qui auferet. 30. qui auferet.

gratia est vobis? Nam et peccatores peccatoribus foenerantur, ut recipiant aequalia.

35. Verumtamen diligite inimicos vestros; benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes; et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos.

36. Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est.

37. Nolite[f] judicare, et non judicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini; dimittite, et dimittemini;

38. date, et dabitur vobis; mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem[g] quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.

39. Dicebat autem illis et similitudinem: Numquid[h] potest caecus caecum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt?

40. Non est discipulus[i] super magistrum; perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus.

41. Quid[k] autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quae in oculo tuo est, non consideras?

42. Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater! sine, ejiciam festucam de oculo tuo; ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita! ejice primum trabem de oculo tuo; et tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui.

43. [l]Non est enim arbor bona, quae facit fructus malos; neque arbor mala, faciens fructum bonum.

44. Unaquaeque enim arbor de fructu suo cognoscitur; neque enim de spinis colligunt ficus; neque de rubo vindemiant uvam.

45. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum; et malus homo de malo thesauro profert malum; ex[m] abundantia enim cordis os loquitur.

46. Quid autem vocatis me Domine, Domine: et non facitis, quae dico?

47. [n]Omnis, qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos; ostendam vobis, cui similis sit!

48. Similis est homini aedificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamentum super petram; inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere; fundata enim erat super petram.

49. Qui autem audit, et non facit; similis est homini aedificanti domum suam super terram sine fundamento; in quam illisus est fluvius, et continuo cecidit; et facta est ruina domus illius magna.

CAP. VII.

Jesus centurionis fiduciam miratur: filium viduae in vitam revocat. Joannes ad Jesum mittit legatos. Ju-

[f] Matth. 7, 1. [g] Matth. 7, 2. Marc. 4, 24. [h] Matth. 15, 14. [i] Matth. 10, 24. [k] Matth. 7, 3—5.

[l] v. 43—46. Matth. 7, 16—21. [m] Matth. 12, 34. sq. [n] v. 47—49. Matth. 7, 24—27.

Cap. VI. 34. faenerantur. 35. et benefacite. 39. cadent. 40. sicut magister (*omiss.* si sit). *Error est.* 42. et quomodo; *ibid.* respicies. 45. de malo *omiss.* thesauro. 48. fundamenta supra; *ibid.* supra. 49. audivit; *ibid.* fecit; *ibid.* supra.

daeis nec Joannis nec Christi vita placet. Peccatrix femina Christi pedes ungit.

1. [o]Cum autem implesset omnia verba sua in aures plebis, intravit Capharnaum.

2. Centurionis autem cujusdam servus male habens, erat moriturus, qui illi erat pretiosus.

3. Et cum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judaeorum, rogans eum, ut veniret, et salvaret servum ejus.

4. At illi cum venissent ad Jesum, rogabant eum solicite, dicentes ei: Quia dignus est, ut hoc illi praestes;

5. diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse aedificavit nobis.

6. Jesus autem ibat cum illis; et cum jam non longe esset a domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine, noli vexari! non enim sum dignus, ut sub tectum meum intres.

7. Propter quod et me ipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te; sed dic verbo, et sanabitur puer meus.

8. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; et dico huic: Vade! et vadit: et alii: Veni! et venit: et servo meo: Fac hoc! et facit.

9. Quo audito, Jesus miratus est; et conversus sequentibus se turbis, dixit: Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni!

10. Et reversi, qui missi fuerant, domum, invenerunt servum, qui languerat, sanum.

11. Et factum est: deinceps ibat in civitatem, quae vocatur Naim; et ibant cum eo discipuli ejus, et turba copiosa.

12. Cum autem appropinquaret portae civitatis, ecce! defunctus efferebatur filius unicus matris suae; et haec vidua erat; et turba civitatis multa cum illa.

13. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere!

14. Et accessit, et tetigit loculum, (Hi autem, qui portabant, steterunt,) et ait: Adolescens! tibi dico, surge.

15. Et resedit, qui erat mortuus, et coepit loqui. Et dedit illum matri suae.

16. Accepit autem omnes timor; et magnificabant Deum, dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis! et quia Deus visitavit plebem suam!

17. Et exiit hic sermo in universam Judaeam de eo, et in omnem circa regionem.

18. [p]Et nuntiaverunt Joanni discipuli ejus de omnibus his.

19. Et convocavit duos de discipulis suis Joannes, et misit ad Jesum, dicens: Tu es, qui venturus es? an alium expectamus?

20. Cum autem venissent ad eum viri, dixerunt: Joannes Baptista misit nos ad te, dicens: Tu es, qui venturus es? an alium expectamus?

21. (In ipsa autem hora multos curavit a languoribus, et plagis, et spiritibus malis, et caecis multis donavit visum.)

22. Et respondens, dixit illis: Euntes renuntiate Joanni, quae

[o] v. 1—10. Matth. 8, 5—13.

[p] v. 18—35. Matth. 11, 2—19.

Cap. VII. 6. dignus sum. 8. et alio (*sic*). 11. cum illo. 12. et ecce (et *erasum*). 13. super ea. 14. adulescens. 15. qui fuerat. 17. et omnem. 19. misit ad Dominum. 21. curavit multos. 22. nuntiate.

audistis, et vidistis: Quia caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur;

23. et beatus est, quicumque non fuerit scandalizatus in me.

24. Et cum discessissent nuntii Joannis, coepit de Joanne dicere ad turbas: Quid existis in desertum videre? arundinem[q] vento agitatam?

25. Sed quid existis videre? hominem mollibus[r] vestimentis indutum? Ecce! qui in veste pretiosa sunt et deliciis, in domibus regum sunt.

26. Sed quid existis videre? prophetam? Utique dico vobis, et plus quam prophetam!

27. Hic est, de quo scriptum est: „Ecce! mitto angelum meum „ante faciem tuam, qui praepa„rabit viam tuam ante te."[s]

28. Dico enim vobis: Major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est; qui autem[t] minor est in regno Dei, major est illo.

29. Et omnis populus audiens et publicani[u], justificaverunt Deum, baptizati baptismo Joannis.

30. Pharisaei autem, et legisperiti consilium Dei spreverunt in semet ipsos, non baptizati ab eo.

31. Ait autem Dominus: Cui ergo similes dicam homines generationis hujus? et cui similes sunt?

32. Similes sunt pueris sedentibus in foro, et loquentibus ad invicem, et dicentibus: Cantavimus vobis tibiis, et non saltastis; lamentavimus, et non plorastis.

33. Venit enim Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, et dicitis: Daemonium habet!

34. Venit Filius hominis manducans, et bibens, et dicitis[v]: Ecce, homo devorator, et bibens vinum, amicus publicanorum et peccatorum!

35. Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis.

36. Rogabat autem illum quidam de Pharisaeis, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisaei discubuit.

37. Et ecce! mulier, quae erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quod accubuisset in domo Pharisaei, attulit alabastrum unguenti;

38. et stans retro secus pedes ejus, lacrymis coepit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat.

39. Videns autem Pharisaeus, qui vocaverat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset propheta, sciret utique, quae et qualis est mulier, quae tangit eum; quia peccatrix est.

40. Et respondens Jesus, dixit ad illum: Simon! habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister! dic.

41. Duo debitores erant cuidam foeneratori; unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta;

42. non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit?

[q] Eph. 4, 14. [r] Matth. 3, 4. [s] Mal. 3, 1. [t] Matth. 13, 17. [u] cf. c. 3, 12. sq.

[v] Matth. 9, 11.

Cap. VII. 22. vidistis et audistis. 24. dicere de Johanne.; *ibid.* harundinem vento moveri. 37. quod accubuit. 38. ungento. 39. mulier esset. 41. alius quinquaginta (*omiss.* et). 42. diliget.

43. Respondens Simon dixit: Aestimo, quia is, cui plus donavit. At ille dixit ei: Recte judicasti!

44. Et conversus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti; haec autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit.

45. Osculum mihi non dedisti; haec autem, ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos.

46. Oleo caput meum non unxisti; haec autem unguento unxit pedes meos.

47. Propter quod dico tibi: Remittuntur[w] ei peccata multa, quoniam dilexit multum! Cui autem minus dimittitur, minus diligit.

48. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata!

49. Et coeperunt, qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis[x] est hic, qui etiam peccata dimittit?

50. Dixit autem ad mulierem; Fides tua te salvam fecit; vade in pace!

CAP. VIII.

Christus parabolam de seminante enarrat et explicat. De lucerna sub modio. Quinam sint mater et fratres Christi. Tempestas sedatur. Daemones expulsi porcos ineunt. Mulier a fluxu sanguinis liberatur. Filia Jairi vitae redditur.

1. Et factum est deinceps, et ipse iter faciebat per civitates et castella, praedicans et evangelizans regnum Dei, et duodecim cum illo,

[w] 1 Petr. 4, 8. [x] cf. c. 5, 21.

2. et mulieres aliquae, quae erant curatae a spiritibus malignis, et infirmitatibus: Maria[y], quae vocatur Magdalene, de qua septem daemonia exierant,

3. et Joanna uxor Chusae procuratoris Herodis, et Susanna, et aliae multae, quae ministrabant ei de facultatibus suis.

4. [z] Cum autem turba plurima convenirent, et de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem:

5. Exiit, qui seminat, seminare semen suum; et dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres coeli comederunt illud.

6. Et aliud cecidit supra petram; et natum aruit, quia non habebat humorem.

7. Et aliud cecidit inter spinas, et simul exortae spinae suffocaverunt illud.

8. Et aliud cecidit in terram bonam; et ortum fecit fructum centuplum. Haec dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat!

9. Interrogabant autem eum discipuli ejus, quae esset haec parabola.

10. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, caeteris autem in parabolis; ut[a] videntes non videant, et audientes non intelligant.

11. Est autem haec parabola: Semen est verbum Dei.

12. Qui autem secus viam, hi sunt, qui audiunt; deinde venit diabolus, et tollit verbum de cor-

[y] Marc. 16, 9. [z] v. 4—15. Matth. 13, 1—23. Marc. 4, 1—20. [a] Matth. 11, 25.

Cap. VIII. 1. civitatem et castellum. 2. ab spiritibus; *ibid.* daemonia septem exierant. 3. Chuza; *ibid.* ministrabant eis (*sic*). 7. secus spinas. 12. sunt hi qui (hi *literis minusculis scriptum*).

de eorum, ne credentes salvi fiant.

13. Nam qui supra petram; qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum; et hi radices non habent; qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.

14. Quod autem in spinas cecidit; hi sunt, qui audierunt, et a solicitudinibus et divitiis et voluptatibus vitae, euntes suffocantur, et non referunt fructum.

15. Quod autem in bonam terram; hi sunt, qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia.

16. [b]Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, aut subtus lectum ponit; sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen.

17. Non est enim occultum, quod non manifestetur; nec absconditum, quod non cognoscatur, et in palam veniat.

18. Videte ergo, quomodo audiatis! Qui[c] enim habet, dabitur illi; et quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo.

19. [d]Venerunt autem ad illum mater et fratres ejus, et non poterant adire eum prae turba.

20. Et nuntiatum est illi: Mater tua, et fratres tui stant foris, volentes te videre.

21. Qui respondens, dixit ad eos: Mater mea et fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt et faciunt.

22. [e]Factum est autem in una dierum; et ipse ascendit in naviculam, et discipuli ejus, et ait ad illos: Transfretemus trans stagnum! Et ascenderunt.

23. Et navigantibus illis, obdormivit, et descendit procella venti in stagnum, et complebantur, et periclitabantur.

24. Accedentes autem, suscitaverunt eum, dicentes: Praeceptor! perimus. At ille surgens, increpavit ventum, et tempestatem aquae, et cessavit; et facta est tranquillitas.

25. Dixit autem illis: Ubi est fides vestra? Qui timentes, mirati sunt ad invicem, dicentes: Quis putas hic est, quia et ventis et mari imperat, et obediunt ei?

26. [f]Et navigaverunt ad regionem Gerasenorum, quae est contra Galilaeam.

27. Et cum egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat daemonium jam temporibus multis, et vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis.

28. Is, ut vidit Jesum, procidit ante illum, et exclamans voce magna, dixit: Quid mihi et tibi est? Jesu Fili Dei Altissimi! obsecro te, ne me torqueas.

29. Praecipiebat enim spiritui immundo, ut exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, et vinciebatur catenis

[b] v. 16—18. Matth. 5, 15. Marc. 4, 21—25. [c] Matth. 13, 12. [d] v. 19—21. Matth. 12, 46—50. Marc. 3, 31—35.

[e] v. 22—25. Matth. 8, 23—27. Marc. 4, 35—41. [f] v. 26—37. Matth. 8, 28—34. Marc. 5, 1—17.

Cap. VIII. 13. radicem non habent. 14. in spinis; *ibid.* et sollicitudinibus. 17. non enim est. 18. auditis. 19. adire ad eum. 22. in una navicula. 23. navigantibus autem illis. 25. dicentes ad invicem; *ibid.* et ventis imperat et mari; *ibid.* oboediunt. 26. enavigaverunt autem. 27. vestimento non (*omiss.* et).

et compedibus custoditus, et ruptis vinculis agebatur a daemonio in deserta.

30. Interrogavit autem illum Jesus, dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit; Legio; quia intraverant daemonia multa in eum.

31. Et rogabant illum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent.

32. Erat autem ibi grex porcorum multorum, pascentium, in monte; et rogabant eum, ut permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis.

33. Exierunt ergo daemonia ab homine, et intraverunt in porcos; et impetu abiit grex per praeceps in stagnum, et suffocatus est.

34. Quod ut viderunt factum qui pascebant, fugerunt, et nuntiaverunt in civitatem et in villas.

35. Exierunt autem videre, quod factum est, et venerunt ad Jesum; et invenerunt hominem sedentem, a quo daemonia exierant, vestitum ac sana mente ad pedes ejus, et timuerunt.

36. Nuntiaverunt autem illis et qui viderant, quomodo sanus factus esset a legione;

37. et rogaverunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum, ut discederet ab ipsis; quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendens navim, reversus est.

38. [g] Et rogabat illum vir, a quo daemonia exierant, ut cum eo esset. Dimisit autem eum Jesus, dicens:

39. Redi in domum tuam, et narra, quanta tibi fecit Deus. Et abiit per universam civitatem, praedicans, quanta illi fecisset Jesus.

40. [h] Factum est autem, cum rediisset Jesus, excepit illum turba. Erant enim omnes exspectantes eum.

41. Et ecce! venit vir, cui nomen Jairus, et ipse princeps synagogae erat; et cecidit ad pedes Jesu, rogans eum, ut intraret in domum ejus,

42. quia unica filia erat ei fere annorum duodecim, et haec moriebatur. Et contingit, dum iret, a turbis comprimebatur.

43. Et mulier quaedam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quae in medicos erogaverat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari,

44. accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus; et confestim stetit fluxus sanguinis ejus.

45. Et ait Jesus: Quis est, qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, et qui cum illo erant: Praeceptor! turbae te comprimunt et affligunt, et dicis: Quis me tetigit?

46. Et dixit Jesus: Tetigit me aliquis; nam ego novi virtutem de me exiisse.

47. Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, et procidit ante pedes ejus; et ob quam causam tetigerit eum, indicavit coram omni populo; et quemadmodum confestim sanata sit.

48. At ipse dixit ei: Filia! fi-

[g] v. 38. 39. Marc. 5, 18—20.

[h] v. 40—56. Matth. 9, 1. 18—26. Marc. 5, 21—43.

Cap. VIII. 31. rogabant eum. 37. timore magno. 39. redi domum tuam. 40. cum redisset. 42. filia unica erat illi; *ibid.* a turba. 46. cognovi — exisse. 47. pedes illius; *ibid.* quem ammodum (*sic*). 48. dixit illi.

des tua salvam te fecit; vade in pace!

49. Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem synagogae, dicens ei: Quia mortua est filia tua, noli vexare illum.

50. Jesus autem, audito hoc verbo, respondit patri puellae: Noli timere, crede tantum, et salva erit.

51. Et cum venisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi[i] Petrum et Jacobum et Joannem, et patrem et matrem puellae.

52. Flebant autem omnes, et plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere! non est mortua puella, sed dormit[k].

53. Et deridebant eum, scientes, quod mortua esset.

54. Ipse autem tenens manum ejus clamavit, dicens: Puella, surge!

55. Et reversus est spiritus ejus; et surrexit continuo. Et jussit illi dari manducare.

56. Et stupuerunt parentes ejus, quibus praecepit[l], ne alicui dicerent, quod factum erat.

CAP. IX.

De apostolorum legatione. Quinque panes augentur. Petri confessio. Christus mutatur. Lunaticus sanatur. Mala sua praedicit Christus. Disceptatio inter apostolos orta de primatu. Mortuis sepeliendi mortui sunt.

1. [m]Convocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia daemonia, et ut languores curarent.

2. Et misit illos praedicare regnum Dei, et sanare infirmos.

3. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis;

4. et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis.

5. Et quicumque non receperint vos; exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos.

6. Egressi autem circuibant per castella, evangelizantes et curantes ubique.

7. [n]Audivit autem Herodes tetrarcha omnia, quae fiebant ab eo, et haesitabat eo, quod diceretur.

8. a quibusdam: Quia Joannes surrexit a mortuis! a quibusdam vero: Quia Elias apparuit! ab aliis autem: Quia propheta unus de antiquis surrexit!

9. Et ait Herodes: Joannem ego decollavi; quis est autem iste, de quo ego talia audio? Et quaerebat[o] videre eum.

10. [p]Et reversi Apostoli, narraverunt illi, quaecumque fecerunt; et assumptis illis, secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidae.

11. Quod cum cognovissent

[i] Matth. 17, 1. [k] Joh. 11, 11. [l] Matth. 8, 4. [m] v. 1—6. Matth. 10, 1. sqq. Marc. 6, 7—13.

[n] v. 7—9. Luc. 3, 19. sqq. Matth. 14, 1. sqq. Marc. 6, 14—29. [o] c. 23, 8. [p] v. 10—17. Matth. 14, 13—21. Marc. 6, 30—44. Joh. 6, 2—15.

Cap. VIII. 48. te salvam fecit. 49. venit a principe Synagogae (*sic*). 51. Petrum Jacobum et Johannem. 52. non est mortua sed dormit (*omiss.* puella. *Ita saepe subjectum deest.*). 53. scientes quia. 56. quibus praecipit. IX. 6. circumibant. 10. Bethsaida.

turbae, secutae sunt illum; et excepit eos, et loquebatur illis de regno Dei, et eos, qui cura indigebant, sanabat.

12. Dies autem coeperat declinare. Et accedentes duodecim dixerunt illi: Dimitte turbas! ut euntes in castella, villasque, quae circa sunt, divertant, et inveniant escas; quia hic in loco deserto sumus.

13. Ait autem ad illos: Vos date illis manducare! At illi dixerunt: Non sunt nobis plus, quam quinque panes, et duo pisces; nisi forte nos eamus, et emamus in omnem hanc turbam escas.

14. Erant autem fere viri quinque millia. Ait autem ad discipulos suos: Facite illos discumbere per convivia quinquagenos.

15. Et ita fecerunt. Et discumbere fecerunt omnes.

16. Acceptis autem quinque panibus et duobus piscibus, respexit in coelum, et benedixit illis; et fregit, et distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas.

17. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. Et sublatum est, quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.

18. [q]Et factum est, cum solus esset orans, erant cum illo et discipuli; et interrogavit illos, dicens: Quem me dicunt esse turbae?

19. At illi responderunt, et dixerunt: Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero, quia unus propheta de prioribus surrexit.

20. Dixit autem illis: Vos autem, quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit: Christum Dei.

21. At ille increpans illos, praecepit, ne cui dicerent hoc,

22. dicens: Quia[r] oportet Filium hominis multa pati, et reprobari a Senioribus, et principibus Sacerdotum, et Scribis, et occidi, et tertia die resurgere.

23. Dicebat autem ad omnes: Si quis[s] vult post me venire, abneget semet ipsum; et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me.

24. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam, qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam.

25. Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui faciat?

26. Nam qui[t] me erubuerit, et meos sermones; hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum.

27. Dico autem vobis vere: sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec[u] videant regnum Dei.

28. [v]Factum est autem post haec verba fere dies octo, et assumpsit Petrum, et Jacobum, et Joannem, et ascendit in montem, ut oraret.

29. Et facta est, dum oraret, species vultus eius altera; et vestitus ejus albus et refulgens.

30. Et ecce! duo viri loque-

[q] v 18—27. Matth. 16, 13—28. Marc. 8, 27—39.

[r] Matth. 16, 21. [s] Matth. 10, 38. sqq. [t] c. 12, 9. Matth. 10, 32. sq. [u] c. 22, 18. Matth. 26, 64. [v] v. 28—36. Matth. 17, 1—13. Marc. 9, 1—12.

Cap. IX. 11. excepit illos. 12. devertant. 19. alii quia propheta unus. 21. praecipit. 26. erubescit. 27. *Interpunctio per stichos haec est*: dico autem vobis | vere sunt aliqui hic stantes. 29. albus refulgens.

bantur cum illo. Erant autem Moyses et Elias,

31. visi in majestate, et dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Ierusalem.

32. Petrus vero, et qui cum illo erant, gravati erant somno. Et evigilantes viderunt majestatem ejus, et duos viros, qui stabant cum illo.

33. Et factum est, cum discederent ab illo, ait Petrus ad Jesum: praeceptor! bonum est nos hic esse; et faciamus tria tabernacula, unum Tibi, et unum Moysi, et unum Eliae; nesciens quid diceret.

34. Haec autem illo loquente, facta est nubes, et obumbravit eos: et timuerunt, intrantibus illis in nubem.

35. Et vox facta est de nube, dicens[w]: Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite!

36. Et dum fieret vox, inventus est Jesus solus. Et ipsi tacuerunt, et nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his, quae viderant.

37. [x]Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa.

38. Et ecce vir de turba exclamavit, dicens: Magister! obsecro te, respice in filium meum, quia unicus est mihi.

39. Et ecce! spiritus apprehendit eum, et subito clamat, et elidit, et dissipat eum cum spuma, et vix discedit dilanians eum.

40. Et rogavi discipulos tuos, ut ejicerent illum, et non potuerunt.

41. Respondens autem Jesus, dixit: O generatio infidelis, et perversa! usquequo ero apud vos, et patiar vos? Adduc huc filium tuum!

42. Et cum accederet elisit illum daemonium, et dissipavit.

43. Et increpavit Jesus spiritum immundum, et sanavit puerum, et reddidit illum patri ejus.

44. Stupebant autem omnes *in* magnitudine Dei; omnibusque mirantibus in omnibus, quae faciebat, dixit[y] ad discipulos suos: Ponite vos in cordibus vestris sermones istos! Filius enim hominis futurum est, ut tradatur in manus hominum.

45. At illi ignorabant verbum istud, et erat velatum ante eos, ut non sentirent illud: et timebant eum interrogare de hoc verbo.

46. [z]Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major esset.

47. At Jesus videns[a] cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, et statuit illum secus se,

48. et ait illis: Quicumque[b] susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit; et quicumque me receperit, recipit eum, qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic major est.

49. Respondens autem Joannes, dixit: Praeceptor! vidimus

[w] Matth. 3, 17. 12, 18. Marc. 1, 11. 2 Petr. 1, 16. sqq. [x] v. 37—43. Matth. 17, 14—21. Marc. 9, 13—28.

[y] v. 44. sq. Matth. 17, 22. sqq. Marc. 9, 29—32. [z] v. 46—50. Matth. 18, 1—9. Marc. 9, 32—38. [a] Joh. 2, 24. sq. [b] Matth. 10, 40.

Cap. IX. 32. et qui cum illo gravati erant. 33. factum est dum. 34. nubis. 37. occurrit illi. 41. Respondens Jesus dixit (autem *ad marginem est literis minusculis*); *ibid.* adduc filium tuum. 44. futurus est. 45. interrogare eum.

quemdam in nomine tuo ejicientem daemonia, et prohibuimus eum; quia non sequitur nobiscum.

50. Et ait ad illum Jesus: Nolite prohibere! qui enim[c] non est adversum vos, pro vobis est.

51. Factum est autem, dum complerentur dies assumptionis ejus, et ipse faciem suam firmavit, ut iret in Ierusalem.

52. Et misit nuntios ante conspectum suum; et euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum, ut pararent illi.

53. Et non receperunt eum; quia[d] facies ejus erat euntis in Ierusalem.

54. Cum vidissent autem discipuli ejus Jacobus et Joannes, dixerunt: Domine! vis dicimus, ut ignis[e] descendat de coelo, et consumat illos?

55. Et conversus increpavit illos, dicens: Nescitis, cujus spiritus estis!

56. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. Et abierunt in aliud castellum.

57. [f]Factum est autem: ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum: Sequar te, quocumque ieris!

58. Dixit illi Jesus: Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.

59. Ait autem ad alterum: Sequere me! Ille autem dixit: Domine! permitte mihi primum ire, et sepelire patrem meum.

60. Dixitque ei Jesus: Sine! ut mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade, et annuntia regnum Dei!

61. Et ait alter: Sequar te, Domine! sed permitte mihi primum renuntiare his, quae domi sunt.

62. Ait ad illum Jesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.

[c] c. 11, 23. 1 Cor. 12, 3. [d] Joh. 4, 9. [e] 4 Reg. 1, 10—12. [f] v. 57—62. Matth. 8, 19—22.

CAP. X.

Septuaginta duo discipuli emittuntur. Parata est civitatibus perversis calamitas. De dilectione Dei et proximi. Maria et Martha.

1. Post haec autem designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus.

2. Et dicebat illis: Messis[g] quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

3. Ite! ecce! ego mitto vos, sicut agnos inter lupos;

4. [h]nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis.

5. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui!

6. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax ve-

[g] Matth. 9, 37. sq. [h] v. 4. sqq. cf. Matth. 10, 9. sqq.

Cap. IX. 50. adversus. 51. iret Hierusalem. 53. euntis Hierusalem. 54. cum vidissent discipuli (autem *literis minusculis*). 55. increpavit illos et dixit. 60. Dixitque Jesus (*omiss.* ei); *ibid.* vade annuntia. 61. et ait illi (*sic*); *ibid.* primum permitte mihi; *ibid.* renuntiare his qui domi sunt. 62. in aratrum et aspiciens retro. X. 6. requiescet super illam (*sic*).

stra; sin autem, ad vos revertetur.

7. In eadem autem domo manete, edentes et bibentes, quae apud illos sunt; dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum.

8. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate, quae apponuntur vobis;

9. et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis; Appropinquavit in vos regnum Dei!

10. In quamcumque autem civitatem intraveritis, et non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus, dicite:

11. Etiam pulverem, qui adhaesit nobis de civitate vestra, extergimus in vos! tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei.

12. Dico vobis: Quia Sodomis in die illa remissius erit, quam illi civitati.

13. [i]Vae tibi, Corozain! vae tibi Bethsaida! quia, si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes poeniterent.

14. Verumtamen Tyro et Sidoni remissius erit in judicio, quam vobis.

15. Et tu, Capharnaum! usque ad coelum exaltata, usque ad infernum demergeris!

16. Qui vos audit[k], me audit; et qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.

17. Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine! etiam daemonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.

18. Et ait illis: Videbam[l] satanam sicut fulgur de coelo cadentem.

19. Ecce! dedi[m] vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici; et nihil vobis nocebit.

20. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur; gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in coelis.

21. In ipsa hora exultavit Spiritu sancto, et dixit[n]: Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae! quod abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Etiam, Pater! quoniam sic placuit ante te.

22. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo; et nemo scit, quis sit Filius, nisi Pater; et quis sit Pater, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.

23. Et conversus ad discipulos suos, dixit: Beati[o] oculi, qui vident, quae vos videtis!

24. Dico enim vobis: Quod multi prophetae et reges voluerunt videre, quae vos videtis, et non viderunt; et audire, quae auditis, et non audierunt.

25. Et ecce quidam Legisperi-

[i] v. 13—15. Matth. 11, 21—23. [k] Matth. 10, 40. Joh. 13, 20.

[l] Joh. 12, 31. [m] Marc. 16. 17. sq. [n] v. 21. 22. Matth. 11, 25. sqq. [o] Matth. 13, 16. sq.

Cap. X. 7. dignus enim est. 10. in quamcunque civitatem (*omiss.* et); intraveritis et non receperint. 11. adhesit; *ibid.* appropiavit (*sic*). 13. quae in vobis factae sunt. 15. usque in coelum exaltata. 16. qui me misit. 19. supra omnem. 21. quia sic. 22. patre (*omiss.* meo); *ibid.* qui sit (*bis*). 23. quae videtis (*omiss.* vos).

tus surrexit, tentans illum, et dicens: Magister! quid faciendo vitam aeternam possidebo?

26. At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quomodo legis?

27. Ille respondens dixit: „Diliges[p] Dominum Deum tuum „ex toto corde tuo, et ex tota „anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua; „et proximum[q] tuum sicut te „ipsum."

28. Dixitque illi: Recte respondisti! hoc fac, et vives[r]!

29. Ille autem volens justificare se ipsum, dixit ad Jesum: Et quis est meus proximus?

30. Suscipiens autem Jesus, dixit: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum; et plagis impositis, abierunt semivivo relicto.

31. Accidit autem, ut Sacerdos quidam descenderet eadem via; et viso illo, praeterivit.

32. Similiter et Levita, cum esset secus locum, et videret eum, pertransiit.

33. Samaritanus[s] autem quidam iter faciens, venit secus eum, et videns eum, misericordia motus est;

34. et appropinquans alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum; et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, et curam ejus egit.

35. Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait: Curam illius habe! et quodcumque supererogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi.

36. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?

37. At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade, et tu fac similiter!

38. Factum est autem, dum irent, et ipse intravit in quoddam castellum; et mulier quaedam Martha[t] nomine, excepit illum in domum suam:

39. Et huic erat soror nomine Maria, quae etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.

40. Martha autem satagebat circa frequens ministerium; quae stetit, et ait: Domine! non est tibi curae, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, ut me adjuvet.

41. Et respondens, dixit illi Dominus: Martha, Martha! solicita es, et turbaris erga plurima;

42. porro unum est necessarium. Maria optimam[u] partem elegit, quae non auferetur ab ea.

CAP. XI.

Modus orandi et assiduae precationis efficacia. Jesus non ope Beelzebub ejicit daemonia. De signo Jonae, de regina Austri, de Ninivitis, de oculo simplici et nequam. Mundandum, quod intus est. Notatur Pharisaeorum et Scribarum virtus simulata, pietas fucata.

1. Et factum est, cum esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad

[p] Deut. 6. 5. [q] Levit. 19, 18. [r] Rom. 10, 5. [s] Joh. 4, 9.

[t] Joh. 11, 1. 12, 2. 3. [u] Matth. 6, 20. 33.

Cap. X. 25. tentans eum. 27. *Locus V. T. exitatus cum signo „—" ad marginem.* 30. Hiericho. 32. transiit. 33. iter faciens transiens. 34. imponens illum jumentum suum. 40. adjuvet me. XI. 1. in loco quodam.

stra; sin autem, ad vos revertetur.

7. In eadem autem domo manete, edentes et bibentes, quae apud illos sunt; dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum.

8. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate, quae apponuntur vobis;

9. et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis; Appropinquavit in vos regnum Dei!

10. In quamcumque autem
vitatem intraveritis, et no
ceperint vos, exeuntes ...nit
teas ejus, dicite: , quod

11. Etiam pulvere respondens
haesit nobis de civ molestus esse!
extergimus in vo ...m est, et pueri
scitote, quia ap ...nt in cubili; non
gnum Dei. ...re, et dare tibi.

12. Dico ... ille perseveraverit[w]
in die illa ... dico vobis, etsi non da-
illi civit... surgens, eo quod amicus

13. ... propter improbitatem
tibi B... ejus surget, et dabit illi,
et S... quot habet necessarios.
qu... Et ego dico vobis: Petite,
c... et dabitur vobis! quaerite, et in-
venietis! pulsate, et aperietur
vobis!

10. Omnis enim, qui petit, accipit; et qui quaerit, invenit; et pulsanti aperietur.

11. Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piscem: num-

qui autem me spe... ...em dabit
eum, qui misit me...

17. Reversi... ovum; num-
ginta duo cu... scorpionem?
Domine! ... , cum sitis mali,
ciuntur ... ta dare filiis ve-

18. ... magis Pater vester
tana... bit spiritum bonum
der... se?

... erat ejiciens daemoni-
... illud erat mutum. Et cum
... set daemonium, locutus est
... us, et admiratae sunt turbae.

15. Quidam autem ex eis dixerunt:[z] In Beelzebub principe daemoniorum ejicit daemonia!

16. Et alii tentantes, signum[a] de coelo quaerebant ab eo.

17. Ipse autem, ut vidit[b] cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet.

18. Si autem et Satanas in se ipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis, in Beelzebub me ejicere daemonia.

19. Si autem ego in Beelzebub ejicio daemonia; filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt!

20. Porro si in digito Dei ejicio daemonia; profecto pervenit in vos regnum Dei.

21. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quae possidet;

22. si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa ar-

[v] v. 2—4. Matth. 6, 9—13. [w] cf. c. 18, 1—5. [x] v. 9—13. Matth. 7, 7—11.

[y] v. 14—23. Matth. 12, 22—23. Marc. 3, 22—30. [z] Matth. 9, 34. [a] Matth. 12, 38. [b] Joh. 2, 24. sq.

Cap. XI. 1. et Johannes docuit. 3. cotidianum; *ibid.* da nobis cotidie. 7. de intus dicat. 8. et ille si; *ibid.* quot habet. 9. vobis dico. 11. aut si piscem. 12. porrigit. 14. ammiratae. 15. in Belzebub principem (*sic*) daemoniorum ejcit. 17. in se ipso; *ibid.* desolatur. 18. regnum ipsius; *ibid.* in Belzebub ejcere me daemonia. 20. praevenit in vos. 22. fortior illo.

uferet, in quibus confi-
·olia ejus distribuet.
›n est[c] mecum, con-
t qui non colligit
't.
undus spiritus
.ambulat per
·ens requi-
·licit: Re-
m, unde

, invenit
·'et orna-

, et assumit se-
·iritus secum, ne-
·, et ingressi habitant
.. fiunt[e] novissima homi-
..lius pejora prioribus.

27. Factum est autem, cum haec diceret; extollens vocem quaedam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti!

28. At ille dixit: Quin immo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud!

29. [f]Turbis autem concurrentibus coepit dicere: Generatio haec, generatio nequam est! signum quaerit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonae prophetae.

30. Nam sicut fuit Jonas signum Ninivitis; ita erit et Filius hominis generationi isti.

31. Regina[g] Austri surget in judicio cum viris generationis hujus, et condemnabit illos; quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis; et ecce! plus quam Salomon hic.

32. Viri Ninivitae surgent in judicio cum generatione hac, et condemnabunt illam; quia[h] poenitentiam egerunt ad praedicationem Jonae; et ecce! plus quam Jonas hic.

33. Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio; sed supra candelabrum, ut, qui ingrediuntur, lumen videant.

34. Lucerna[i] corporis tui est oculus tuus; si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.

35. Vide ergo, ne lumen, quod in te est, tenebrae sint!

36. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum; erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

37. Et cum loqueretur, rogavit illum quidam Pharisaeus, ut pranderet apud se. Et ingressus recubuit.

38. Pharisaeus autem coepit intra se reputans dicere, quare[k] non baptizatus esset ante prandium.

39. Et ait Dominus ad illum: Nunc vos, Pharisaei! quod deforis[l] est calicis et catini, mundatis; quod autem intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate.

40. Stulti! nonne qui fecit,

[c] Matth. 6, 24. [d] v. 24—26. Matth. 12, 43—45. [e] 2 Petr. 2, 20. [f] v. 29—32. Matth. 12, 38—42. [g] 3 Reg. 10, 1.

[h] Jon. 3, 5. [i] Matth. 6, 22. sq. [k] Matth. 15, 2. [l] Matth. 23, 25.

Cap. XI. 22. distribuit. 23. adversum me. 24. perambulat per. 26. Et tunc vadit; *ibid.* alios spiritus nequiores se. 28. quippini (*sic*); *ibid.* custodiunt (*omiss.* illud). 29. dabitur illi; *ibid.* Jonae (*omiss.* prophetae). 30. Jonas fuit; *ibid.* Ninevitis. 31. plus Salomone. 32. Ninevitae; *ibid.* plus Jona. 37. quidam Pharisaeis (*sic*).

quod deforis est, etiam id, quod deintus est, fecit?

41. Verumtamen quod superest, date eleemosynam; et ecce omnia munda sunt vobis!

42. Sed vae vobis Pharisaeis! quia decimatis[m] mentham et rutam, et omne olus; et praeteritis judicium et charitatem Dei; haec autem oportuit facere, et illa non omittere.

43. Vae vobis Pharisaeis! quia diligitis[n] primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro.

44. Vae vobis! quia estis[o] ut monumenta, quae non apparent, et homines ambulantes supra, nesciunt.

45. Respondens autem quidam ex Legisperitis, ait illi: Magister! haec dicens, etiam contumeliam nobis facis.

46. At ille ait: Et vobis Legisperitis vae! quia[p] oneratis homines oneribus, quae portare non possunt; et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas.

47. Vae vobis! qui aedificatis[q] monumenta Prophetarum; patres autem vestri occiderunt illos.

48. [r]Profecto, testificamini, quod consentitis operibus patrum vestrorum! quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem aedificatis eorum sepulcra.

49. Propterea et sapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas, et Apostolos, et ex illis occident, et persequentur;

50. ut inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi a generatione ista,

51. a sanguine Abel[s], usque ad sanguinem Zachariae[t], qui periit inter altare et aedem. Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione!

52. Vae vobis Legisperitis! quia tulistis clavem scientiae, ipsi non introistis, et eos, qui introibant, prohibuistis.

53. Cum autem haec ad illos diceret, coeperunt Pharisaei et Legisperiti graviter insistere, et os ejus opprimere de multis,

54. insidiantes ei, et quaerentes[u] aliquid capere de ore ejus, ut accusarent eum.

CAP. XII.

De fermento Pharisaeorum. Quis timendus? De blasphemia in Spiritum sanctum. De persecutionibus. Parabola de divite. Vitanda est anxia sollicitudo. De fideli et infideli dispensatore. Venit Jesus, ut in terram ignem mittat. De gratiae tempore dijudicando.

1. [v]Multis autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem conculcarent, coepit dicere ad discipulos suos: Attendite[w] a fermento Pharisaeorum, quod est hypocrisis!

2. Nihil[x] autem opertum est, quod non reveletur; neque absconditum, quod non sciatur.

3. Quoniam, quae in tenebris dixistis, in lumine dicentur; et

[m] Matth. 23, 23. [n] Matth. 23, 6. [o] Matth. 23, 27. sq. [p] Matth. 23, 4. [q] Matth. 23, 29. [r] v. 48—52. Matth. 23, 31—36.

[s] Genes. 4, 8. [t] 2 Par. 24, 20. sqq. [u] Marc. 12, 13. [v] v. 1—9. Matth. 10, 26—32. [w] Matth. 16, 6. [x] c. 8, 17.

Cap. XI. 41. elemosynam. 42. holus. 43. qui diligitis. 44. quae non parent. 45. etiam nobis. 47. vobis quia. 52. introiebant. 53. cum haec ad illos (*omiss.* autem). 54. insidiantes et quaerentes (*omiss.* ei); *ibid.* capere aliquid ex ore ejus.

quod in aurem locuti estis in cubiculis, praedicabitur in tectis.

4. Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, et post haec non habent amplius quid faciant.

5. Ostendam autem vobis, quem timeatis; timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam; ita dico vobis, hunc timete!

6. Nonne quinque passeres vaeneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo?

7. Sed et capilli[y] capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere; multis passeribus pluris estis vos.

8. Dico autem vobis: Omnis, quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei;

9. qui[z] autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei.

10. Et omnis, qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi; ei autem[a], qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur.

11. Cum autem inducent vos in synagogas, et ad magistratus et potestates, nolite soliciti esse, qualiter, aut quid respondeatis, aut quid dicatis;

12. Spiritus[b] enim sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere.

13. Ait autem ei quidam de turba: Magister! dic fratri meo, ut dividat mecum haereditatem.

14. At ille dixit illi: Homo! quis me constituit judicem, aut divisorem super vos?

15. Dixitque ad illos: Videte et cavete ab omni avaritia! quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his, quae possidet.

16. Dixit autem similitudinem ad illos, dicens: Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit;

17. et cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos?

18. Et dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea, et majora faciam; et illuc congregabo omnia, quae nata sunt mihi, et bona mea,

19. et dicam animae meae: Anima! habes multa bona posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare!

20. Dixit autem illi Deus: Stulte! hac nocte animam tuam repetunt a te; quae autem parasti, cujus erunt?

21. Sic est, qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives[c].

22. [d]Dixitque ad discipulos suos: Ideo dico vobis: Nolite soliciti esse animae vestrae, quid manducetis; neque corpori, quid induamini.

23. Anima plus est quam esca; et corpus plus quam vestimentum.

24. Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, qui-

[y] c. 21, 18. [z] c. 9, 26. [a] Hebr. 6, 4—6. [b] Matth. 10, 19. sq. 1 Cor. 2, 12. sq. 1 Tim. 4, 1. cf. c. 21, 15.

[c] Matth. 6, 20. 1 Tim. 6, 17—19. [d] v. 22—32. Matth. 6, 25—34.

Cap. XII. 4. quod faciant. 6. veniunt de pundio. 7. plures estis (*omiss.* vos). 8. confessus fuerit in me; *ibid.* confitebitur in illo. 9. denegabitur. 12. quae oporteat dicere. 13. quidam ei. 14. dixit ei; *ibid.* supra vos. 17. quod non. 22. animae (*omiss.* vestrae); *ibid.* vestiamini. 24. corbos.

bus non est cellarium, neque horreum, et Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis?

25. Quis autem vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?

26. Si ergo neque, quod minimum est, potestis? quid de ceteris soliciti estis?

27. Considerate lilia, quomodo crescunt? non laborant, neque nent; dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis!

28. Si autem foenum, quod hodie est in agro, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos? pusillae fidei!

29. Et vos nolite quaerere, quid manducetis, aut quid bibatis, et nolite in sublime tolli;

30. haec enim omnia gentes mundi quaerunt. Pater autem vester scit, quoniam his indigetis.

31. Verumtamen quaerite primum regnum Dei, et justitiam ejus; et haec omnia adjicientur[e] vobis.

32. Nolite timere, pusillus grex! quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.

33. Vendite[f], quae possidetis, et date eleemosynam! Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in coelis; quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.

34. Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit!

35. [g]Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris,

36. et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis; ut, cum venerit, et pulsaverit, confestim aperiant ei.

37. Beati servi illi! quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes; Amen dico vobis: Quod praecinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis.

38. Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi!

39. Hoc[h] autem scitote! quoniam si sciret pater familias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.

40. Et vos estote parati! quia[i], qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

41. Ait autem ei Petrus: Domine! ad nos dicis hanc parabolam? an et ad omnes?

42. [k]Dixit autem Dominus: Quis, putas, est fidelis dispensator, et prudens, quem constituit dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?

43. Beatus ille servus! quem, cum venerit dominus, invenerit ita facientem.

44. Vere dico vobis! quoniam supra omnia, quae possidet, constituet illum.

45. Quod si dixerit servus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire! et coeperit per-

[e] 1 Tim. 4, 8. [f] cf. c. 18, 22. [g] v. 35—37. Matth. 25, 1. sqq.

[h] Matth. 24, 43. sq. [i] c. 21, 35. [k] v. 42—46. Matth. 24, 45—51.

Cap. XII. 24. plures estis. 27. non laborant non nent. 28. in agro est. 31. quaerite regnum Dei (*omiss.* primum; *ibid. omiss.* et justitiam ejus). 33. veterescunt. 35. ardentes (*omiss.* in manibus vestris). 37. praecingit. 38. beati servi illi. 41. an ad omnes. 44. quia supra.

cutere servos, et ancillas, et edere, et bibere, et inebriari;

46. veniet dominus servi illius, in die, qua non sperat, et hora, qua nescit, et dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.

47. Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui, et non praeparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis;

48. qui autem non cognovit, et fecit digna, plagis vapulabit paucis. Omni autem, cui multum datum est, multum quaeretur ab eo; et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo.

49. [l] Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?

50. Baptismo [m] autem habeo baptizari; et quomodo coarctor usquedum perficiatur!

51. Putatis, quia pacem veni dare in terram? Non! dico vobis, sed separationem;

52. erunt enim ex hoc quinque in domo una divisi; tres in duos, et duo in tres

53. dividentur; pater in filium, et filius in patrem suum; mater in filiam, et filia in matrem; socrus in nurum suam, et nurus in socrum suam.

54. Dicebat autem et ad turbas: Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: Nimbus venit! et ita fit.

55. Et cum austrum flantem, dicitis: Quia aestus erit! et fit.

56. Hypocritae! faciem coeli et terrae nostis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis?

57. Quid autem et a vobis ipsis non judicatis, quod justum est?

58. Cum [n] autem vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad judicem, et judex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem.

59. Dico tibi: Non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas

CAP. XIII.

Agenda est poenitentia. Parabola de ficu infructuosa. Mulier sabbato curatur. Regnum coelorum confertur cum grano sinapis et fermento. De angusta porta. Ierusalem ob incredulitatem evertenda.

1. Aderant autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilaeis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum.

2. Et respondens dixit illis: Putatis [o], quod hi Galilaei prae omnibus Galilaeis peccatores fuerint, quia talia passi sunt?

3. Non! dico vobis; sed nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.

4. Sicut illi decem et octo, supra quos cecidit turris in Siloe, et occidit eos; putatis, quia et ipsi debitores fuerint praeter omnes homines habitantes in Ierusalem?

5. Non! dico vobis; sed si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.

[l] v. 49—53. Matth. 10, 34—36. [m] Marc. 10, 38.

[n] Matth. 5, 25. [o] Joh. 9, 2. 3.

Cap. XII. 45. pueros. 47. et 48. vapulavit (v = b). 49. nisi accendatur. 50. coartor. 52. tres in duo. 55. ventus erit (*sic*). 56. faciem terrae et caeli. 57. quid justum est. 58. apud judicem. XIII. 4. turris in Siloam et occidit illos; *ibid.* fuerunt. 5. si non paenitentiam egeritis.

6. Dicebat autem et hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quaerens fructum in illa, et non invenit.

7. Dixit autem ad cultorem vineae: Ecce! anni tres sunt, ex quo venio quaerens fructum in ficulnea hac, et non invenio; succide ergo illam; ut quid etiam terram occupat?

8. At ille respondens, dicit illi: Domine! dimitte illam et hoc anno, usquedum fodiam circa illam, et mittam stercora;

9. et si quidem fecerit fructum; sin autem, in futurum succides eam.

10. Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis.

11. Et ecce! mulier, quae habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo; et erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.

12. Quam cum videret Jesus, vocavit eam ad se, et ait illi: Mulier! dimissa es ab infirmitate tua.

13. Et imposuit[p] illi manus, et confestim erecta est, et glorificabat Deum.

14. Respondens autem archisynagogus, indignans, quia sabbato curasset Jesus, dicebat turbae: Sex dies sunt, in quibus oportet operari; in his ergo venite, et curamini, et non in die sabbati.

15. Respondens autem ad illum Dominus, dixit: Hypocritae! unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum aut asinum a praesepio, et ducit adaquare?

16. Hanc autem filiam Abrahae, quam alligavit satanas, ecce! decem et octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati?

17. Et cum haec diceret, erubescebant omnes adversarii ejus; et omnis populus gaudebat in universis, quae gloriose fiebant ab eo.

18. Dicebat ergo: Cui simile est regnum Dei, et cui simile aestimabo illud?

19. Simile[q] est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, et crevit, et factum est in arborem magnam; et volucres coeli requieverunt in ramis ejus.

20. Et iterum dixit: Cui simile aestimabo regnum Dei?

21. Simile[r] est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinae sata tria, donec fermentaretur totum.

22. Et ibat[s] per civitates et castella, docens, et iter faciens in Ierusalem.

23. Ait autem illi quidam: Domine! si pauci sunt, qui salvantur? Ipse autem dixit ad illos:

24. Contendite intrare per angustam[t] portam! quia multi, dico vobis, quaerent intrare, et non poterunt.

25. Cum[u] autem intraverit paterfamilias, et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ostium, dicentes: Domine! aperi

[p] Marc. 7, 32. Act. 9, 12. 17. 18.

[q] Matth. 13, 31. 32. Marc. 4, 30—32. [r] Matth. 13, 33. [s] Matth. 9, 35. [t] Matth. 7, 13. [u] Matth. 25, 10.

Cap. XIII. 6. hanc similitudinem (*omiss.* et). 8. dixit. 12. vidisset. 15. et dixit. 18. simile esse existimabo. 20. et 21. *Lectio et interpunctio haec est:* aestimabo regnum Dei | et cui simile est | fermento cet. 25. et cluserit; *ibid.* et incipietis.

nobis; et respondens dicet vobis: Nescio vos, unde sitis!
26. Tunc incipietis dicere: Manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti.
27. Et dicet vobis: Nescio vos, unde sitis! discedite[v] a me, omnes operarii iniquitatis!
28. Ibi erit fletus, et stridor dentium; cum videritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.
29. Et venient ab Oriente, et Occidente, et Aquilone, et Austro, et accumbent in regno Dei.
30. Et ecce! sunt[w] novissimi, qui erunt primi, et sunt primi, qui erunt novissimi.
31. In ipsa die accesserunt quidam Pharisaeorum, dicentes illi; Exi, et vade hinc! quia Herodes vult te occidere.
32. Et ait illis: Ite, et dicite vulpi illi: Ecce! ejicio daemonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor.

33. Verumtamen oportet me hodie et cras et sequenti die ambulare; quia non capit prophetam perire extra Ierusalem.

34. [x]Ierusalem, Ierusalem! quae occidis Prophetas, et lapidas eos, qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennis, et noluisti?
35. Ecce! relinquetur vobis domus vestra deserta[y]. Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat, cum dicetis: Benedictus, qui venit in nomine Domini!

[v] Matth. 7, 23. 25, 41. [w] Matth. 19, 30. 20, 16. Marc. 10, 31. [x] v. 34. 35. Matth. 23, 37. sqq. [y] Luc. 19, 43. sq.

CAP. XIV.

Hydropicus sabbato curatur. Legisperitorum et Pharisaeorum ambitio notatur. Parabola de invitatis ad coenam. De cruce tollenda. Volenti turrim aedificare, primum computandi sumptus sunt. Sal putidum foras projicitur.

1. Et factum est, cum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisaeorum sabbato manducare panem, et ipsi observabant[z] eum.
2. Et ecce! homo quidam hydropicus erat ante illum.
3. Et respondens Jesus dixit ad Legisperitos et Pharisaeos, dicens: Si licet[a] sabbato curare?
4. At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit.
5. Et respondens ad illos dixit: Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum die sabbati?
6. Et non poterant ad haec respondere illi.
7. Dicebat autem et ad invitatos parabolam, intendens, quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos:
8. Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas[b] in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo,
9. et veniens is, qui te et illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum! et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere.

[z] c. 6, 7. [a] Matth. 12, 10. [b] c 11, 43.

Cap. XIII. 28. introire in regno Dei. 33. et sequenti (*omiss.* die). 34. sub pinnis. 35. relinquitur; *ibid.* domus vestra (*omiss.* deserta). XIV. 1. cum intraret (*omiss.* Jesus). 3. licet sabbato (*omiss.* si). 4. sanavit ac dimisit (*omiss.* eum). 8. ab eo.

10. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco! ut, cum venerit, qui te invitavit, dicat tibi: Amice, ascende superius! Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus:

11. Quia[c] omnis, qui se exaltat, humiliabitur: et qui se humiliat, exaltabitur.

12. Dicebat autem et ei, qui se invitaverat: Cum facis prandium, aut coenam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites; ne forte te et ipsi reinvitent, et fiat[d] tibi retributio.

13. Sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, et caecos;

14. et beatus eris, quia non habent retribuere tibi; retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.

15. Haec cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi: Beatus, qui manducabit panem in regno Dei!

16. At ipse dixit ei: Homo[e] quidam fecit coenam magnam, et vocavit multos.

17. Et misit servum suum hora coenae dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata sunt omnia.

18. Et coeperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam; rogo te, habe me excusatum!

19. Et alter dixit: Juga boum emi quinque, et eo probare illa; rogo te, habe me excusatum!

[c] Matth. 23, 12. [d] c. 6, 33. [e] Matth. 22, 2. sqq.

20. Et alius dixit: Uxorem duxi, et ideo non possum venire.

21. Et reversus servus nunciavit haec domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit servo suo: Exi cito in plateas et vicos civitatis! et pauperes, ac debiles, et caecos, et claudos introduc huc.

22. Et ait servus: Domine! factum est, ut imperasti, et adhuc locus est.

23. Et ait dominus servo: Exi[f] in vias, et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea.

24. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit coenam meam.

25. Ibant autem turbae multae cum eo; et conversus dixit ad illos:

26. Si quis[g] venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.

27. Et qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus.

28. Quis enim ex vobis volens turrim aedificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum,

29. ne, posteaquam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei,

30. dicentes: Quia hic homo coepit aedificare, et non potuit consummare!

31. Aut quis rex iturus com-

[f] Matth. 8, 11. sq. [g] Matth. 10, 35. 37.

Cap. XIV. 10. descumbentibus. 13. clodos. 14. in resurrectionem. 15. dixit ei; *ibid.* manducavit (v = b). 21. introduc (*omiss.* huc). 24. gustavit (v = b). 28. si habet. 31. qui rex — adversum.

mittere bellum adversus alium regem; non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se?

32. Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea, quae pacis sunt.

33. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.

34. Bonum[h] est sal! Si autem sal evanuerit, in quo condietur?

35. Neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat!

CAP. XV.

Parabolae de ove et drachma recuperatis et de filio prodigo. Coelum gaudio exsultat super peccatore poenitentiam agente.

1. Erant autem appropinquantes ei publicani et peccatores, ut audirent illum.

2. Et murmurabant Pharisaei et Scribae, dicentes: Quia[i] hic peccatores recipit, et manducat cum illis!

3. Et ait ad illos parabolam istam, dicens:

4. Quis[k] ex vobis homo, qui habet centum oves; et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam, quae perierat, donec inveniat eam?

5. Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens;

6. et veniens domum, convocat amicos et vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quae perierat!

7. Dico vobis, quod ita gaudium erit in coelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent poenitentia.

8. Aut quae mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et everrit domum, et quaerit diligenter, donec inveniat?

9. Et cum invenerit, convocat amicas et vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram.

10. Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente.

11. Ait autem: Homo quidam habuit duos filios;

12. et dixit adolescentior ex illis patri: Pater! da mihi portionem substantiae, quae me contingit. Et divisit illis substantiam.

13. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose.

14. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, et ipse coepit egere.

15. Et abiit, et adhaesit uni civium regionis illius; et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos.

16. Et cupiebat implere ven-

[h] Matth. 5, 13. [i] Matth. 9, 11. [k] Matth. 18, 11. sqq.

Cap. XIV. 31. milibus (*bis*). 34. sal quoque. 35. sterculinum. XV. 4. illam (*in fine*). 5. illam. 7. paenitentiam habente. 8. dragmas — dragmam. 12. et 13. adulescentior.

trem suum de siliquis, quas porci manducabant; et nemo illi dabat.

17. In se autem reversus, dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo!

18. Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater! peccavi in coelum, et coram te;

19. jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis!

20. Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset; vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum.

21. Dixitque ei filius: Pater! peccavi in coelum, et coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus.

22. Dixit autem pater ad servos suos: Cito proferte stolam primam, et induite illum; et date annulum in manum ejus, et calceamenta in pedes ejus;

23. et adducite vitulum saginatum, et occidite; et manducemus, et epulemur;

24. quia hic filius meus mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est. Et coeperunt epulari.

25. Erat autem filius ejus senior in agro; et cum veniret, et appropinquaret domui, audivit symphoniam et chorum;

26. et vocavit unum de servis, et interrogavit, quid haec essent.

27. Isque dixit illi: Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit.

28. Indignatus[l] est autem, et nolebat introire. Pater ergo illius egressus, coepit rogare illum.

29. At ille respondens, dixit patri suo: Ecce! tot annis servio tibi; et numquam mandatum tuum praeterivi, et numquam dedisti mihi hoedum, ut cum amicis meis epularer;

30. sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.

31. At ipse dixit illi: Fili! tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt;

32. epulari autem et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est.

CAP. XVI.

De villico iniquo, de eleemosyna exercenda. Nihil ex lege peribit. De matrimonii vinculo, de divite epulone et Lazaro mendico.

1. Dicebat autem et ad discipulos suos: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum; et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius.

2. Et vocavit illum, et ait illi: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuae! jam enim non poteris villicare.

3. Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert a me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco.

[l] cf. v. 2.

Cap. XV. 17. mercenarii patris mei. 18. dicam illi. 20. supra collum. 21. et jam non sum. 22. anulum; *ibid.* calceamenta in pedes (*omiss.* ejus). 26. quae haec essent. 29. praeterii; *ibid.* hedum. XVI. 1. vilicum. 2. vilicationis; *ibid.* vilicare. 3. auferet a me.

4. Scio, quid faciam, ut, cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas.

5. Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo?

6. At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam; et sede cito, scribe quinquaginta!

7. Deinde alii dixit: Tu vero quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe litteras tuas, et scribe octoginta!

8. Et laudavit dominus villicum iniquitatis, qui prudenter fecisset; quia filii hujus saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.

9. Et ego vobis dico: facite[m] vobis amicos de mammona iniquitatis; ut, cum defeceritis, recipiant[n] vos in aeterna tabernacula.

10. Qui fidelis[o] est in minimo, et in majori fidelis est; et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est.

11. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis credet vobis?

12. Et si in alieno fideles non fuistis; quod vestrum est, quis dabit vobis?

13. Nemo[p] servus potest duobus dominis servire; aut enim unum odiet, et alterum diliget; aut uni adhaerebit, et alterum contemnet; non potestis Deo servire et mammonae.

14. Audiebant autem omnia haec Pharisaei, qui erant avari[q]; et deridebant illum.

15. Et ait illis: Vos estis, qui justificatis[r] vos coram hominibus; Deus autem novit corda vestra; quia, quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.

16. Lex[s] et prophetae, usque ad Joannem; ex eo regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit.

17. Facilius[t] est autem coelum et terram praeterire, quam de Lege unum apicem cadere.

18. Omnis[u], qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur; et qui dimissam a viro ducit, moechatur.

19. Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso; et epulabatur quotidie splendide.

20. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus,

21. cupiens saturari de micis, quae cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat; sed et canes veniebant, et lingebant ulcera ejus.

22. Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum[v] Abrahae. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno.

23. Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus;

24. et ipse clamans dixit: Pater Abraham! miserere mei, et

[m] c. 19, 8. [n] Matth. 6, 20. [o] c. 19, 17. [p] Matth. 6, 24.

[q] Matth. 23, 14. 25. [r] Matth. 23, 27. [s] Matth. 11, 12. 13. [t] Matth. 5, 18. [u] Matth. 5, 32. 19, 7. sqq. Marc. 10, 4. sqq. 1 Cor. 7, 10. [v] cf. c. 13, 28.

Cap. XVI. 7. alio (*sic*); *ibid.* centum choros. 9. mamona. 11. in iniquo Mamonae; *ibid.* quis credit. 13. Mamonae. 18. et ducit alteram. 19. et induebatur. 21. *Omiss.* et nemo illi dabat. 23. videbat; *ibid.* in sinum ejus.

mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.

25. Et dixit illi Abraham: Fili! recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.

26. Et in his omnibus, inter nos et vos chaos magnum firmatum est; ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.

27. Et ait: Rogo ergo te, pater! ut mittas eum in domum patris mei;

28. habeo enim quinque fratres; ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.

29. Et ait illi Abraham: Habent Moysen et prophetas! audiant illos!

30. At ille dixit: Non, pater Abraham! sed si quis ex mortuis ierit ad eos, poenitentiam agent.

31. Ait autem illi: Si Moysen et prophetas non audiunt; neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

CAP. XVII.

Quam sit grave scandalum. Fratri ad poenitentiam verso ignoscendum. De fidei efficacia. Decem leprosi mundantur. De Christi adventu illustri et inopinato.

1. Et ait ad discipulos suos: Impossibile[w] est, ut non veniant scandala; vae autem illi, per quem veniunt!

2. Utilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum ejus, et projiciatur in mare, quam ut scandalicet unum de pusillis istis.

3. Attendite vobis! Si[x] peccaverit in te frater tuus, increpa illum: et si poenitentiam egerit, dimitte illi.

4. Et si[y] septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens: Poenitet me; dimitte illi!

5. Et dixerunt Apostoli Domino: Adauge nobis fidem!

6. Dixit autem Dominus: Si habueritis[z] fidem, sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare, et transplantare in mare! et obediet vobis.

7. Quis autem vestrum habens servum arantem aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, recumbe!

8. Et non dicat ei: Para, quod coenem, et praecinge te, et ministra mihi, donec manducem et bibam, et post haec tu manducabis et bibes?

9. Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit, quae ei imperaverat?

10. Non puto! Sic et vos, cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus! quod debuimus facere, fecimus.

11. Et factum est, dum iret in Ierusalem, transibat per mediam Samariam et Galilaeam.

12. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe[a];

[w] Matth. 18, 6. sqq.

[x] Matth. 18, 15. sqq. [y] Matth. 18, 21. [z] Matth. 17, 19. [a] Levit. 13, 46.

Cap. XVI. 25. filii. 26. inter vos et nos. 28. in locum hunc tormentorum. XVII. 1. Et ad discipulos suos ait. 3. si peccaverit frater tuus (*omiss.* in te). 6. si haberetis; *ibid.* diceretis; *ibid.* et oboediret. 8. non dicet. 9. quae sibi (*sic*). 11. transiebat.

13. et levaverunt vocem, dicentes: Jesu praeceptor! miserere nostri.

14. Quos ut vidit dixit: Ite, ostendite[b] vos Sacerdotibus! Et factum est, dum irent, mundati sunt.

15. Unus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum;

16. et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens; et hic erat Samaritanus.

17. Respondens autem Jesus, dixit: Nonne decem mundati sunt? et novem ubi sunt?

18. Non est inventus, qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena?

19. Et ait illi: Surge, vade! quia fides tua te salvum fecit.

20. Interrogatus autem a Pharisaeis: Quando venit regnum Dei? respondens eis, dixit: Non[c] venit regnum Dei cum observatione;

21. neque dicent: Ecce, hic, aut ecce illic! Ecce, enim regnum Dei intra vos est!

22. Et ait ad discipulos suos: Venient dies, quando desideretis videre unum diem Filii hominis, et non videbitis.

23. Et dicent[d] vobis: Ecce, hic, et ecce illic! Nolite ire, neque sectemini.

24. Nam sicut fulgur coruscans de sub coelo, in ea, quae sub coelo sunt, fulget; ita erit Filius hominis in die sua.

25. Primum autem oportet illum multa pati, et reprobari a generatione hac.

26. Et sicut[e] factum est in diebus Noë, ita erit et in diebus Filii hominis.

27. Edebant, et bibebant; uxores ducebant, et dabantur ad nuptias, usque in diem, qua intravit Noë in arcam; et venit diluvium, et perdidit omnes.

28. Similiter sicut factum est in diebus Lot: Edebant, et bibebant; emebant, et vendebant; plantabant, et aedificabant;

29. qua die[f] autem exiit Lot a Sodomis, pluit ignem et sulphur de coelo, et omnes perdidit.

30. Secundum haec erit, qua die Filius hominis revelabitur.

31. In illa[g] hora, qui fuerit in tecto, et vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa; et qui in agro, similiter non redeat retro.

32. Memores estote uxoris[h] Lot!

33. Quicumque[i] quaesierit animam suam salvam facere, perdet illam; et quicumque perdiderit illam, vivificabit eam.

34. Dico vobis: In illa[k] nocte erunt duo in lecto uno; unus assumetur, et alter relinquetur;

35. duae erunt molentes in unum; una assumetur, et altera relinquetur; duo in agro; unus assumetur, et alter relinquetur.

36. Respondentes dicunt illi: Ubi, Domine?

37. Qui dixit illis: Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilae.

[b] Matth. 8, 4. [c] cf. Joh. 18, 36. 37. [d] Matth. 24, 25. sqq.

[e] Matth. 24, 37—39. [f] Genes. 19, 15. sqq. [g] Matth. 24, 16. sqq. [h] Genes. 19, 26. [i] Matth. 10, 39. [k] Matth. 24, 40. sqq.

Cap. XVII. 20. respondit eis et dixit. 24. fulgor. 26. in die filii hominis. 28. Loth. 34. illa nocte *ibid.* in tecto uno. 37. congregabuntur aquilae.

CAP. XVIII.

Parabolae de judice iniquo, de Pharisaeo et publicano. Jesus parvulos a se repelli vetat. Difficile est, divitem salvum fieri. Quid erit praemii iis, qui omnia ob causam et personam Christi relinquunt? Christi praedicitur sors extrema inter homines. Caecus prope Jericho visum recipit.

1. Dicebat autem et parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare[l], et non deficere.

2. dicens: Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, et hominem non reverebatur.

3. Vidua autem quaedam erat in civitate illa, et veniebat ad eum, dicens: Vindica me de adversario meo!

4. Et nolebat per multum tempus. Post haec autem dixit intra se: Etsi Deum non timeo, nec hominem revereor;

5. tamen, quia[m] molesta est mihi haec vidua, vindicabo illam, ne, in novissimo veniens, sugillet me.

6. Ait autem Dominus: Audite, quid judex iniquitatis dicit:

7. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, et patientiam habebit in illis?

8. Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. Veruntamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?

9. Dixit autem et ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur ceteros, parabolam istam:

10. Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent; unus Pharisaeus, et alter Publicanus.

[l] Rom. 12, 12. 1 Thess. 5, 17. [m] c. 11, 8.

11. Pharisaeus stans, haec apud se orabat: Deus! gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum: raptores, injusti, adulteri: velut etiam hic Publicanus.

12. Jejuno bis in sabbato; decimas[n] do omnium, quae possideo.

13. Et Publicanus a longe[o] stans, nolebat nec oculos ad coelum levare; sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus! propitius esto mihi peccatori.

14. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo; quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur.

15. [p] Afferebant autem ad illum et infantes, ut eos tangeret. Quod cum viderent discipuli, increpabant illos.

16. Jesus autem convocans illos, dixit: Sinite pueros venire ad me, et nolite vetare eos; talium est enim regnum Dei.

17. Amen dico vobis: Quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.

18. [q] Et interrogavit eum quidam princeps, dicens: Magister bone! quid faciens, vitam aeternam possidebo?

19. Dixit autem ei Jesus: Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus.

20. Mandata nosti: „Non occides! Non moechaberis! Non furtum facies! Non falsum testimonium dices! Honora patrem tuum et matrem!“[r]

[n] c. 11, 42. [o] Ps. 50, 19. [p] v. 15—17. Matth. 19, 13 — 15. Marc. 10, 13 — 16. [q] v. 18—30. Marc. 10, 17—31. Matth. 19, 16—30. [r] Exod. 20, 12. sqq.

Cap. XVIII. 16. eos vetare. 18. *Omiss.* dicens.

21. Qui ait: Haec omnia custodivi a juventute mea.

22. Quo audito, Jesus ait ei: Adhuc unum tibi deest; omnia, quaecumque habes, vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo; et veni, sequere me!

23. His ille auditis, contristatus est; quia dives erat valde.

24. Videns autem Jesus illum tristem factum, dixit: Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt!

25. Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei.

26. Et dixerunt, qui audiebant: Et quis potest salvus fieri?

27. Ait illis: Quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

28. Ait autem Petrus: Ecce, nos dimisimus omnia, et secuti sumus te!

29. Qui dixit eis: Amen dico vobis, nemo est, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei;

30. et non recipiat multo plura in hoc tempore, et in saeculo venturo vitam aeternam.

31. [s]Assumpsit autem Jesus duodecim, et ait illis: Ecce! ascendimus Ierosolymam, et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per prophetas de Filio hominis.

32. Tradetur enim Gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur,

33. et postquam[t] flagellaverint, occident eum, et tertia die resurget.

34. Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant, quae dicebantur.

35. [u]Factum est autem, cum appropinquaret Jericho, caecus quidam sedebat secus viam, mendicans.

36. Et cum audiret turbam praetereuntem, interrogabat, quid hoc esset.

37. Dixerunt autem ei, quod Jesus Nazarenus transiret.

38. Et clamavit, dicens: Jesu fili David, miserere mei!

39. Et qui praeibant, increpabant eum, ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat: Fili David, miserere mei!

40. Stans autem Jesus jussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogavit illum,

41. dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine! ut videam.

42. Et Jesus dixit illi: Respice, fides tua te salvum fecit!

43. Et confestim vidit, et sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

CAP. XIX.

De Zachaeo. De decem mnis decem servis traditis. Jesus super pullum asinae intrat Ierosolymam, quam praedicit evertendam. Ementes et vendentes e templo ejicit.

1. Et ingressus perambulabat Jericho.

2. Et ecce! vir nomine Zachae-

[s] v. 31—34. Matth. 20, 17—19. Marc. 10, 32—34. [t] Matth. 16, 21.

[u] v. 35—43. Matth. 20, 29—34. Marc. 10, 46—52.

Cap. XVIII. 24. illum Jesus. 33. die tertia. 39. clamavit.

us; et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives;

3. et quaerebat videre Jesum, quis esset; et non poterat prae turba, quia statura pusillus erat.

4. Et praecurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum; quia inde erat transiturus.

5. Et cum venisset ad locum, suspiciens Jesus vidit illum, et dixit ad eum: Zachaee! festinans descende; quia hodie in domo tua oportet me manere.

6. Et festinans descendit, et excepit illum gaudens.

7. Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes, quod ad hominem peccatorem divertisset.

8. Stans autem Zachaeus, dixit ad Dominum: Ecce! dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.

9. Ait Jesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est, eo quod et ipse filius[v] sit Abrahae.

10. Venit[w] enim Filius hominis quaerere et salvum facere, quod perierat.

11. [x]Haec illis audientibus, adjiciens dixit parabolam, eo quod esset prope Ierusalem; et quia existimarent, quod confestim regnum Dei manifestaretur.

12. Dixit ergo: Homo quidam nobilis abiit[y] in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti.

13. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiamini, dum venio.

[v] Gal. 3, 7. [w] Matth. 18, 11. [x] v. 11—27. Matth. 25, 14—30. Marc. 13, 34—36. [y] Marc. 16, 19.

14. Cives autem ejus oderant eum; et miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos!

15. Et factum est, ut rediret accepto regno; et jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret, quantum quisque negotiatus esset.

16. Venit autem primus dicens: Domine! mna tua decem mnas acquisivit.

17. Et ait illi: Euge, bone serve! quia[z] in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates.

18. Et alter venit dicens: Domine! mna tua fecit quinque mnas.

19. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitates!

20. Et alter venit dicens: Domine! ecce, mna tua, quam habui repositam in sudario;

21. Timui enim te, quia homo austerus es; tollis, quod non posuisti, et metis, quod non seminasti.

22. Dicit ei: De ore tuo te judico, serve nequam! Sciebas, quod ego homo austerus sum, tollens, quod non posui, et metens, quod non seminavi;

23. et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam?

24. Et astantibus dixit: Auferte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet.

25. Et dixerunt ei: Domine! habet decem mnas.

26. Dico autem vobis, quia[a]

[z] Luc. 16, 10. [a] Matth. 13, 12.

Cap. XIX. 2. hic erat princeps publicanorum. 4. videret illum. 5. Zachee. 13. dedit illis. 14. illum. 17. fidelis fuisti. 21. timui enim quia. 23. exigissem. 24. adstantibus.

omni habenti dabitur, et abundabit; ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferetur ab eo.

27. Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc; et interficite ante me.

28. Et his dictis, praecedebat ascendens Ierosolymam.

29. [b]Et factum est, cum appropinquasset ad Bethphage et Bethaniam[c], ad montem, qui vocatur Oliveti, misit duos discipulos suos,

30. dicens: Ite in castellum, quod contra est! in quod introeuntes, invenietis pullum asinae alligatum, cui nemo umquam hominum sedit; solvite illum, et adducite!

31. Et si quis vos interrogaverit: Quare solvitis? sic dicetis ei: Quia Dominus operam ejus desiderat.

32. Abierunt autem, qui missi erant; et invenerunt, sicut dixit illis, stantem pullum.

33. Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos: Quid solvitis pullum?

34. At illi dixerunt: Quia Dominus eum necessarium habet.

35. Et duxerunt illum ad Jesum. Et jactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Jesum.

36. Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via.

37. Et cum appropinquaret jam ad descensum montis Oliveti, coeperunt omnes turbae discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant, virtutibus,

38. dicentes: Benedictus, qui venit Rex in nomine Domini! pax in coelo, et gloria in excelsis!

39. Et quidam Pharisaeorum de turbis, dixerunt ad illum: Magister! increpa discipulos tuos.

40. Quibus ipse ait: Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.

41. Et ut appropinquavit, videns civitatem, flevit super illam, dicens:

42. Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi! nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

43. Quia venient dies in te; et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique,

44. et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt; et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae.

45. [d]Et ingressus in templum, coepit ejicere vendentes in illo, et ementes,

46. dicens illis: Scriptum est: „Quia domus mea domus oratio„nis est;“[e] vos autem fecistis illam speluncam latronum!

47. Et erat docens quotidie in templo. Principes autem Sacerdotum, et Scribae, et principes plebis quaerebant illum perdere;

48. et non inveniebant, quid facerent illi; omnis enim populus suspensus erat, audiens illum.

[b] v. 29—44. Matth. 21, 1—11. Marc. 11, 1—10. Joh. 12, 12—15. [c] Joh. 12, 1.

[d] v. 45—48. Matth. 21, 12—15. Marc. 11, 15—18. [e] Jes. 56, 7. Jer. 7, 11.

Cap. XIX. 26. *Omiss.* et abundabit. 28. Hierosolyma. 29. Bethania. 31. opera ejus. 37. omnes turbae descendentium (*sic*) gaudentes. 44. ad terram (*omiss.* et); *ibid.* et filios qui in te sunt.

CAP. XX.

Dicit Christus de vi et indole baptismatis Joannis. Parabola de vinitoribus domini filium occidentibus. De tributo Caesari dando, et de resurrectione. Cavendum est a scribis ambitiosis.

1. [f]Et factum est in una dierum, docente illo populum in templo, et evangelizante, convenerunt principes Sacerdotum, et Scribae cum Senioribus,

2. et ajunt, dicentes ad illum: Dic nobis, in qua potestate haec facis? aut: Quis est, qui dedit tibi hanc potestatem?

3. Respondens autem Jesus, dixit ad illos: Interrogabo vos et ego unum verbum! Respondete mihi:

4. Baptismus Joannis de coelo erat? an ex hominibus?

5. At illi cogitabant intra se, dicentes: Quia si dixerimus: De coelo! dicet: Quare ergo non credidistis illi?

6. Si autem dixerimus: Ex hominibus! plebs universa lapidabit nos; certi[g] sunt enim, Joannem prophetam esse.

7. Et responderunt, se nescire, unde esset.

8. Et Jesus ait illis: Neque ego dico vobis, in qua potestate haec facio.

9. [h]Coepit autem dicere ad plebem parabolam hanc: Homo plantavit vineam et locavit eam colonis; et ipse peregre fuit multis temporibus.

10. Et in tempore misit ad cultores servum, ut de fructu vineae darent illi. Qui caesum dimiserunt eum inanem.

11. Et addidit alterum servum mittere. Illi autem hunc quoque caedentes et afficientes contumelia, dimiserunt inanem.

12. Et addidit tertium mittere; qui et illum vulnerantes ejecerunt.

13. Dixit autem dominus vineae: Quid faciam? mittam filium meum dilectum! forsitan, cum hunc viderint, verebuntur.

14. Quem cum vidissent coloni, cogitaverunt intra se, dicentes: Hic est haeres, occidamus illum, ut nostra fiat haereditas!

15. Et ejectum illum extra vineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus vineae?

16. Veniet, et perdet colonos istos, et dabit vineam aliis. Quo audito, dixerunt illi: Absit!

17. Ille autem aspiciens eos ait: Quid est ergo hoc, quod scriptum est: „Lapidem, quem „reprobaverunt aedificantes, hic „factus est in caput anguli?“[i]

18. Omnis, qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur; super quem autem ceciderit, comminuet illum.

19. Et quaerebant principes Sacerdotum, et Scribae mittere in illum manus illa hora; et timuerunt populum; cognoverunt enim, quod ad ipsos dixerit similitudinem hanc.

20. [k]Et observantes miserunt insidiatores, qui se justos simularent, ut caperent eum in sermone, ut traderent illum principatui et potestati praesidis.

[f] v. 1—8. Matth. 21, 23—32. Marc. 11, 27—33. [g] Matth. 14, 5. [h] v. 9—19. Matth. 21, 33—46. Marc. 12, 2—12.

[i] Ps. 117, 22. [k] v. 20—40. Matth. 22, 15—33. Marc. 12, 13—27.

Cap. XX. 3. respondens autem dixit. 4. baptismum. 5. inter se. *ibid.* ei. 14. cogitaverunt in se; *ibid.* heres. 18. supra illum lapidem. 19. istam.

21. Et interrogaverunt eum, dicentes: Magister! scimus, quia recte dicis et doces; et non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces;
22. licet nobis tributum dare Caesari? an non?
23. Considerans autem dolum illorum, dixit ad eos: Quid me tentatis?
24. Ostendite mihi denarium! cujus habet imaginem et inscriptionem? Respondentes dixerunt ei: Caesaris!
25. Et ait illis: Reddite ergo, quae sunt Caesaris, Caesari; et quae sunt Dei, Deo!
26. Et non potuerunt verbum ejus reprehendere coram plebe; et mirati in responso ejus, tacuerunt.
27. Accesserunt autem quidam Sadducaeorum, qui negant[l] esse resurrectionem, et interrogaverunt eum,
28. dicentes: Magister! Moyses scripsit nobis: „Si frater alicujus mortuus fuerit habens „uxorem, et hic sine liberis „fuerit, ut accipiat eam frater „ejus uxorem, et suscitet semen „fratri suo."[m]
29. Septem ergo fratres erant; et primus accepit uxorem, et mortuus est sine filiis.
30. Et sequens accepit illam, et ipse mortuus est sine filio.
31. Et tertius accepit illam. Similiter et omnes septem, et non reliquerunt semen, et mortui sunt.
32. Novissime omnium mortua est et mulier.

[l] Act. 23, 8. [m] Deut. 25, 5.

33. In resurrectione ergo, cujus eorum erit uxor? siquidem septem habuerunt eam uxorem.
34. Et ait illis Jesus: Filii hujus saeculi nubunt, et traduntur ad nuptias;
35. illi vero, qui digni habebuntur saeculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores;
36. neque enim ultra mori poterunt; aequales enim Angelis sunt, et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis.
37. Quia vero resurgant mortui, et Moyses ostendit secus rubum, „sicut dicit Dominum, De„um Abraham, et Deum Isaac, et „Deum Jacob."[n]
38. Deus autem non est mortuorum, sed vivorum; omnes enim vivunt ei.
39. Respondentes autem quidam Scribarum, dixerunt ei: Magister! bene dixisti!
40. Et amplius non audebant eum quidquam interrogare.
41. [o]Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt Christum filium esse David?
42. Et ipse David dicit in libro Psalmorum: „Dixit Dominus Do„mino meo, sede a dextris meis,
43. „donec ponam inimicos „tuos scabellum pedum tuo„rum."[p]
44. David ergo Dominum illum vocat; et quomodo filius ejus est?
45. [q]Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis:

[n] Exod. 3, 6. [o] v. 41—44. Matth. 22, 41—45. Marc. 12, 35—37. [p] Ps. 109, 1. [q] v. 45—47. Marc. 12, 38—40. Matth. 23, 1. sqq.

Cap. XX. 21. interrogaverunt illum; *ibid.* in veritate viam Dei. 22. dare tributum. 23. dixit eos (*sic*). 24. dixerunt (*omiss.* ei). 25. quae Dei sunt. 26. in responsis. 28. sine filiis. 35. illi autem; *ibid.* ducunt. 39. dixerunt (*omiss.* ei). 41. David esse.

46. Attendite a Scribis! qui volunt ambulare in stolis, et amant salutationes in foro, et primas cathedras in synagogis, et primos discubitus in conviviis;

47. qui devorant domos viduarum, simulantes longam orationem. Hi accipient damnationem majorem.

CAP. XXI.

De vidua duo minuta offerente. Templi et urbis Ierusalem eversio, incolarum terrae Judaeae captivitas et dispersio praedicuntur. De signis judicium antecedentibus. Vigilandum et orandum est.

1. [r]Respiciens autem vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophylacium, divites.

2. Vidit autem et quamdam viduam pauperculam mittentem aera minuta duo.

3. Et dixit: Vere dico vobis, quia vidua haec pauper, plus quam omnes misit!

4. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei; haec autem ex eo, quod deest illi, omnem victum suum, quem habuit, misit.

5. [s]Et quibusdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus et donis ornatum esset, dixit:

6. Haec, quae videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.

7. Interrogaverunt autem illum, dicentes: Praeceptor! quando haec erunt, et quod signum, cum fieri incipient?

8. Qui dixit: Videte, ne seducamini! multi[t] enim venient in nomine meo, dicentes, quia Ego sum, et tempus appropinquavit; nolite ergo ire post eos!

9. Cum autem audieritis praelia et seditiones, nolite terreri; oportet primum haec fieri, sed nondum statim finis.

10. Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum;

11. et terrae motus magni erunt per loca, et pestilentiae, et fames terroresque de coelo, et signa magna erunt.

12. Sed ante haec omnia injicient vobis manus suas, et persequentur, tradentes in synagogas et custodias, trahentes ad reges et praesides, propter nomen meum.

13. Continget autem vobis in testimonium.

14. Ponite ergo in cordibus vestris, non praemeditari, quemadmodum respondeatis;

15. ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non[u] poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.

16. Trademini autem a parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis, et morte afficient ex vobis;

17. et eritis odio omnibus propter nomen meum;

18. et capillus[v] de capite vestro non peribit.

[r] v. 1—4. Marc. 12, 41—44. [s] v. 5—36. Matth. 24, 1—36. Marc. 13, 1—37.

[t] Act. 5, 36. sqq. 2 Thess. 2, 9. sqq. [u] Act. 6, 10. [v] Luc. 12, 7.

Cap. XXI. 4. ex abundantia, (*sed correctum est in*: abundanti). 5. lapidibus bonis. 8. ire post illos. 9. sed non statim. 11. terrae motus magni (*omiss.* et). 12. tradentes ad reges et ad praesides (*sic*). 15. cui non poterint.

19. In patientia vestra possidebitis animas vestras.
20. Cum autem videritis circumdari ab exercitu Ierusalem; tunc scitote! quia appropinquavit desolatio ejus.
21. Tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes; et qui in medio ejus, discedant; et qui in regionibus, non intrent in eam.
22. Quia dies ultionis hi sunt; ut impleantur omnia, quae scripta sunt.
23. Vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus! erit enim pressura magna super terram, et ira populo huic.
24. Et cadent in ore gladii; et captivi ducentur in omnes Gentes; et Ierusalem calcabitur a Gentibus; donec[w] impleantur tempora nationum.
25. Et erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura Gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum;
26. arescentibus hominibus prae timore, et exspectatione, quae supervenient universo orbi; nam virtutes coelorum movebuntur;
27. et tunc videbunt[x] Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate.
28. His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra! quoniam appropinquat redemptio vestra.
29. Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam, et omnes arbores!
30. Cum producunt jam ex se fructum, scitis, quoniam prope est aestas.

[w] Rom. 11, 25. [x] Matth. 26, 64.

31. Ita et vos cum videritis haec fieri, scitote, quoniam prope est regnum Dei!
32. Amen dico vobis, quia non[y] praeteribit generatio haec, donec omnia fiant.
33. Coelum et terra transibunt; verba autem mea non transibunt.
34. Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitae; et superveniat in vos repentina dies illa;
35. tamquam laqueus enim superveniet[z] in omnes, qui sedent super faciem omnis terrae.
36. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quae futura sunt, et stare ante Filium hominis.
37. [a]Erat autem diebus docens in templo; noctibus vero exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliveti.
38. Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.

CAP. XXII.

Christus a Juda venditus eucharistiam instituit, et ter se a Petro negatum fore praedicit. De Christo malis injuriisque vexatos narratio.

1. Appropinquabat autem dies festus[b] Azymorum, qui dicitur Pascha;
2. et quaerebant principes Sacerdotum, et Scribae, quomodo Jesum interficerent; timebant vero plebem.

[y] Luc. 9, 27. [z] 1 Thess. 5, 3. sqq. [a] v. 37.—22, 2. Matth. 26, 1—5. Marc. 14, 1—2. [b] Exod. 12.

Cap. XXI. 21. fugiant in montes; *ibid.* descedant (*sic*). 25. et in stellis. 33. transient. 36. fugere omnia (*omiss.* ista). XXII. 2. quomodo eum.

3. [c] Intravit autem satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim.
4. Et abiit, et locutus est cum principibus Sacerdotum, et magistratibus, quemadmodum illum traderet eis.
5. Et gavisi sunt, et pacti sunt pecuniam illi dare.
6. Et spopondit. Et quaerebat opportunitatem, ut traderet illum sine turbis.
7. [d] Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.
8. Et misit Petrum et Joannem, dicens: Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus.
9. At illi dixerunt: Ubi vis, paremus?
10. Et dixit ad eos: Ecce! introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquae portans; sequimini eum in domum, in quam intrat,
11. et dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi Magister: Ubi est diversorium, ubi Pascha cum discipulis meis manducem?
12. Et ipse ostendet vobis coenaculum magnum stratum, et ibi parate!
13. Euntes autem, invenerunt, sicut dixit illis, et paraverunt Pascha.
14. Et cum facta esset hora, discubuit, et duodecim Apostoli cum eo.
15. Et ait illis: Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar!
16. Dico enim vobis: Quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.
17. Et accepto calice, gratias egit, et dixit: Accipite, et dividite inter vos!
18. Dico enim vobis: quod non bibam de generatione vitis donec regnum Dei veniat.
19. Et accepto [e] pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem.
20. Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: Hic est calix, novum testamentum [f] in sanguine meo, qui pro vobis funditur.
21. Verumtamen ecce! manus tradentis me, mecum est in mensa.
22. Et quidem Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit; verumtamen vae homini illi, per quem tradetur!
23. Et ipsi coeperunt quaerere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset.
24. Facta est autem et contentio [g] inter eos, quis eorum videretur esse major.
25. Dixit autem eis: Reges Gentium dominantur eorum; et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.
26. Vos autem non sic! sed qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui praecessor est, sicut ministrator.
27. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.

[c] v. 3—6. Matth. 26, 14—16. Marc. 14, 10—21. Joh. 13, 2. 27. [d] v. 7—23. Matth. 26, 17—29. Marc. 14, 12—25.

[e] 1 Cor. 11, 23. sqq. [f] Exod. 24, 8. [g] Matth. 18, 1. sqq. 20, 21—25.

Cap. XXII. 3. qui vocatur Scarioth. 10. occurrit; *ibid.* in qua intrat. 11. dicet tibi (*sic*). 12. et ipse vobis. 22. vae illi homini. 26. junior.

28. Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis;
29. et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum,
30. ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeatis[h] super thronos judicantes duodecim tribus Israel.
31. [i] Ait autem Dominus: Simon, Simon! ecce, satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum;
32. ego autem rogavi[k] pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.
33. Qui dixit ei: Domine! tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire.
34. At ille dixit: Dico tibi, Petre! non cantabit hodie gallus, donec ter abneges, nosse me. Et dixit eis:
35. Quando[l] misi vos sine sacculo, et pera, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?
36. At illi dixerunt: Nihil! Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat! similiter et peram; et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium!
37. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me: „Et cum „iniquis deputatus est."[m] Etenim ea, quae sunt de me, finem habent.
38. At illi dixerunt: Domine! ecce duo gladii hic. At ille dixit eis: Satis est!
39. Et egressus ibat secundum[n] consuetudinem in montem Olivarum. Secuti sunt autem illum et discipuli.
40. [o] Et cum pervenisset ad locum, dixit illis: Orate, ne intretis in tentationem!
41. Et ipse avulsus est ab eis, quantum jactus est lapidis; et positis genibus orabat,
42. dicens: Pater! si vis, transfer calicem[p] istum a me; veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat!
43. Apparuit autem illi Angelus de coelo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat.
44. Et factus est sudor ejus, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.
45. Et cum surrexisset ab oratione, et venisset ad discipulos suos, invenit eos dormientes prae tristitia,
46. et ait illis: Quid dormitis? surgite, orate! ne intretis in tentationem.
47. [q] Adhuc eo loquente, ecce turba! et qui vocabatur Judas, unus de duodecim, antecedebat eos; et appropinquavit Jesu, ut oscularetur eum.
48. Jesus autem dixit illi: Juda! osculo Filium hominis tradis?
49. Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine! si percutimus in gladio?
50. Et percussit unus ex illis servum principis Sacerdotum, et amputavit auriculam ejus dexteram.

[h] Matth. 19, 28. [i] v. 31—34. Matth. 26, 30—35. [k] Joh. 17, 11. 15. [l] Luc. 9, 2. sqq. [m] Jes. 53, 12.

[n] Luc. 21, 37. [o] v. 40—46. Matth. 26, 36—46. Marc. 14, 32—42. [p] Matth. 20, 22. [q] v. 47—53. Matth. 26, 47—56. Marc. 14, 43—52. Joh. 18, 2—11.

Cap. XXII. 30. in regno (*omiss.* meo). 35. calciamentis. 37. et quod cum injustis. 38. ecce gladii duo hic. 43. Et factus est in agonia et prolixius orabat. 48. dixit ei.

51. Respondens autem Jesus, ait: Sinite usque huc! Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum.

52. Dixit autem Jesus ad eos, qui venerant ad se, principes Sacerdotum, et magistratus templi, et Seniores: Quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus?

53. Cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me; sed haec est hora vestra, et potestas tenebrarum.

54. [r] Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis Sacerdotum; Petrus vero sequebatur a longe.

55. Accenso autem igne in medio atrii, et circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum.

56. [s] Quem cum vidisset ancilla quaedam sedentem ad lumen, et eum fuisset intuita, dixit: Et hic cum illo erat!

57. At ille negavit eum, dicens: Mulier, non novi illum!

58. Et post pusillum alius videns eum, dixit: Et tu de illis es! Petrus vero ait: O homo! non sum.

59. Et intervallo facto quasi horae unius, alius quidam affirmabat, dicens: Vere et hic cum illo erat! nam et Galilaeus est.

60. Et ait Petrus: Homo! nescio, quid dicis. Et continuo adhuc illo loquente, cantavit gallus.

61. Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi [t] Domini, sicut dixerat: Quia prius quam gallus cantet, ter me negabis;

[r] v. 54. sq. Matth. 26, 57. sqq. Marc. 14, 53. sqq. Joh. 18, 12—14. 25. [s] v. 56—62. Matth. 26, 69—75. Marc. 14, 66—72. Joh. 18, 15—18. 25—27. [t] cf. v. 34.

62. et egressus foras Petrus, flevit amare.

63. Et viri, qui tenebant illum, illudebant ei, caedentes.

64. Et velaverunt eum, et percutiebant faciem ejus; et interrogabant eum, dicentes: Prophetiza! quis est, qui te percussit?

65. Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.

66. Et ut [u] factus est dies, convenerunt Seniores plebis, et principes Sacerdotum, et Scribae, et duxerunt illum in concilium suum, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis!

67. Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi;

68. si autem et interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.

69. Ex hoc autem erit [v] Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei.

70. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum!

71. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audivimus de ore ejus.

CAP. XXIII.

Christi sors adversa et indigna.

1. [w] Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum.

2. Coeperunt autem illum accusare dicentes: Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem [x] tributa dare Caesari, et dicentem se Christum regem esse.

[u] Matth. 27, 1. Marc. 15, 1. [v] Matth. 26, 64. [w] v. 1—25. Matth. 27, 11—31. Marc. 15, 2—20. Joh. 18, 33—19, 1—16. [x] cf. c. 20, 25.

Cap. XXII. 55. igni in medio atrio. 61. sicut dixit. 63. tenebant eum. 67. creditis.

3. Pilatus autem interrogavit eum, dicens: Tu es rex Judaeorum? At ille respondens ait: Tu dicis!

4. Ait autem Pilatus ad principes Sacerdotum et turbas: Nihil invenio causae in hoc homine.

5. At illi invalescebant, dicentes: Commovet populum docens per universam Judaeam, incipiens a Galilaea usque huc.

6. Pilatus autem audiens Galilaeam, interrogavit, si homo Galilaeus esset.

7. Et ut cognovit, quod de Herodis [y] potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Ierosolymis erat illis diebus.

8. Herodes autem viso Jesu gavisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.

9. Interrogabat autem eum multis sermonibus; at ipse nihil illi respondebat.

10. Stabant autem principes Sacerdotum et Scribae constanter accusantes eum.

11. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, et illusit indutum veste alba, et remisit ad Pilatum.

12. Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die; nam antea inimici erant ad invicem.

13. Pilatus autem convocatis principibus Sacerdotum, et magistratibus, et plebe,

14. dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, et ecce! ego coram vobis interrogans, nullam causam inveni in homine isto ex his, in quibus eum accusatis.

15. Sed neque Herodes; nam remisi vos ad illum, et ecce! nihil dignum morte actum est ei;

16. emendatum ergo illum dimittam.

17. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, unum.

18. Exclamavit autem simul universa turba, dicens: Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam!

19. Qui erat propter seditionem quamdam factam in civitate et homicidium, missus in carcerem.

20. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Jesum.

21. At illi succlamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum!

22. Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis invenio in eo; corripiam ergo illum, et dimittam.

23. At illi instabant vocibus magnis postulantes, ut crucifigeretur; et invalescebant voces eorum.

24. Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum.

25. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant; Jesum vero tradidit voluntati eorum.

26. [z] Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem, venientem de villa, et imposuerunt illi crucem portare post Jesum.

[y] cf. c. 3, 1.

[z] v. 26—56. Matth. 27, 32—61. Marc. 15, 21—27. Joh. 19, 17—42.

Cap. XXIII. 5. et incipiens. 7. remisit ad eum ad Herodem (*sic*). 8. de illo. 9. illum. 14. optulistis. 18. Barabban. 19. seditionem quondam factam. 21. crucifige illum.

27. Sequebatur autem illum multa turba populi et mulierum, quae plangebant, et lamentabantur eum.

28. Conversus autem ad illas Jesus, dixit: Filiae Ierusalem! nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros!

29. Quoniam ecce! venient dies, in quibus dicent: Beatae steriles, et ventres, qui non genuerunt, et ubera, quae non lactaverunt.

30. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos! et collibus: Operite nos!

31. Quia[a] si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet?

32. Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, ut interficerentur.

33. Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariae, ibi crucifixerunt eum; et latrones, unum a dextris, et alterum a sinistris.

34. Jesus autem dicebat: Pater, dimitte illis! non enim[b] sciunt, quid faciunt. Dividentes vero vestimenta ejus, miserunt sortes.

35. Et stabat populus spectans, et deridebant eum principes cum eis, dicentes: Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus!

36. Illudebant autem ei et milites accedentes, et acetum offerentes ei,

37. et dicentes: Si tu es rex Judaeorum, salvum te fac!

38. Erat autem et superscriptio scripta super eum litteris Graecis, et Latinis, et Hebraicis: Hic est Rex Judaeorum.

39. Unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac temet ipsum et nos!

40. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es!

41. Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus; hic vero nihil mali gessit.

42. Et dicebat ad Jesum: Domine! memento mei, cum veneris in regnum tuum.

43. Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso!

44. Erat autem fere hora sexta, et tenebrae factae sunt in universam terram usque in horam nonam.

45. Et obscuratus est sol; et velum[c] templi scissum est medium.

46. Et clamans voce magna Jesus, ait: Pater[d], in manus tuas commendo spiritum meum! Et haec dicens, exspiravit.

47. Videns autem Centurio, quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: Vere hic homo justus erat!

48. Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant, quae fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.

49. Stabant autem omnes noti ejus a longe; et mulieres, quae secutae eum erant a Galilaea, haec videntes.

[a] 1 Petr. 4, 17. [b] Act. 3, 17.

[c] Exod. 26, 31—33. Hebr. 9, 3. sqq.
[d] Ps. 30, 6.

Cap. XXIII. 38. super illum. 38. hebreicis. 40. increpabat illum. 44. in universa terra. 49. erant eum.

50. Et ecce! vir nomine Joseph, qui erat decurio, vir bonus et justus;

51. hic non consenserat consilio et actibus eorum, ab Arimathaea civitate Judaeae, qui exspectabat et ipse regnum Dei.

52. Hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu;

53. et depositum involvit sindone, et posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.

54. Et dies erat parasceves, et sabbatum illucescebat.

55. Subsecutae autem mulieres[e], quae cum eo venerant de Galilaea, viderunt monumentum, et quemadmodum positum erat corpus ejus.

56. Et revertentes paraverunt aromata, et unguenta; et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum[f].

CAP. XXIV.

Christi resurrectio, iterata praesentia in terris, adscensus in loca coelestia.

1. [g]Una autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quae paraverant, aromata.

2. Et invenerunt lapidem revolutum a monumento.

3. Et ingressae non invenerunt corpus Domini Jesu.

4. Et factum est, dum mente consternatae essent de isto, ecce! duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti.

5. Cum timerent autem, et declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quaeritis viventem cum mortuis?

6. Non est hic, sed surrexit! recordamini, qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilaea esset,

7. dicens: Quia[h] oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et die tertia resurgere.

8. Et recordatae sunt verborum ejus;

9. et regressae a monumento nunciaverunt haec omnia illis undecim, et ceteris omnibus.

10. Erat autem Maria Magdalene, et Joanna, et Maria Jacobi, et ceterae, quae cum eis erant, quae dicebant ad Apostolos haec.

11. Et visa sunt ante illos, sicut deliramentum, verba ista; et non crediderunt illis.

12. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum; et procumbens vidit linteamina sola posita, et abiit secum mirans, quod factum fuerat.

13. Et ecce[i]! duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem, nomine Emmaus.

14. Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus, quae acciderant.

15. Et factum est, dum fabularentur, et secum quaererent; et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis;

16. oculi autem illorum tenebantur[k], ne eum agnoscerent.

17. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad in-

[e] Luc. 8, 2. sq. [f] Exod 20, 10. [g] v. 1—12. Matth. 28, 1—15. Marc. 16, 1—14. Joh. 20, 1—18.

[h] Luc. 9, 22. [i] Marc. 16, 12. [k] Joh. 20, 14. 21, 4.

Cap. XXIII. 55. cum ipso. 56. ungenta. XXIV. 6. resurrexit. 12. linteamina posita (*omiss.* sola). 16. oculi autem eorum.

vicem ambulantes, et estis tristes?

18. Et respondens unus, cui nomen Cleophas[l], dixit ei: Tu solus peregrinus es in Ierusalem, et non cognovisti, quae facta sunt in illa his diebus?

19. Quibus ille dixit: Quae? Et dixerunt: De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo;

20. et quomodo eum tradiderunt summi Sacerdotes et Principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum.

21. Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel; et nunc super haec omnia, tertia dies est hodie, quod haec facta sunt.

22. Sed et mulieres quaedam ex nostris terruerunt nos, quae ante lucem fuerunt ad monumentum;

23. et, non invento corpore ejus, venerunt, dicentes, se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt, eum vivere.

24. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, et ita invenerunt, sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non invenerunt.

25. Et ipse dixit ad eos: O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt Prophetae!

26. Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?

27. Et incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quae de ipso erant.

28. Et appropinquaverunt castello, quo ibant; et ipse se finxit longius ire.

29. Et coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies! Et intravit cum illis.

30. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit[m] panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis.

31. Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum; et ipse evanuit ex oculis eorum.

32. Et dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas?

33. Et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem; et invenerunt congregatos undecim, et eos, qui cum illis erant,

34. dicentes: Quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni.

35. Et ipsi narrabant, quae gesta erant in via, et quomodo cognoverunt eum in fractione panis.

36. Dum autem haec loquuntur, stetit[n] Jesus in medio eorum, et dicit eis: Pax vobis! ego sum; nolite timere!

37. Conturbati vero, et conterriti, existimabant se spiritum videre.

38. Et dixit eis: Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra?

39. Videte manus meas, et pedes, quia ego ipse sum; palpate,

[l] Joh. 19, 25.

[m] c. 22, 19. [n] Marc. 16, 14. Joh. 20, 19. sqq.

Cap. XXIV. 20. summi sacerdotum. 21. tertia dies hodie. 33. qui cum ipsis. 36. locuntur; *ibid.* Jesus stetit in medio 39. ipse ego.

et videte! quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.

40. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes.

41. Adhuc autem illis non credentibus, et mirantibus prae gaudio, dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur?

42. At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis.

43. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias, dedit eis.

44. Et dixit ad eos: Haec sunt verba, quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum; quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me.

45. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.

46. Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die,

47. et praedicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma.

48. Vos[o] autem testes estis horum.

49. Et ego mitto promissum[p] Patris mei in vos. Vos autem sedete in civitate[q], quoadusque induamini virtute ex alto.

50. Eduxit autem eos foras in Bethaniam, et elevatis manibus suis benedixit eis.

51. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur[r] in coelum.

52. Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno.

53. Et erant[s] semper in templo, laudantes et benedicentes Deum. Amen.

[o] 1 Joh. 1, 1. [p] Joh. 14, 16. [q] Act. 1, 4. 2, 1. sqq. [r] Marc. 16, 19. Act. 1, 9. [s] Act. 1, 14. 2, 46. 5, 42.

Cap. XXIV. 44. *Omiss.* ad vos. 48. estis testes. 49. in vo (*sic*, *deest* s); *ibid.* virtutem.

SANCTUM
JESU CHRISTI
EVANGELIUM
SECUNDUM
JOANNEM.

CAP. I.

Logologia de Christo. De Joannis Baptistae testimonio et de primis discipulis ad Jesum vocatis.

1. In principio[a] erat Verbum, et Verbum[b] erat apud[c] Deum, et Deus[d] erat Verbum.

2. Hoc erat in principio apud[e] Deum.

3. Omnia[f] per ipsum facta sunt; et sine ipso factum est nihil, quod factum est.

4. In ipso vita[g] erat, et vita erat lux[h] hominum.

5. Et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non[i] comprehenderunt.

6. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes.

7. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.

[a] Genes. 1, 1. [b] cf. v. 14. [c] c. 17, 5. [d] 1 Joh. 5, 20. [e] c. 3, 13. [f] Col. 1, 16. sqq. [g] c. 5, 26. [h] c. 8, 12. [i] v. 10. 12. 3, 19.

8. Non erat ille lux, sed ut testimonium[k] perhiberet de lumine.

9. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

10. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.

11. In propria venit, et sui eum non receperunt.

12. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios[l] Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus;

13. qui non ex sanguinibus[m], neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo[n] nati sunt.

14. Et Verbum caro[o] factum est, et habitavit in nobis; et vidimus gloriam ejus[p], gloriam quasi unigeniti[q] a patre, plenum gratiae et veritatis.

[k] v. 19. sqq. [l] Rom. 8, 15. sqq. [m] Matth. 3, 9. [n] 1 Petr. 1, 23. [o] Luc. 2, 7. [p] cf. c. 2, 11. 11, 40. [q] Matth. 3, 17.

Cap. I. 9. inluminat; *ibid.* venientem in mundum (*omiss.* hunc). 12. dedit illis.

15. Joannes testimonium perhibet de ipso, et clamat, dicens: Hic erat, quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est; quia prior[r] me erat.

16. Et de plenitudine[s] ejus nos omnes accepimus, et gratiam[t] pro gratia.

17. Quia lex per Moysen data est, gratia[u] et veritas per Jesum Christum facta est.

18. Deum[v] nemo vidit umquam; unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit.

19. Et hoc est testimonium Joannis, quando miserunt Judaei ab Ierosolymis Sacerdotes et Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es?

20. Et confessus est, et non negavit; et confessus est: Quia non sum ego Christus.

21. Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta[w] es tu? Et respondit: Non.

22. Dixerunt ergo ei: Quis es, ut responsum demus his, qui miserunt nos? quid dicis de te ipso?

23. Ait: „Ego vox clamantis „in deserto; dirigite viam Domini,"[x] sicut dixit Isaias Propheta.

24. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisaeis.

25. Et interrogaverunt eum, et dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?

26. Respondit eis Joannes, dicens: Ego baptizo in aqua; medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.

27. Ipse est, qui post me venturus est, qui ante[y] me factus est; cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti.

28. Haec in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.

29. Altera die vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait: Ecce, agnus[z] Dei, ecce qui tollit[a] peccatum mundi!

30. Hic est, de quo dixi[b]: Post me venit vir, qui ante me factus est; quia prior me erat.

31. Et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.

32. Et testimonium perhibuit Joannes, dicens: Quia vidi[c] Spiritum descendentem quasi columbam de coelo, et mansit super eum.

33. Et ego nesciebam eum; sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto[d].

34. Et ego vidi; et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.

35. Altera die iterum stabat Joannes, et ex discipulis ejus duo.

36. Et respiciens Jesum am-

[r] cf. v. 30. 8, 58. [s] Col. 2, 9. [t] Eph. 1, 3. [u] Gal. 3, 13. 14. [v] Matth. 11, 27. Joh. 6, 46. 1 Joh. 4, 12. [w] Matth. 16, 14. [x] Jes. 40, 3.

[y] cf. v. 15. [z] 1 Petr. 1, 18. sq. Apoc. 6, 16. [a] 1 Joh. 3, 5. [b] cf. v. 15. [c] Matth. 3, 16. [d] Matth. 3, 11.

Cap. I. 15. quem dixi vobis. 16. gratiam (*omiss.* et). 17. Mosen (*ita semper*). 19. et hoc testimonium (*omiss.* est). 25. Helias. 26. medius autem vestrum (*sed* vestrum *alio atramento suprascriptum*); *ibid.* non scitis. 27. calciamenti. 29. videt; *ibid.* qui tollit (*omiss.* ecce). 31. manifestaretur.

bulantem, dicit: Ecce, agnus[e] Dei!

37. Et audierunt eum duo discipuli loquentum, et secuti sunt Jesum.

38. Conversus autem Jesus, et videns eos sequentes se, dicit eis: Quid quaeritis? Qui dixerunt ei: Rabbi! (quod dicitur interpretatum Magister) ubi habitas?

39. Dicit eis: Venite, et videte! Venerunt, et viderunt, ubi maneret, et apud eum manserunt die illo; hora autem erat quasi decima.

40. Erat autem Andreas, frater[f] Simonis Petri, unus ex duobus, qui audierant a Joanne, et secuti fuerant eum.

41. Invenit hic primum fratrem suum Simonem, et dicit ei: Invenimus Messiam (quod est interpretatum Christus).

42. Et adduxit eum ad Jesum. Intuitus autem eum Jesus, dixit: Tu es Simon filius Jona! tu vocaberis[g] Cephas. Quod interpretatur Petrus.

43. In crastinum voluit exire in Galilaeam, et invenit Philippum. Et dicit ei Jesus: Sequere me!

44. Erat autem Philippus a Bethsaida, civitate Andreae et Petri.

45. Invenit Philippus Nathanaël, et dicit ei: Quem scripsit Moyses[h] in lege, et Prophetae[i], invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth.

46. Et dixit ei Nathanaël: A Nazareth[k] potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni, et vide!

47. Vidit Jesus Nathanaël venientem ad se, et dicit de eo: Ecce! vere Israelita, in quo dolus non est!

48. Dicit ei Nathanaël: Unde me nosti? Respondit Jesus, et dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.

49. Respondit ei Nathanaël, et ait: Rabbi! tu es Filius Dei, tu es rex Israel!

50. Respondit Jesus, et dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis; majus his videbis.

51. Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis coelum apertum, et Angelos Dei ascendentes, et descendentes supra Filium hominis.

CAP. II.

Aqua in merum mutatur. Negotiatores templo pelluntur. Multi propter mire facta credunt in Jesum.

1. Et die tertia[l] nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae; et erat mater Jesu ibi.

2. Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus ad nuptias.

3. Et deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum: Vinum non habent!

4. Et dicit ei Jesus: Quid mihi et tibi est, mulier! nondum venit hora mea.

5. Dicit mater ejus ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite!

6. Erant autem ibi lapideae hydriae sex positae secundum[m]

[e] cf. v. 29. [f] Matth. 4, 18. [g] Matth. 16, 18. [h] Deut. 18, 15. sqq. [i] Luc. 24, 27. [k] Joh. 7, 41.

[l] cf. c. 1, 43. [m] Marc. 7, 3.

Cap. I. 40. ab Johanne. 42. Johanna. 43. dicit ei (*omiss.* Jesus). 45. Nathanahel (*ita semper*). 47. Israhelita (*semper scribitur* Israhel). II. 1. die tertio. 2. autem ibi.

purificationem Judaeorum, capientes singulae metretas binas vel ternas.

7. Dicit eis Jesus: Implete hydrias aqua! Et impleverunt eas usque ad summum.

8. Et dicit eis Jesus: Haurite nunc, et ferte architriclino! Et tulerunt.

9. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et non sciebat, unde esset, (ministri autem sciebant, qui hauserant aquam) vocat sponsum architriclinus,

10. et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit; et cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est; tu autem servasti bonum vinum usque adhuc!

11. Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilaeae; et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus.

12. Post hoc descendit Capharnaum ipse, et mater ejus, et fratres[n] ejus, et discipuli ejus; et ibi manserunt non multis diebus.

13. Et prope erat Pascha Judaeorum, et ascendit Jesus Ierosolymam;

14. et invenit in templo vendentes boves, et oves, et columbas, et nummularios sedentes.

15. [o]Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque, et boves, et nummulariorum effudit aes, et mensas subvertit.

16. Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, et nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.

17. Recordati sunt vero discipuli ejus, quia scriptum est: „Zelus domus tuae comedit me.“[p]

18. Responderunt ergo Judaei, et dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia haec facis?

19. Respondit Jesus, et dixit eis: Solvite[q] templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud!

20. Dixerunt ergo Judaei: Quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud?

21. Ille autem dicebat de templo[r] corporis sui.

22. Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quia hoc dicebat, et crediderunt scripturae, et sermoni, quem dixit Jesus.

23. Cum autem esset Ierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine ejus; videntes signa ejus, quae faciebat.

24. Ipse autem Jesus non credebat semet ipsum eis, eo quod ipse nosset omnes,

25. et quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat, quid esset in homine.

CAP. III.

Nicodemum nocte Jesus docet. Joannis Baptistae testimonium de Christo.

1. Erat autem homo ex Pharisaeis, Nicodemus[s] nomine, princeps Judaeorum.

[n] Matth. 13, 55. [o] v. 15—18. Matth. 21, 12. 13. Marc. 11, 15—18. Luc. 19, 45—48.

[p] Ps. 68, 10. [q] Matth. 16, 21. [r] 1 Cor. 6, 19. [s] c. 7, 50. 19, 39.

Cap. II. 8. archetriclino (*ita ter*). 10. tu servasti (*omiss.* autem). 13. properabat; *ibid.* Hierosolyma. 16. hinc (*omiss.* et). 17. Recordati vero sunt. 20. tribus diebus.

2. Hic venit ad Jesum nocte[t], et dixit ei: Rabbi! scimus, quia a Deo venisti Magister; nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.

3. Respondit Jesus, et dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.

4. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Numquid potest in ventrem matris suae iterato introire, et renasci?

5. Respondit Jesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus[u] fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

6. Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est.

7. Non mireris, quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuo.

8. Spiritus ubi vult spirat; et vocem ejus audis, sed nescis, unde veniat, aut quo vadat; sic est omnis, qui natus est ex spiritu.

9. Respondit Nicodemus, et dixit ei: Quomodo possunt haec fieri?

10. Respondit Jesus, et dixit ei: Tu es magister in Israel, et haec ignoras?

11. Amen, amen dico tibi, quia, quod[v] scimus, loquimur, et quod vidimus, testamur; et testimonium nostrum non accipitis.

12. Si terrena dixi vobis, et non creditis; quomodo, si dixero vobis coelestia, credetis?

13. Et nemo ascendit[w] in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo.

14. Et sicut Moyses exaltavit[x] serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium hominis;

15. ut omnis, qui credit[y] in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.

16. Sic enim Deus dilexit[z] mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.

17. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet[a] mundum, sed ut salvetur[b] mundus per ipsum.

18. Qui credit in eum, non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus est; quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.

19. Hoc est autem judicium: quia[c] lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem; erant enim eorum mala opera.

20. Omnis enim, qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus;

21. qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.

22. Post haec venit Jesus, et discipuli ejus in terram Judaeam, et illic demorabatur cum eis, et baptizabat[d].

23. Erat autem et Joannes ba-

[t] cf. c. 12, 42. [u] Tit. 3, 5. Marc. 16, 16. Matth. 3, 11. [v] cf. v. 32. 8, 26.

[w] c. 1, 1. 14. 6, 38. 16, 28. [x] Num. 21, 9. [y] Rom. 3, 25. [z] Rom. 5, 8. 1 Joh. 4, 9. [a] c. 12, 47. [b] Matth. 18, 11. [c] c. 1, 4. [d] cf. c. 4, 2.

Cap. III. 2. ad eum. 4. cum senex sit; *ibid.* et nasci. 5. et spiritu (*omiss.* sancto). 8. non scis; *ibid.* et quo. 15. credit in ipso. 16. dilexit Deus. 21. ejus opera. 22. in Judaeam terram; *ibid.* morabatur.

ptizans in Aennon, juxta Salim; quia aquae multae erant illic, et veniebant, et baptizabantur.

24. Nondum enim missus fuerat Joannes in carcerem.

25. Facta est autem quaestio ex discipulis Joannis cum Judaeis de purificatione.

26. Et venerunt ad Joannem, et dixerunt ei: Rabbi! qui erat[e] tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce! hic baptizat, et omnes veniunt ad eum.

27. Respondit Joannes, et dixit: Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de coelo.

28. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim[f]: Non sum ego Christus; sed quia missus sum ante illum.

29. Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est.

30. Illum oportet crescere, me autem minui.

31. Qui desursum[g] venit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur. Qui de coelo venit, super omnes est.

32. Et quod vidit[h] et audivit, hoc testatur; et testimonium ejus nemo accipit.

33. Qui accepit ejus testimonium, signavit, quia Deus verax est.

34. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur; non enim[i] ad mensuram dat Deus spiritum.

35. Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus.

36. Qui credit in Filium, habet vitam aeternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

CAP. IV.

Narratio de femina Samaritide. Multi Samaritani animum addicunt Christo. Reguli filius sanatur.

1. Ut ergo cognovit Jesus, quia audierunt Pharisaei, quod Jesus[k] plures discipulos facit et baptizat, quam Joannes,

2. (quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus:)

3. reliquit Judaeam, et abiit iterum in Galilaeam.

4. Oportebat autem eum transire per Samariam.

5. Venit ergo in civitatem Samariae, quae dicitur Sichar, juxta praedium, quod[l] dedit Jacob Joseph filio suo.

6. Erat autem ibi fons Jacob. Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta.

7. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jesus: Da mihi bibere!

8. (Discipuli enim ejus abierant in civitatem, ut cibos emerent.)

9. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu, Judaeus cum sis, bibere a me poscis, quae

[e] cf. c. 1, 29. Matth. 3, 11. 14. [f] cf. c. 1, 20. [g] c. 1, 15. 30. [h] cf. v. 11.

[i] Col. 1, 19. [k] c. 3, 22. 26. [l] Genes. 48, 22. Jos. 24, 32.

Cap. III. 23. et adveniebant. 24. in carcerem Johannes. 25. Facta est ergo. 26. Jordanen. 27. ei fuerit. 28. ego non sum. 31. supra (*bis*). 33. accipit. 36. incredulus est (*omiss.* filio). IV. 1. quia (*pro* quod); *ibid.* baptizat magis (*sic*). 5. Sychar. 6. sic super.

sum mulier Samaritana? non
enim coutuntur Judaei Samari-
tanis.
10. Respondit Jesus, et dixit
ei: Si scires donum Dei, et quis
est, qui dicit tibi: Da mihi bibere!
tu forsitan petisses ab eo, et de-
disset tibi aquam vivam[m].
11. Dicit ei mulier: Domine!
neque in quo haurias habes, et
puteus altus est; unde ergo habes
aquam vivam?
12. Numquid tu major es patre
nostro Jacob, qui dedit nobis pu-
teum, et ipse ex eo bibit, et filii
ejus, et pecora ejus?
13. Respondit Jesus, et dixit
ei: Omnis, qui bibit ex aqua hac,
sitiet iterum; qui autem biberit
ex aqua, quam ego dabo ei, non
sitiet in aeternum;
14. sed aqua, quam ego dabo
ei, fiet in eo fons aquae salientis
in vitam aeternam.
15. Dicit ad eum mulier: Do-
mine! da mihi hanc aquam, ut
non sitiam, neque veniam huc
haurire.
16. Dicit ei Jesus: Vade, voca
virum tuum, et veni huc!
17. Respondit mulier, et dixit:
Non habeo virum. Dicit ei Je-
sus: Bene dixisti, quia non habeo
virum;
18. quinque enim viros habui-
sti; et nunc quem habes, non est
tuus vir; hoc vere dixisti.
19. Dicit ei mulier: Domine!
video, quia Propheta es tu.
20. Patres nostri in monte hoc
adoraverunt[n], et vos dicitis, quia
[o] Ierosolymis est locus, ubi ado-
rare oportet.
21. Dicit ei Jesus: Mulier! cre-
de mihi, quia venit hora, quando
neque in monte hoc, neque in
Ierosolymis adorabitis Patrem.
22. Vos adoratis[p], quod nesci-
tis; nos adoramus, quod scimus,
quia salus ex Judaeis est.
23. Sed venit hora, et nunc
est, quando veri adoratores ado-
rabunt Patrem in spiritu et veri-
tate. Nam et Pater tales quaerit,
qui adorent eum.
24. Spiritus est Deus; et eos,
qui adorant eum, in spiritu et ve-
ritate oportet adorare.
25. Dicit ei mulier: Scio, quia
Messias venit (qui dicitur Chri-
stus); cum ergo venerit ille, no-
bis annunciabit omnia.
26. Dicit ei Jesus: Ego sum,
qui loquor tecum.
27. Et continuo venerunt di-
scipuli ejus; et mirabantur, quia
cum muliere loquebatur. Nemo
tamen dixit: Quid quaeris, aut
quid loqueris cum ea?
28. Reliquit ergo hydriam su-
am mulier, et abiit in civitatem,
et dicit illis hominibus:
29. Venite, et videte hominem,
qui dixit mihi omnia, quaecum-
que feci; numquid ipse est Chri-
stus?
30. Exierunt ergo de civitate,
et veniebant ad eum.
31. Interea rogabant eum di-
scipuli, dicentes: Rabbi, man-
duca!
32. Ille autem dicit eis: Ego
cibum habeo manducare, quem
vos nescitis.
33. Dicebant ergo discipuli ad
invicem: Numquid aliquis attulit
ei manducare?
34. Dicit eis Jesus: Meus cibus

[m] c. 7, 38. [n] 4 Reg. 17, 26. sqq. [o] 3 Reg. 9, 3. Deut. 12, 13.
[p] 4 Reg. 17, 29.

Cap. IV. 12. ipse bibit (*omiss.* ex eo). 16. veni (*omiss.* huc). 20. in Hierosolymis. 30. exierunt de civitate (*omiss.* ergo). 32. non scitis.

est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.

35. Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit? Ecce, dico vobis: Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albae[q] sunt jam ad messem.

36. Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam aeternam; ut, et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit.

37. In hoc enim est verbum verum: quia alius est, qui seminat, et alius est, qui metit.

38. Ego misi vos metere, quod vos non laborastis; alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.

39. Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia, quaecumque feci.

40. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum, ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies,

41. et multo plures crediderunt in eum propter sermonem ejus.

42. Et mulieri dicebant: Quia jam non propter tuam loquelam credimus; ipsi enim audivimus et scimus, quia hic est vere Salvator mundi.

43. Post duos autem dies exiit inde, et abiit in Galilaeam.

44. Ipse enim Jesus testimonium perhibuit, quia[r] Propheta in sua patria honorem non habet.

45. Cum ergo venisset in Galilaeam, exceperunt eum Galilaei, cum omnia vidissent, quae fecerat Ierosolymis in die festo; et ipsi enim venerantad diem festum.

46. Venit ergo iterum in Cana Galilaeae, ubi[s] fecit aquam vinum. Et erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.

47. Hic cum audisset, quia Jesus adveniret a Judaea in Galilaeam, abiit ad eum, et rogabat eum, ut descenderet et sanaret filium ejus; incipiebat enim mori.

48. Dixit ergo Jesus ad eum: Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.

49. Dicit ad eum regulus: Domine! descende prius quam moriatur filius meus.

50. Dicit ei Jesus: Vade, filius tuus vivit! Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus, et ibat.

51. Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, et nunciaverunt dicentes, quia filius ejus viveret.

52. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris.

53. Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus: Filius tuus vivit; et credidit ipse et domus ejus tota.

54. Hoc iterum secundum[t] signum fecit Jesus, cum venisset a Judaea in Galilaeam.

CAP. V.

Aegrotus triginta octo annorum sanatur. Christus omnia cum Patre agit, judex constitutus. Huic Joannes, huic Prophetae testes locupletes sunt.

[q] Matth. 9, 37. [r] Matth. 13, 57. [s] c. 2, 9. [t] cf. c. 2, 11.

Cap. IV. 41. crediderunt (*omiss.* in eum). 42. loquellam; *ibid.* vere hic est. 45. exceperunt illum. 53. quod illa hora.

1. Post haec erat dies festus Judaeorum, et ascendit Jesus Ierosolymam.

2. Est autem Ierosolymis Probatica piscina, quae cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens.

3. In his jacebat multitudo magna languentium, coecorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquae motum.

4. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam; et movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquae, sanus fiebat, a quacumque detinebatur infirmitate.

5. Erat autem quidam homo ibi, triginta et octo annos habens in infirmitate sua.

6. Hunc cum vidisset Jesus jacentem, et cognovisset, quia jam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri?

7. Respondit ei languidus: Domine! hominem non habeo, ut, cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam; dum venio enim ego, alius ante me descendit.

8. Dicit ei Jesus: Surge, tolle grabatum tuum, et ambula!

9. Et statim sanus factus est homo ille; et sustulit grabatum suum, et ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo.

10. Dicebant ergo Judaei illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum est! non licet tibi tollere grabatum tuum!

11. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, et ambula!

12. Interrogaverunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, et ambula?

13. Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat, quis esset. Jesus enim declinavit a turba constituta in loco.

14. Postea invenit eum Jesus in templo, et dixit illi: Ecce, sanus factus es! jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

15. Abiit ille homo, et nunciavit Judaeis, quia Jesus esset, qui fecit eum sanum.

16. Propterea persequebantur Judaei Jesum, quia haec faciebat in sabbato.

17. Jesus autem respondit eis: Pater meus usque modo operatur, et ego operor.

18. Propterea ergo magis quaerebant eum Judaei interficere; quia[u] non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo. Respondit itaque Jesus, et dixit eis:

19. Amen, amen dico vobis: Non potest[v] Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit.

20. Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei, quae ipse facit; et majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini.

[u] c. 10, 31—33. Matth. 26, 63—66.
[v] c. 8, 28. sqq.

Cap. V. 1. Hierosolymis. 2. Hierosolymis super. 4. secundum tempus descendebat; *ibid.* et movebat aquam (*gravis varietas!*); *ibid.* qui ergo primus descendisset (*omiss.* in piscinam); *ibid.* post motum; *ibid.* a quocunque languore tenebatur. 5. triginta octo. 6. quia multum jam tempus habet. 9. homo (*omiss.* ille); *ibid.* grabattum (*ita semper*); *ibid.* in illo die 10. Dicebant (*omiss.* ergo). 11. fecit sanum.

21. Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat; sic et Filius, quos vult, vivificat.
22. Neque enim Pater judicat quemquam; sed omne judicium[w] dedit Filio;
23. ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem; qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.
24. Amen, amen dico vobis: Quia qui verbum meum audit, et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam, et in judicium non venit, sed transiit[x] a morte in vitam.
25. Amen, amen dico vobis: Quia venit hora, et nunc est[y], quando mortui audient vocem Filii Dei; et qui audierint, vivent.
26. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso; sic dedit et Filio habere vitam in semet ipso;
27. et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.
28. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei;
29. et procedent[z], qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.
30. Non possum ego a me ipso[a] facere quidquam; sicut audio, judico; et judicium meum justum est; quia non quaero voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.
31. Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum;
32. alius[b] est, qui testimonium perhibet de me; et scio, quia verum est testimonium, quod perhibet de me.
33. Vos misistis[c] ad Joannem; et testimonium perhibuit veritati.
34. Ego autem non ab homine testimonium accipio; sed haec dico, ut vos salvi sitis.
35. Ille erat lucerna ardens et lucens; vos autem voluistis ad horam exultare in luce ejus.
36. Ego autem habeo testimonium majus Joanne; opera enim[d], quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea; ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me;
37. et qui misit me Pater, ipse testimonium[e] perhibuit de me; neque vocem ejus umquam audistis, neque speciem ejus vidistis.
38. Et verbum ejus non habetis in vobis manens; quia quem misit ille, huic vos non creditis.
39. Scrutamini Scripturas! quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere; et illae sunt, quae testimonium perhibent de me;
40. et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.
41. Claritatem ab hominibus non accipio;
42. sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.
43. Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me; si alius[f] venerit in nomine suo, illum accipietis.
44. Quomodo vos potestis cre-

[w] Matth. 25, 31. [x] c. 8, 51. [y] Luc. 7, 14. sqq. Joh. 11, 43. sqq. [z] Matth. 25, 46. [a] cf. v. 19.

[b] Matth. 3, 17. Joh. 8, 18. [c] cf. c. 1, 19. sqq. [d] cf. c. 10, 25. 11, 42. 14, 11. [e] cf. v. 36. 39. [f] Matth. 24, 5.

Cap. V. 22. judicium omne. 24. veniet; *ibid.* transiet. 26. vitam habere. 27. ei et judicium facere. 28. vocem ejus. 30. qui me misit. 31. de me (*omiss.* ipso). 35. exultare ad horam. 36. me misit.

dere, qui gloriam[g] ab invicem accipitis; et gloriam, quae a solo Deo est, non quaeritis.

45. Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem; est, qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis.

46. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me[h] enim ille scripsit.

47. Si autem illius litteris non creditis; quomodo verbis meis credetis?

CAP. VI.

Quinque panes et duo pisces modo admirabili augentur. Christus panem vitae se vocat, carnem suam verum pabulum, sanguinem suum verum potum.

1. [i]Post haec abiit Jesus trans mare Galilaeae, quod est Tiberiadis:

2. Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quae faciebat super his, qui infirmabantur.

3. Subiit ergo in montem Jesus; et ibi sedebat cum discipulis suis.

4. Erat autem proximum Pascha, dies festus Judaeorum.

5. Cum sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi?

6. Hoc autem dicebat tentans eum; ipse enim sciebat, quid esset facturus.

7. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.

8. Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri:

9. Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces; sed haec quid sunt inter tantos?

10. Dixit ergo Jesus: Facite homines discumbere! Erat autem foenum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia.

11. Accepit ergo Jesus panes; et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus; similiter et ex piscibus, quantum volebant.

12. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite, quae superaverunt fragmenta, ne pereant!

13. Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, quae superfuerunt his, qui manducaverant.

14. Illi ergo homines, cum vidissent, quod Jesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum!

15. Jesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit[k] iterum in montem ipse solus.

16. [l]Ut autem sero factum est,

[g] cf. c. 12, 43. [h] Genes. 3, 15. 22, 18. Deut. 18, 15. sqq. [i] v. 1—15. Matth. 14, 13—21. Marc. 6, 30—44. Luc. 9, 10—17.

[k] cf. c. 18, 36. [l] v. 16—21. Matth. 14, 22—34. Marc. 6, 45—54.

Cap. V. 44. a solo est Deo. 47. meis verbis. VI. 2. videbat. 3. subit; *ibid.* in monte. 5. dicit. 6. temtans. 9. hordiacios. 10. faenum; *ibid.* milia. 11. panes Jesus; *ibid.* ex piscibus (*omiss.* et). 12. saturati; *ibid.* fragmentorum. 13. hordiaciis; *ibid.* manducaverunt. 14. fecerat signum (*non praemiss.* Jesus).

descenderunt discipuli ejus ad mare.

17. Et cum ascendissent navim, venerunt trans mare in Capharnaum; et tenebrae jam factae erant; et non venerat ad eos Jesus.

18. Mare autem, vento magno flante, exurgebat.

19. Cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta, vident Jesum ambulantem supra mare, et proximum navi fieri, et timuerunt.

20. Ille autem dicit eis: Ego sum, nolite timere!

21. Voluerunt ergo accipere eum in navim; et statim navis fuit ad terram, in quam ibant.

22. Altera die turba, quae stabat trans mare, vidit, quia navicula alia non erat ibi nisi una, et quia non introisset cum discipulis suis Jesus in navim, sed soli discipuli ejus abiissent;

23. aliae vero supervenerunt naves a Tiberiade juxta locum, ubi manducaverant panem, gratias agente Domino.

24. Cum ergo vidisset turba, quia Jesus non esset ibi, neque discipuli ejus, ascenderunt in naviculas et venerunt Capharnaum, quaerentes Jesum.

25. Et cum invenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi! quando huc venisti?

26. Respondit eis Jesus, et dixit: Amen, amen dico vobis: Quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis.

27. Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus.

28. Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus, ut operemur opera Dei?

29. Respondit Jesus, et dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.

30. Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum, ut videamus et credamus tibi? quid operaris?

31. Patres nostri manducaverunt[m] Manna in deserto, sicut scriptum est: „Panem de coelo „dedit eis manducare.“[n]

32. Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de coelo; sed Pater meus dat vobis panem de coelo verum.

33. Panis enim Dei est, qui[o] de coelo descendit, et dat vitam mundo.

34. Dixerunt ergo ad eum: Domine! semper da nobis panem hunc.

35. Dixit autem eis Jesus: Ego sum panis vitae; qui venit[p] ad me, non esuriet; et qui credit in me, non sitiet umquam.

36. Sed dixi vobis, quia et vidistis me, et non creditis.

37. Omne[q], quod dat mihi Pater, ad me veniet; et eum, qui venit ad me, non ejiciam foras;

38. quia descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.

39. Haec est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris: ut

[m] Exod. 16, 15. [n] Ps. 77, 24. [o] cf. v. 51. [p] cf. v. 27. 4, 14. [q] cf. v. 44. 66.

Cap. VI 19. super mare. 21. fuit navis; *ibid.* ad terram quam ibat. 22. navem; *ibid.* abissent. 23. gratias agentes Domino. 24. ascenderunt naviculas. 27. vobis dabit. 31. manna manducaverunt. 33. descendit de coelo. 35. qui veniet.

omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo; sed resuscitem illud in novissimo die.

40. Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me: ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo[r] eum in novissimo die.

41. Murmurabant ergo Judaei de illo, quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi;

42. et dicebant: Nonne[s] hic est Jesus, filius Joseph, cujus nos novimus patrem et matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de coelo descendi?

43. Respondit ergo Jesus, et dixit eis: Nolite murmurare in invicem!

44. Nemo potest venire ad me, nisi[t] Pater, qui misit me, traxerit eum; et ego resuscitabo eum in novissimo die.

45. Est scriptum in Prophetis: „Et erunt omnes docibiles Dei.“[u] Omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.

46. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi[v] is, qui est a Deo, hic vidit Patrem.

47. Amen, amen dico vobis: Qui credit[w] in me, habet vitam aeternam!

48. Ego sum panis vitae.

49. Patres vestri manducaverunt Manna in deserto, et mortui sunt;

50. hic est panis de coelo descendens; ut, si quis ex ipso manducaverit, non moriatur[x].

51. Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi.

52. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis, quem ego dabo, caro mea[y] est pro mundi vita.

53. Litigabant ergo Judaei ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?

54. Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis;

55. qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die.

56. Caro enim mea, vere est cibus; et sanguis meus, vere est potus.

57. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me[z] manet, et ego in illo.

58. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me.

59. Hic est panis, qui de coelo descendit; non sicut manducaverunt patres vestri Manna, et mortui sunt; qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.

60. Haec dixit in synagoga docens, in Capharnaum.

61. Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt: Durus est hic sermo! et quis potest eum audire?

62. Sciens autem Jesus apud semet ipsum, quia murmurarent

[r] c. 5, 28. Phil. 3, 21. [s] Matth. 13, 55. Marc. 6, 3. [t] cf. v. 37. [u] Jes. 54, 13. Jer. 31, 34. [v] cf. c. 1, 18. [w] c. 3, 16. [x] cf. v. 47.

[y] Matth. 26, 26—28. [z] c. 15, 4. sq.

Cap. VI. 39. illum (*omiss. item*: in). 40. haec est enim; *ibid.* et resuscitabo. 41. ego sum panis (*omiss.* vivus). 44. novissimo die. 49. in deserto manna. 53. carnem suam nobis.

de hoc discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizat?

63. Si ergo videritis Filium hominis ascendentem[a], ubi erat prius?

64. Spiritus est, qui vivificat; caro non prodest quidquam. Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.

65. Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat[b] enim ab initio Jesus, qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum.

66. Et dicebat: Propterea dixi vobis, quiac nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.

67. Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro; et jam non cum illo ambulabant.

68. Dixit ergo Jesus ad duodecim: Numquid et vos vultis abire?

69. Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes!

70. Et nos credidimus, et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.

71. Respondit eis Jesus: Nonne ego vos duodecim elegi? Et ex vobis unus diabolus est!

72. Dicebat autem Judam Simonis Iscariotem; hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim.

CAP. VII.

Christus festo Scenopegiae Judaeos institutione imbuit, calumniantes redarguit. Varia de eo dicta. Prehendere non audent ministri tantum virum.

1. Post haec autem ambulabat Jesus in Galilaeam, non enim volebat in Judaeam ambulare; quia quaerebant eum Judaei interficere.

2. Erat autem in proximo dies festus Judaeorum, Scenopegia[d].

3. Dixerunt autem ad eum fratres[e] ejus: Transi hinc, et vade in Judaeam, ut et discipuli tui videant opera tua, quae facis.

4. Nemo quippe in occulto quid facit, et quaerit ipse in palam esse; si haec facis, manifesta te ipsum mundo.

5. Neque enim fratres ejus credebant in eum.

6. Dicit ergo eis Jesus: Tempus meum[f] nondum advenit; tempus autem vestrum semper est paratum.

7. Non potest mundus odisse vos; me autem odit; quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt.

8. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum; quia meum tempus nondum impletum est.

9. Haec cum dixisset, ipse mansit in Galilaea.

10. Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto.

11. Judaei ergo quaerebant eum in die festo, et dicebant: Ubi est ille?

12. Et murmur[g] multum erat in turba de eo. Quidam enim di-

[a] c. 3, 13. Marc. 16, 19. [b] cf. c. 2, 25. [c] cf. v. 37. 44.

[d] Levit. 23, 34. [e] Matth. 13, 55. [f] cf. v. 8. [g] cf. v. 41. 43. 9, 16.

Cap. VI. 65. qui essent credentes (*omiss.* non). 72. Isciariotis. VII. 1. Post haec (*omiss.* autem). 4. aliquid. 7. quia (*in fine*). 8. ego non ascendo. 12. murmur multus de eo erat.

cebant: Quia bonus est! Alii autem dicebant: Non, sed seducit[h] turbas!

13. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter[i] metum Judaeorum.

14. Jam autem die festo mediante, ascendit Jesus in templum, et docebat.

15. Et mirabantur Judaei, dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?

16. Respondit eis Jesus, et dixit: Mea doctrina[k] non est mea, sed ejus, qui misit me.

17. Si quis voluerit voluntatem ejus facere; cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar.

18. Qui a semet ipso loquitur, gloriam propriam quaerit; qui autem quaerit gloriam ejus, qui misit eum, hic verax est, et injustitia in illo non est.

19. Nonne[l] Moyses dedit vobis legem; et nemo ex vobis facit legem?

20. Quid[m] me quaeritis interficere? Respondit turba, et dixit: Daemonium habes! quis te quaerit interficere?

21. Respondit Jesus, et dixit eis: Unum[n] opus feci, et omnes miramini.

22. Propterea Moyses[o] dedit vobis circumcisionem (non quia ex Moyse est, sed ex patribus[p]); et in sabbato[q] circumciditis hominem.

23. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi; mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato?

24. Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.

25. Dicebant ergo quidam ex Ierosolymis: Nonne hic est, quem quaerunt interficere?

26. Et ecce! palam loquitur, et nihil ei dicunt. Numquid vere cognoverunt principes, quia hic est Christus?

27. Sed hunc scimus unde[r] sit; Christus autem cum venerit, nemo scit, unde sit.

28. Clamabat ergo Jesus in templo docens, et dicens: Et me scitis et unde sim, scitis, et a me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis.

29. Ego scio[s] eum; quia ab ipso sum, et ipse me misit.

30. Quaerebant ergo eum apprehendere; et nemo misit in illum manus, quia[t] nondum venerat hora ejus.

31. De turba autem multi crediderunt in eum, et dicebant: Christus cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quae hic facit?

32. Audierunt Pharisaei turbam murmurantem de illo haec; et miserunt Principes et Pharisaei ministros, ut apprehenderent eum.

33. Dixit ergo eis Jesus: Adhuc[u] modicum tempus vobiscum sum; et vado ad eum, qui me misit.

34. Quaeretis me, et non invenietis; et ubi[v] ego sum, vos non potestis venire.

35. Dixerunt ergo Judaei ad

[h] Matth. 27, 63. [i] c. 9, 22. 12, 42. 19, 38. [k] c. 14, 24. [l] Exod. 20, 11. 24, 3. [m] c. 5, 18. [n] c. 5, 8. [o] Levit. 12, 3. [p] Genes. 17, 10. [q] Matth. 12, 5.

[r] cf. v. 41. Matth. 13, 55. [s] c. 10, 15. 16, 28. [t] c. 8, 20. [u] c. 16, 16. [v] c. 8, 21.

Cap. VII. 18. qui misit illum. 28. clamabat ergo docens in templo (*omiss.* Jesus). 33. qui misit me. 34. sum ego.

semet ipsos: Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? numquid in dispersionem Gentium iturus est, et docturus Gentes?
36. Quis est hic sermo, quem dixit: Quaeretis me, et non invenietis; et ubi sum ego, vos non potestis venire?
37. In novissimo autem die magno[w] festivitatis stabat Jesus et clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me et bibat!
38. Qui[x] credit in me, sicut dicit Scriptura: „flumina de „ventre ejus fluent aquae vivae.“
39. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum; nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.
40. Ex illa ergo turba cum audissent hos sermones ejus, dicebant: Hic est vere Propheta!
41. Alii dicebant: Hic est Christus! Quidam autem dicebant: Numquid[y] a Galilaea venit Christus?
42. Nonne Scriptura dicit: Quia „ex semine David, et de „Bethlehem castello, ubi erat „David, venit Christus?“[z]
43. Dissensio itaque facta est in turba propter eum.
44. Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum; sed nemo misit super eum manus.
45. Venerunt ergo ministri ad Pontifices et Pharisaeos. Et dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illum?
46. Responderunt ministri: Numquam[a] sic locutus est homo, sicut hic homo.
47. Responderunt ergo eis Pharisaei: Numquid et vos seducti estis?
48. Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisaeis?
49. Sed turba haec, quae non novit legem, maledicti sunt.
50. Dixit Nicodemus ad eos, ille, qui venit[b] ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis:
51. Numquid lex nostra[c] judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, et cognoverit, quid faciat?
52. Responderunt et dixerunt ei: Numquid et tu Galilaeus es? Scrutare Scripturas, et vide, quia a Galilaea Propheta non surgit!
53. Et reversi sunt unusquisque in domum suam.

CAP. VIII.

Narratio de muliere adultera. Christus Pharisaeos confutat; Judaeos docet ac redarguit. Volentibus eum lapidare, evadit.

1. Jesus autem perrexit in montem Oliveti;
2. et diluculo iterum venit in templum, et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos.
3. Adducunt autem Scribae et Pharisaei mulierem in adulterio deprehensam; et statuerunt eam in medio,
4. et dixerunt ei: Magister! haec mulier modo deprehensa est in adulterio.

[w] Levit. 23, 36. [x] c. 4, 14. [y] v. 27. 1. 46. [z] Matth. 2, 5. sqq. 22, 42.

[a] Matth. 7, 28. Luc. 4, 22. [b] c. 3, 1. [c] Exod. 23, 1. Deut. 17, 8. 19, 16. sqq.

Cap. VII. 36. non potestis (*omiss.* vos). 37. qui sitit (*omiss.* si). 39. non enim. 40. ex illa ergo turba (turba *ad marginem cum minutis literis*). 41. Christus venit. 44. super illum. 45. eum. 48. aliquis ex principibus. 50. dicit. 51. audierit ab ipso prius. 52. scrutare et vide (*omiss.* scripturas); *ibid.* propheta a Galilaea.

5. In lege[d] autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare; Tu ergo quid dicis?
6. Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum. Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.
7. Cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, et dixit eis: Qui[e] sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.
8. Et iterum se inclinans, scribebat in terra.
9. Audientes autem, unus post unum exibant, incipientes a Senioribus; et remansit solus Jesus et mulier in medio stans.
10. Erigens autem se Jesus, dixit ei: Mulier! ubi sunt, qui te accusabant? Nemo te condemnavit?
11. Quae dixit: Nemo, Domine! Dixit autem Jesus: Nec ego te condemnabo! Vade, et jam amplius noli peccare!
12. Iterum ergo locutus est eis Jesus, dicens: Ego sum[f] lux mundi! qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae.
13. Dixerunt ergo ei Pharisaei: Tu de te ipso testimonium perhibes; testimonium tuum non est verum.
14. Respondit Jesus, et dixit eis: Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum; quia[g] scio, unde veni, et quo vado; vos autem nescitis, unde venio, aut quo vado.
15. Vos secundum[h] carnem judicatis; ego non judico[i] quemquam;
16. et si judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum; sed ego, et qui misit me, Pater.
17. Et in lege vestra scriptum est, „quia duorum hominum testimonium verum est."[k]
18. Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso; et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.
19. Dicebant ergo ei: Ubi est Pater tuus? Respondit Jesus: Neque me scitis, neque Patrem meum; si me[l] sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis.
20. Haec verba locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo; et nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora ejus.
21. Dixit ergo iterum eis Jesus: Ego vado, et quaeretis me, et in peccato vestro moriemini! Quo ego vado, vos non potestis venire.
22. Dicebant ergo Judaei: Numquid interficiet semet ipsum, quia dixit: Quo ego vado, vos non potestis venire?
23. Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis[m] sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.
24. Dixi ergo vobis, quia mo-

[d] Levit. 20, 10. [e] Deut. 17, 7. [f] c. 1, 4. 9, 5. [g] c. 3, 13. 16, 28.

[h] c. 7, 24. 41. [i] c. 3, 17. [k] Deut. 17, 6. [l] cf. c. 14, 9. [m] cf. c. 3, 13.

Cap. VIII. 6. haec; *ibid.* temtantes. 7. cum autem. 9. incipiens (*sed* te *ultimae syllabae cum literis minusc. superscriptum*); *ibid.* solus (*omiss.* Jesus). 10. ubi sunt (*omiss.* qui te accusabant). 11. amplius jam. 12. non ambulabit; *ibid.* lucem. 16. me misit. 20. locutus est (*omiss.* Jesus); *ibid.* apprendit (*sed* he *literis minusc. syllabae vocis mediae superscriptum*). 21. quaeritis. 22. dicit.

riemini[n] in peccatis vestris; si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro.

25. Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Jesus: Principium, qui et loquor vobis.

26. Multa habeo de vobis loqui, et judicare. Sed qui me misit, verax est; et ego, quae audivi[o] ab eo, haec loquor in mundo.

27. Et non cognoverunt, quia Patrem ejus dicebat Deum.

28. Dixit ergo eis Jesus: Cum exaltaveritis[p] Filium hominis, tunc cognoscetis[q], quia ego sum, et a me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, haec loquor;

29. et qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum; quia ego, quae placita sunt ei, facio semper.

30. Haec illo loquente, multi crediderunt in eum.

31. Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei, Judaeos: Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis;

32. et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.

33. Responderunt ei: Semen Abrahae sumus, et nemini servivimus umquam; quomodo tu dicis: Liberi eritis?

34. Respondit eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.

35. Servus autem non manet in domo in aeternum; filius autem manet in aeternum.

36. Si ergo vos filius liberaverit[r], vere liberi eritis.

[n] Marc. 16, 16. [o] cf. 7, 16. 12, 49. [p] cf. 3, 14. [q] Matth. 27, 54. Marc. 15, 39. [r] Rom. 8, 2. Gal. 5, 1.

37. Scio, quia filii Abrahae estis; sed quaeritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.

38. Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor; et vos quae vidistis apud patrem vestrum[s], facitis.

39. Responderunt et dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dicit eis Jesus: Si filii[t] Abrahae estis, opera Abrahae facite!

40. Nunc autem quaeritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo; hoc Abraham non fecit.

41. Vos facitis opera patris[u] vestri. Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non sumus nati; unum patrem habemus Deum.

42. Dixit ergo eis Jesus: Si Deus Pater vester esset, diligeretis utique me, ego enim ex Deo processi, et veni; neque enim a me ipso veni, sed ille me misit.

43. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum.

44. Vos ex patre diabolo estis[v]; et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, et in veritate[w] non stetit; quia non est veritas in eo; cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater ejus.

45. Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi.

46. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?

[s] cf. v. 44. [t] Rom. 9, 7. 8. [u] cf. v. 44. [v] 1 Joh. 3, 8. [w] Genes. 3, 4.

Cap. VIII. 25. principium quia. 26. misit me. 27. patrem eis. 35. filius (*omiss.* autem). 36. filius vos. 38. apud patrem (*omiss.* meum). 39. dixit. 43. loquellam. 45. quia veritatem. 46. arguit; *ibid.* dico (*omiss.* vobis).

47. Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

48. Responderunt ergo Judaei, et dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus[x] es tu? et daemonium[y] habes?

49. Respondit Jesus: Ego daemonium non habeo; sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me.

50. Ego autem non quaero gloriam meam; est, qui quaerat, et judicet.

51. Amen, amen dico vobis: Si quis[z] sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.

52. Dixerunt ergo Judaei: Nunc cognovimus, quia daemonium habes! Abraham mortuus est, et Prophetae; et tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in aeternum.

53. Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est? et Prophetae mortui sunt. Quem te ipsum facis?

54. Respondit Jesus: Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est; est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est,

55. et non cognovistis eum; ego autem novi eum; et si dixero: quia non scio eum, ero similis vobis mendax; sed scio eum, et sermonem ejus servo.

56. Abraham[a] pater vester exultavit, ut videret diem meum; vidit, et gavisus est.

57. Dixerunt ergo Judaei ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?

58. Dixit eis Jesus: Amen, amen dico vobis, antequam[b] Abraham fieret, ego sum.

59. Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum; Jesus autem abscondit se, et exivit de templo.

CAP. IX.

Caecus hoc malo natus visum recuperat; qui cum Christum gratus laudare ausus esset, extra synagogam ejicitur. Huic Jesus doctor adest.

1. Et praeteriens Jesus vidit hominem caecum a nativitate.

2. Et interrogaverunt eum discipuli ejus: Rabbi! quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut caecus nasceretur?

3. Respondit Jesus: Neque hic peccavit, neque parentes ejus; sed ut manifestentur[c] opera Dei in illo.

4. Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari.

5. Quamdiu sum in mundo, lux[d] sum mundi.

6. Haec cum dixisset, exspuit in terram, et fecit[e] lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos ejus,

7. et dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloë (quod interpretatur Missus)! Abiit ergo, et lavit, et venit videns.

8. Itaque vicini, et qui viderant eum prius, quia mendicus erat,

[x] cf. c. 4, 9. [y] Matth. 9, 34. Joh. 10, 20. [z] c. 5, 24. 11, 25. 26. [a] Gen. 22, 18.

[b] cf. c. 1, 1. [c] cf. c. 11, 4. [d] cf. c. 1, 4. sq. 12, 35. [e] Marc. 8, 23.

Cap. VIII. 47. est ex Deo. 48. igitur Judaei. 49. inhonoratis. 50. quaerit et judicat. 54. noster. 56. et vidit. IX. 1. praeteriens (omiss. Jesus). 2. sui. 3. manifestetur opus. 6. levit. 7. Siloae. 8. videbant.

dicebant: Nonne hic est, qui sedebat et mendicabat? Alii dicebant: Quia hic est!

9. Alii autem: Nequaquam, sed similis est ei! Ille vero dicebat: Quia ego sum!

10. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi?

11. Respondit: Ille homo, qui dicitur Jesus, lutum fecit, et unxit oculos meos, et dixit mihi: Vade ad natatoria Siloë, et lava! Et abii, et lavi; et video.

12. Et dixerunt ei: Ubi est ille? Ait: Nescio.

13. Adducunt eum ad Pharisaeos, qui caecus fuerat.

14. Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Jesus, et aperuit oculos ejus.

15. Iterum ergo interrogabant eum Pharisaei, quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, et lavi, et video.

16. Dicebant ergo ex Pharisaeis quidam: Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Alii autem dicebant: Quomodo potest homo peccator haec signa facere? Et schisma erat inter eos.

17. Dicunt ergo caeco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia Propheta[f] est!

18. Non crediderunt ergo Judaei de illo, quia caecus fuisset, et vidisset, donec vocaverunt parentes ejus, qui viderat.

19. Et interrogaverunt eos, dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis, quia caecus natus est? Quomodo ergo nunc videt?

20. Responderunt eis parentes ejus et dixerunt: Scimus, quia hic est filius noster, et quia caecus natus est;

21. quomodo autem nunc videat, nescimus; aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus; ipsum interrogate! aetatem habet, ipse de se loquatur.

22. Haec dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judaeos; jam enim conspiraverant Judaei, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret.

23. Propterea parentes ejus dixerunt: Quia aetatem habet, ipsum interrogate!

24. Vocaverunt ergo rursum hominem, qui fuerat caecus, et dixerunt ei: Da gloriam Deo! Nos scimus, quia hic homo peccator est.

25. Dixit ergo eis ille: Si peccator est, nescio; unum scio, quia caecus cum essem, modo video.

26. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos?

27. Respondit eis: Dixi vobis jam, et audistis! quid iterum vultis audire? Numquid et vos vultis discipuli ejus fieri?

28. Maledixerunt ergo ei, et dixerunt: Tu discipulus illius sis! nos autem Moysi discipuli sumus.

29. Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus; hunc autem nescimus, unde sit.

30. Respondit ille homo, et di-

f Luc. 7, 16.

Cap. IX. 8. et dicebant (*sic* in fine v.). 9. ejus; *ibid.* ille dicebat. 10. oculi tibi. 11. natatoriam; *ibid.* vidi. 15. posuit mihi. 16. quia; *ibid.* in eis. 17. de eo. 22. quia; *ibid.* confiteretur Christum (*omiss.* esse). 25. ille (*omiss.* eis). 28. maledixerunt ei (ei *litteris minusculis*, *omiss.* ergo); *ibid.* es. 29. quoniam.

xit eis: In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis, unde sit, et aperuit meos oculos;

31. scimus[g] autem, quia peccatores Deus non audit; sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit.

32. A saeculo non est auditum, quia quis aperuit oculos caeci nati;

33. nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.

34. Responderunt et dixerunt ei: In peccatis[h] natus es totus! et tu doces nos? Et ejecerunt[i] eum foras.

35. Audivit Jesus, quia ejecerunt eum foras; et cum invenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei?

36. Respondit ille, et dixit: Quis est, Domine! ut credam in eum?

37. Et dixit ei Jesus: Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est.

38. At ille ait: Credo, Domine! et procidens adoravit eum.

39. Et dixit Jesus: In judicium[k] ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant; et qui vident, caeci fiant.

40. Et audierunt quidam ex Pharisaeis, qui cum ipso erant, et dixerunt ei: Numquid et nos caeci sumus?

41. Dixit eis Jesus: Si caeci essetis, non haberetis peccatum; nunc vero dicitis: Quia videmus! peccatum vestrum manet.

g Ps. 65, 18. h cf. v. 2. i cf. v. 22. k cf. c. 3, 19—21.

CAP. X.

De bono pastore narratio. Christum, se Dei filium fatentem, lapidare volunt Judaei.

1. Amen, amen dico vobis: Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro;

2. qui autem intrat per ostium[l], pastor est ovium.

3. Huic ostiarius aperit, et oves vocem ejus audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas.

4. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit; et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus.

5. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo; quia non noverunt vocem alienorum.

6. Hoc proverbium dixit eis Jesus; illi autem non cognoverunt, quid loqueretur eis.

7. Dixit ergo eis iterum Jesus: Amen, amen dico vobis: Quia ego sum ostium ovium!

8. Omnes, quotquot venerunt, fures[m] sunt et latrones, et non audierunt eos oves.

9. Ego[n] sum ostium! per me si quis introierit, salvabitur; et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.

10. Fur non venit, nisi ut furetur, et mactet, et perdat; ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant.

11. Ego sum pastor bonus! Bonus[o] pastor animam suam dat pro ovibus suis;

12. mercenarius autem, et qui

l cf. v. 7. m Matth. 23, 14—16. n cf. c. 14, 6. o Jes. 40, 11. Ezech. 34, 23. 37, 24.

Cap. IX. 32. quia aperuit quis. 40. ex pharisaeis (*omiss.* quidam). X. 4. secuntur. 6. dixit illis. 8. sed non. 11. ovibus (*omiss.* suis). 12. mercenarius (*omiss.* autem).

non est pastor, cujus non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit; et lupus rapit et dispergit oves;

13. mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus.

14. Ego sum pastor bonus; et cognosco meas, et cognoscunt me meae.

15. Sicut[p] novit me Pater, et ego agnosco Patrem; et animam meam pono pro ovibus meis.

16. Et alias[q] oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.

17. Propterea me diligit Pater; quia[r] ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.

18. Nemo tollit eam a me; sed ego pono eam a me ipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam; hoc mandatum accepi a Patre meo.

19. Dissensio iterum[s] facta est inter Judaeos propter sermones hos.

20. Dicebant autem multi ex ipsis: Daemonium habet et insanit! quid eum auditis?

21. Alii dicebant: Haec verba non sunt daemonium habentis! numquid daemonium potest caecorum oculos aperire?

22. Facta sunt autem Encaenia[t] in Ierosolymis; et hyems erat.

23. Et ambulabat Jesus in templo, in porticu[u] Salomonis.

24. Circumdederunt ergo eum Judaei, et dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam!

25. Respondit eis Jesus: Loquor vobis, et non creditis. Opera[v], quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me;

26. sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.

27. Oves meae vocem meam audiunt; et ego cognosco eas, et sequuntur me;

28. et ego[w] vitam aeternam do eis; et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.

29. Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus est; et nemo potest rapere de manu Patris mei.

30. Ego et Pater unum[x] sumus.

31. Sustulerunt ergo lapides Judaei, ut lapidarent eum.

32. Respondit eis Jesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?

33. Responderunt ei Judaei: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; et quia[y] tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum.

34. Respondit eis Jesus: Nonne scriptum est in lege vestra: „quia Ego dixi, Dei estis?"[z]

35. Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura;

36. quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis:

[p] Matth. 11, 27. [q] Jes. 56, 8. Marc. 16, 15. Act. 15, 19. Rom. 9, 24. Eph. 2, 14. [r] Matth. 16, 21. Joh. 2, 19. [s] cf. c. 7, 43. [t] 1 Macc. 4, 52. sqq. [u] 3 Reg. 6, 3.

[v] c. 5, 36. [w] c. 8, 51. 17, 24. [x] cf. c. 17, 10. 11. 21. [y] cf. c. 5, 18. [z] Ps. 81, 6.

Cap. X. 15. pro ovibus (*omiss.* meis). 17. pater diligit. 18. potestatem (*omiss.* et). 22. Encenia. 27. et secuntur. 28. non rapiet (*omiss.* et). 31. lapides (*omiss.* ergo). 32 opera bona.

Quia blasphemas! quia dixi, Filius Dei sum!

37. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi;

38. si autem facio; et si mihi non vultis credere, operibus credite; ut cognoscatis et credatis, quia[a] Pater in me est, et ego in Patre.

39. Quaerebant ergo eum apprehendere; et exivit de manibus eorum.

40. Et abiit iterum trans Jordanem, in eum locum, ubi[b] erat Joannes baptizans primum; et mansit illic.

41. Et multi venerunt ad eum, et dicebant: Quia Joannes quidem signum fecit nullum;

42. omnia autem, quaecumque dixit[c] Joannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum.

CAP. XI.

De Lazaro redivivo narratio. Pontifices et Pharisaei de Jesu occidendo consilia capiunt. Caiphas agit prophetam.

1. Erat autem quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariae[d] et Marthae sororis ejus.

2. (Maria autem erat, quae unxit[e] Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis; cujus frater Lazarus infirmabatur.)

3. Miserunt ergo sorores ejus ad eum, dicentes: Domine! ecce, quem amas, infirmatur.

4. Audiens autem Jesus dixit eis: Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.

5. Diligebat autem Jesus Martham, et sororem ejus Mariam et Lazarum.

6. Ut ergo audivit, quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.

7. Deinde post haec dixit discipulis suis: Eamus in Judaeam iterum!

8. Dicunt ei discipuli: Rabbi! nunc quaerebant[f] te Judaei lapidare, et iterum vadis illuc?

9. Respondit Jesus: Nonne[g] duodecim sunt horae diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt;

10. si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.

11. Haec ait, et post haec dixit eis: Lazarus amicus noster dormit[h]; sed vado, ut a somno excitem eum.

12. Dixerunt ergo discipuli ejus: Domine! si dormit, salvus erit.

13. Dixerat autem Jesus de morte ejus; illi autem putaverunt, quia de dormitione somni diceret.

14. Tunc ergo Jesus dixit eis manifeste: Lazarus mortuus est!

15. Et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum!

16. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus et nos, ut moriamur cum eo!

[a] cf. c. 17, 21. [b] cf. c. 1, 28. [c] cf. c. 3, 26. sqq. [d] Luc. 10, 39. [e] cf. c. 12, 3.

[f] cf. c. 10, 31. [g] cf. c. 9, 4. [h] Matth. 9, 24.

Cap. X. 38. in me est pater. 40. Jordanen. 41. veniebant. XI. 3. sorores (*omiss.* ejus). 4. per eum (*litera* a *super* u *minuscule* scripta est). 7. dicit. 8. lapidare Judaei. 9. horae sunt. 10. nocte; *ibid.* offendet. 11. post hoc dicit; *ibid.* exsuscitem. 14. dixit eis Jesus.

17. Venit itaque Jesus; et invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem.

18. (Erat autem Bethania juxta Ierosolymam quasi stadiis quindecim.)

19. Multi autem ex Judaeis venerant ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo.

20. Martha ergo ut audivit, quia Jesus venit, occurrit illi; Maria autem domi sedebat.

21. Dixit ergo Martha ad Jesum: Domine! si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus;

22. sed et nunc scio, quia, quaecumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.

23. Dicit illi Jesus: Resurget frater tuus!

24. Dicit ei Martha: Scio, quia resurget in resurrectione in novissimo die.

25. Dixit ei Jesus: Ego sum resurrectio, et vita; qui[i] credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet;

26. et omnis[k], qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum. Credis hoc?

27. Ait illi: Utique Domine! ego credidi, quia[l] tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.

28. Et cum haec dixisset, abiit, et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, et vocat te!

29. Illa, ut audivit, surgit cito, et venit ad eum.

30. Nondum enim venerat Jesus in castellum; sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha.

31. Judaei ergo, qui erant cum ea in domo, et consolabantur eam, cum vidissent Mariam, quia cito surrexit et exiit, secuti sunt eam dicentes: Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi!

32. Maria ergo, cum venisset, ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, et dicit ei: Domine! si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.

33. Jesus ergo, ut vidit eam plorantem, et Judaeos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, et turbavit se ipsum,

34. et dixit: Ubi posuistis eum? Dicunt ei: Domine! veni, et vide!

35. Et lacrymatus est Jesus.

36. Dixerunt ergo Judaei: Ecce, quomodo amabat eum!

37. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit[m] oculos caeci nati, facere, ut hic non moreretur?

38. Jesus ergo rursum fremens in semet ipso, venit ad monumentum; erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei.

39. Ait Jesus: Tollite lapidem! Dicit ei Martha, soror ejus, qui mortuus fuerat: Domine! jam foetet, quatriduanus est enim.

40. Dicit ei Jesus: Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?

41. Tulerunt ergo lapidem; Jesus autem elevatis sursum oculis, dixit: Pater! gratias ago tibi, quoniam audisti me.

[i] cf. c. 8, 51. [k] cf. c. 3, 36. 6, 40. [l] cf. c. 6, 70.

[m] cf. c. 9, 6. sqq.

Cap. XI. 18. Hierosolyma. 22. tibi (*omiss.* Deus). 24. novissima. 27. Dei (*omiss.* vivi). 28. adest vocat. 31. Judaei igitur. 32. dixit ei. 33. fremuit. 36. dixerunt Judaei (*omiss,* ergo). 37. dixerunt ex ipsis; *ibid.* caeci (*omiss.* nati); *ibid.* ut et hic. 39. faetet; *ibid.* enim est.

42. Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi: ut credant, quia tu me misisti.

43. Haec cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare, veni foras!

44. Et statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis, et facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Jesus: Solvite eum, et sinite abire!

45. Multi ergo ex Judaeis, qui venerant ad Mariam et Martham, et viderant, quae fecit Jesus, crediderunt in eum.

46. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisaeos, et dixerunt eis, quae fecit Jesus.

47. Collegerunt[n] ergo Pontifices et Pharisaei concilium, et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?

48. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; et venient Romani, et tollent nostrum locum, et gentem.

49. Unus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam,

50. nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.

51. Hoc autem a semet ipso non dixit; sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente;

52. et non tantum pro gente, sed ut[o] filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.

[n] Matth. 26, 3. Joh. 12, 19. [o] cf. c. 10, 16. 12, 32. Eph. 2, 14. 15.

53. Ab illo ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum.

54. Jesus ergo jam non in palam ambulabat apud Judaeos, sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem, quae dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis.

55. Proximum autem erat Pascha Judaeorum; et ascenderunt multi Ierosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent[p] se ipsos.

56. Quaerebant[q] ergo Jesum; et colloquebantur ad invicem, in templo stantes: Quid putatis, quia non venit ad diem festum? Dederant autem Pontifices et Pharisaei mandatum, ut si quis cognoverit, ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.

CAP. XII.

Jesus a Maria ungitur; ingressus Christi solemnis in Ierosolymam. De grano frumenti ad mortem terendo. Vox patris de glorificando filio emittitur. De ejiciendo hujus mundi principe, et Judaeorum occaecatione. In Christo Pater et honoratur et spernitur.

1. [r]Jesus ergo ante sex dies Paschae venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus.

2. Fecerunt autem ei coenam ibi; et Martha[s] ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo.

3. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi,

[p] Exod. 19, 10. [q] cf. c. 7, 11. [r] v. 1—8. Matth. 26, 6—13. Marc. 14, 3—9. [s] Luc. 10, 38. sqq.

Cap. XI. 44. dixit Jesus eis. 45. ad Mariam (*omiss.* et Martham); *ibid.* fecit (*omiss.* Jesus). 48. et locum. 49. Caiaphas. 50. nobis. 51. quia. 52. sed et ut. 54. Efrem; *ibid.* discipulis (*omiss.* suis). 55. Hierosolyma. 56. veniat. XII. 1. fuerat Lazarus. 3. ungenti.

et unxit[t] pedes Jesu, et extersit pedes ejus capillis suis; et domus impleta est ex odore unguenti.

4. Dixit ergo unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus:

5. Quare hoc unguentum non vaeniit trecentis denariis, et datum est egenis?

6. Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens, ea, quae mittebantur, portabat.

7. Dixit ergo Jesus: Sinite illam! ut in diem sepulturae meae servet illud.

8. Pauperes enim semper habetis vobiscum; me autem non semper habetis.

9. Cognovit ergo turba multa ex Judaeis, quia illic est; et venerunt non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit[u] a mortuis.

10. Cogitaverunt autem principes Sacerdotum, ut et Lazarum interficerent;

11. quia multi propter illum abibant ex Judaeis, et credebant in Jesum.

12. [v]In crastinum autem turba multa, quae venerat ad diem festum, cum audissent, quia venit Jesus Ierosolymam.

13. Acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant: Hosanna! benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel!

14. Et invenit Jesus asellum, et sedit super eum, sicut scriptum est:

15. „Noli timere, filia Sion! „ecce, rex tuus venit sedens super pullum asinae.“[w]

16. Haec non cognoverunt discipuli ejus primum; sed quando glorificatus est Jesus, tunc recordati sunt, quia haec erant scripta de eo; et haec fecerunt ei.

17. Testimonium ergo perhibebat turba, quae erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, et suscitavit eum a mortuis.

18. Propterea et obviam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum.

19. Pharisaei ergo dixerunt ad semet ipsos: Videtis, quia nihil proficimus? Ecce! mundus totus post eum abiit.

20. Erant autem quidam Gentiles[x], ex his qui ascenderant, ut adorarent in die festo.

21. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilaeae, et rogabant eum, dicentes: Domine! volumus Jesum videre.

22. Venit Philippus et dicit Andreae: Andreas rursum et Philippus dixerunt Jesu.

23. Jesus autem respondit eis, dicens: Venit hora, ut clarificetur[y] Filius hominis.

24. Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit,

25. ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum[z]

[t] Luc. 7, 46. sqq. [u] cf. c. 11, 43. sq. [v] v. 12—15. Matth. 21, 1—11. Marc. 11, 1—10. Luc. 19, 29—38.

[w] Zach. 9, 9. [x] cf. c. 7, 35. Act. 17. 4. [y] cf. c. 17, 1. Phil. 2, 9. sqq. [z] cf. v. 32.

Cap. XII. 3. unxit (*omiss.* et); *ibid.* capillis suis pedes ejus. 4. dicit; *ibid.* Scariotis. 7. sine. 12. Hierosolyma. 13. Israhel. 19. nihil proficimus (*in margine literis minusculis*). 20. gentiles quidam. 22. dicunt. 23. glorificetur.

fructum affert. Qui amat[a] animam suam, perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.

26. Si quis mihi ministrat, me sequatur; et ubi sum ego, illic et minister meus erit; si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.

27. Nunc[b] anima mea turbata est! Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora! Sed propterea veni in horam hanc.

28. Pater, clarifica nomen tuum! Venit[c] ergo vox de coelo: Et clarificavi, et iterum clarificabo.

29. Turba ergo quae stabat et audierat, dicebat tonitruum esse factum! Alii dicebant: Angelus ei locutus est!

30. Respondit Jesus, et dixit: Non propter me haec vox venit, sed propter vos.

31. Nunc judicium[d] est mundi; nunc princeps[e] hujus mundi ejicietur foras.

32. Et ego si exaltatus[f] fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.

33. (Hoc autem dicebat, significans, qua morte esset moriturus.)

34. Respondit ei turba: Nos audivimus ex lege[g], quia Christus manet in aeternum; et quomodo tu dicis: Oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis?

35. Dixit ergo eis Jesus: Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate[h], dum lucem habetis, ut non vos tenebrae comprehendant; et qui ambulat in tenebris, nescit, quo vadat.

36. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. Haec locutus est Jesus; et abiit, et abscondit se ab eis.

37. Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum;

38. ut sermo Isaiae Prophetae impleretur, quem dixit: „Domi-
„ne, quis credidit auditui nostro?
„et brachium Domini cui reve-
„latum est?"[i]

39. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias:

40. „Excaecavit oculos eorum,
„et induravit cor eorum; ut non
„videant oculis, et non intelli-
„gant corde, et convertantur, et
„sanem eos."[k]

41. Haec dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo.

42. Verumtamen et ex principibus multi crediderunt in eum; sed[l] propter Pharisaeos non confitebantur, ut e synagoga non ejicerentur.

43. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.

44. Jesus autem clamavit, et dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed[m] in eum, qui misit me.

45. Et qui videt[n] me, videt eum, qui misit me.

[a] Matth. 10, 39. [b] Matth. 26, 38. Luc. 12, 50. [c] Matth. 3, 17. Joh. 5, 32. [d] cf. c. 3, 18. [e] Luc. 10, 18. Joh. 16, 11. [f] cf. c. 3, 14. sqq. 8, 28. 11, 51. 52. [g] 2 Reg. 7, 13. Ps. 109, 4.

[h] cf. v. 46. 8, 12. [i] Jes. 53, 1. [k] Jes. 6, 9. 10. [l] cf. c. 3, 2. 7, 13. 19, 38. [m] cf. c. 5, 36. sqq. [n] cf. c. 14, 9.

Cap. XII. 26. ministrabit. 27. ex hora hac. 28. tuum nomen. 29. dicebant (*primum in v. pro* dicebat); *ibid.* factum esse. 30. vox haec. 35. Jesus (*omiss.* eis); *ibid.* tenebrae vos. 40. eorum cor; *ibid.* et intelligant. 42. de synagoga.

46. Ego lux in mundum veni; ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat.

47. Et si quis[o] audierit verba mea, et non custodierit; ego non judico eum. Non enim veni, ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum.

48. Qui spernit me, et non accipit verba mea, habet, qui judicet eum. Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.

49. Quia ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse[p] mihi mandatum dedit, quid dicam, et quid loquar.

50. Et scio, quia mandatum ejus vita aeterna est. Quae ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.

CAP. XIII.

Jesus apostolorum pedes lavat et proditorem Joanni designat. De novo amoris praecepto, de Petro ter negaturo consortium Jesu.

1. Ante diem festum Paschae, sciens[q] Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem; cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

2. Et coena facta, cum[r] diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotae;

3. sciens, quia omnia[s] dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit et ad Deum vadit;

4. surgit a coena, et ponit vestimenta sua; et cum accepisset linteum, praecinxit se;

[o] cf. c. 3, 17. sqq. [p] cf. c. 8, 26. [q] Matth. 26, 2. [r] Luc. 22, 3. [s] Matth. 28. 18. Joh. 17, 2.

5. deinde mittit aquam in pelvim, et coepit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quo erat praecinctus.

6. Venit ergo ad Simonem Petrum; et dicit ei Petrus: Domine! tu mihi lavas pedes?

7. Respondit Jesus, et dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.

8. Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in aeternum! Respondit ei Jesus: Si non lavero te, non habebis partem mecum.

9. Dicit ei Simon Petrus: Domine! non tantum pedes meos, sed et manus, et caput.

10. Dicit ei Jesus: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis[t], sed non omnes.

11. Sciebat enim, quisnam esset, qui traderet eum; propterea dixit: Non estis mundi omnes.

12. Postquam ergo lavit pedes eorum, et accepit vestimenta sua, cum recubuisset iterum, dixit eis: Scitis, quid fecerim vobis?

13. Vos vocatis me Magister, et Domine; et bene dicitis; sum etenim.

14. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister; et vos[u] debetis alter alterius lavare pedes.

15. Exemplum enim dedi vobis, ut[v] quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.

16. Amen, amen dico vobis: Non est servus major domino suo; neque apostolus major est eo, qui misit illum.

[t] cf. c. 15, 3. [u] Luc. 22, 26. sqq. [v] Matth. 20, 26. sqq.

Cap. XII. 46. in mundo. XIII. 1. ante diem autem; *ibid.* hora (*omiss.* ejus). 2. in corde; *ibid.* Iscariotis. 5. pelvem. 7 dicit. 8. Jesus ei; *ibid.* habes. 16. major eo (*omiss.* est).

17. Si haec scitis, beati eritis, si feceritis ea.

18. Non de omnibus vobis dico; ego scio, quos elegerim, sed ut adimpleatur Scriptura; „Qui „manducat mecum panem, leva-„bit contra me calcaneum su-„um.“[w]

19. Amodo dico vobis, priusquam fiat; ut cum factum fuerit, credatis, quia ego sum.

20. Amen[x], amen dico vobis: Qui accipit, si quem misero, me accipit; qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit.

21. [y] Cum haec dixisset Jesus, turbatus est spiritu; et protestatus est, et dixit: Amen, amen dico vobis: Quia unus[z] ex vobis tradet me!

22. Aspiciebant ergo ad invicem discipuli, haesitantes, de quo diceret.

23. Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem[a] diligebat Jesus.

24. Innuit ergo huic Simon Petrus, et dixit ei: Quis est, de quo dicit?

25. Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu, dicit ei: Domine, quis est?

26. Respondit Jesus: Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judae Simonis Iscariotae.

27. Et post buccellam, introivit[b] in eum satanas. Et dixit ei Jesus: Quod facis, fac citius!

28. Hoc autem nemo scivit discumbentium, ad quid dixerit ei.

[w] Ps. 40, 10. Act. 1, 26. [x] Matth. 10, 40. [y] v. 21—30. Matth. 26, 20—26. [z] cf. c. 6, 65. [a] c. 19, 26. 20, 2. 21, 7. 20. [b] cf. v. 2. Luc. 22, 3.

29. Quidam enim putabant, quia[c] loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus: Eme ea, quae opus sunt nobis ad diem festum; aut egenis ut aliquid daret.

30. Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo; erat autem nox.

31. Cum ergo exisset, dixit Jesus: Nunc clarificatus est Filius hominis; et Deus clarificatus est in eo.

32. Si Deus clarificatus est in eo, et Deus[d] clarificabit eum in semet ipso; et continuo clarificabit eum.

33. Filioli! adhuc modicum vobiscum sum. Quaeretis me; et sicut dixi[e] Judaeis: Quo ego vado, vos non potestis venire; et vobis dico modo.

34. Mandatum[f] novum do vobis: Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem.

35. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

36. Dicit ei Simon Petrus: Domine! quo vadis? Respondit Jesus: Quo ego vado, non potes me modo sequi; sequeris[g] autem postea.

37. Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modo? animam[h] meam pro te ponam.

38. Respondit ei Jesus: Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi: Non[i] cantabit gallus, donec ter me neges.

[c] cf. c. 12, 6. [d] c. 17, 5. 6. [e] c. 7, 34. 8, 22. [f] c. 15, 12. 17. [g] cf. c. 21, 18. [h] Matth. 26, 33. sqq. [i] Marc. 14, 30. 72.

Cap. XIII. 18. impleatur. 19. credatis cum factum fuerit. 24. dicit. 26. cui respondit; *ibid.* Iscariotis. 27. tunc introivit; *ibid.* dicit (*omiss.* et). 29. quia dicit. 31. dicit. 35. mei discipuli. 38. respondit (*omiss.* ei). 38. me ter neges.

CAP. XIV.

De amplo domicilio coelesti. Christus via est, veritas, vita. Spiritus sanctus mittendus est. Quis Jesum diligat, qualis pax a Christo relinquenda sit, exponitur.

1. Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite.

2. In domo Patris mei mansiones multae sunt. Si quo minus, dixissem vobis; quia vado parare vobis locum.

3. Et si abiero, et praeparavero vobis locum; iterum venio, et accipiam vos ad me ipsum, ut[k], ubi sum ego, et vos sitis.

4. Et, quo[l] ego vado, scitis, et viam scitis.

5. Dicit ei Thomas: Domine! nescimus, quo vadis; et quomo- [illegible] viam scire?

[illegible] i Jesus: Ego[m] sum [illegible] eritas, et vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.

7. Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis; et amodo cognoscetis eum, et vidistis[n] eum.

8. Dicit ei Philippus: Domine! ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.

9. Dicit ei Jesus: Tanto tempore vobiscum sum; et non cognovistis me? Philippe! qui videt[o] me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem?

10. Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est? Verba, quae ego loquor vobis, a me ipso non loquor; pater autem in me manens, ipse facit opera.

11. Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est?

[k] c. 12, 26. [l] c. 13, 1. 33. 36. [m] c. 1, 4. 17. 10, 9. [n] cf. v. 9. [o] c. 8, 19. Hebr. 1, 3.

12. Alioquin propter[p] opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis: Qui credit[q] in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet; quia ego ad Patrem vado.

13. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam; ut glorificetur Pater in Filio.

14. Si quid[r] petieritis me in nomine meo, hoc faciam.

15. Si diligitis[s] me, mandata mea servate.

16. Et ego rogabo Patrem, et alium[t] Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum,

17. spiritum veritatis, quem[u] mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum; quia apud vos manebit, et in vobis erit.

18. Non[v] relinquam vos orphanos; veniam ad vos.

19. Adhuc modicum! et mundus me jam non videt. Vos autem[w] videtis me; quia ego vivo, et vos vivetis[x].

20. In illo die vos cognoscetis, quia[y] ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis.

21. Qui habet[z] mandata mea et servat ea, ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum.

22. Dicit ei Judas[a], non ille Iscariotes: Domine! quid factum

[p] c. 5, 36. [q] Matth. 21, 21. Marc. 16, 17. [r] c. 15, 7. 16, 23. [s] v. 21. 23. 15, 10. 1 Joh. 2, 5. 5, 3. [t] v. 26. 15, 26. 16, 7. 13. Luc. 24, 49. [u] 1 Cor. 2, 14. [v] Matth. 28, 20. [w] c. 16, 16. 22. [x] c. 10, 28. Eph. 1, 22. [y] c. 10, 38. [z] cf. v. 15. [a] Act. 1, 13. Jud. 1.

Cap. XIV. 7. cognoscitis. 13. petieritis (*omiss.* patrem). 17. cognoscitis. 22. ille Scariotis.

est; quia[b] manifestaturus es nobis te ipsum, et non mundo?

23. Respondit Jesus, et dixit ei: Si quis[c] diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum[d] veniemus, et mansionem apud eum faciemus;

24. qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem, quem audistis, non est meus; sed ejus, qui misit me, Patris.

25. Haec locutus sum vobis, apud vos manens;

26. paracletus[e] autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis.

27. Pacem[f] relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.

28. Audistis[g], quia ego dixi vobis: Vado, et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est.

29. Et nunc dixi vobis, prius, quam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis.

30. Jam non multa loquar vobiscum; venit enim princeps[h] mundi hujus, et in me non habet quidquam.

31. Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, et sicut[i] mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc!

[b] v. 19. Act. 10, 41. [c] cf. c. 15. [d] v. 20. 21. [e] v. 16. [f] c. 16, 33. Rom. 14, 17. Phil. 4, 7. [g] v. 3. 18. [h] c. 12, 31. Luc. 22, 53. [i] c. 10, 18.

CAP. XV.

Allegoria de Christo vite, de patre vinitore, de palmitibus discipulis. Lex dilectionis mutuae apostolis Jesu amicis commendatur, corroborantur adversus calamitates. Judaeis non ulla excusatio est.

1. Ego sum vitis vera; et Pater meus agricola est.

2. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet[k] eum; et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat[l].

3. Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.

4. Manete in me; et ego in vobis! Sicut palmes non potest ferre fructum a semet ipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis.

5. Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil[m] potestis facere.

6. Si quis in me non manserit; mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet[n].

7. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint; quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis[o].

8. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli.

9. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea!

10. Si praecepta mea servaveritis, manebitis[p] in dilectione mea, sicut et ego Patris mei prae-

[k] Matth. 7, 19. [l] Matth. 13, 12. [m] 2 Cor. 3, 5. [n] Matth. 3, 10. [o] c. 14, 14. [p] c. 14, 15.

Cap. XIV. 22. nobis manifestaturus es. 23. mansiones. 24. me misit. 30. quicquam. XV. 6. aruit; *ibid.* eos; *ibid.* mittunt et ardent.

cepta servavi, et maneo in ejus dilectione.

11. [q] Haec locutus sum vobis; ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur.

12. Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem[r], sicut dilexi vos.

13. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis[s] suis.

14. Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipio vobis.

15. Jam non dicam vos servos[t]; quia servus nescit, quid faciat dominus ejus; vos autem dixi amicos; quia omnia, quaecumque audivi a Patre meo, nota[u] feci vobis.

16. Non vos me elegistis; sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat; ut, quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det[v] vobis.

17. Haec mando vobis, ut diligatis invicem.

18. Si mundus vos odit, scitote! quia me priorem vobis odio habuit[w].

19. Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit[x] vos mundus.

20. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis[y]; non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur; si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt.

[q] c. 16, 33. [r] c. 13, 34. [s] c. 3, 16. 10, 11. 1 Joh. 3, 16. [t] Rom. 8, 15. [u] Matth. 13, 11. [v] c. 14, 13. [w] c. 7, 7. Matth. 5, 11. 12. [x] c. 17, 14. [y] c. 13, 16.

21. Sed haec omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt[z] eum, qui misit me.

22. Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo[a].

23. Qui me odit, et Patrem meum odit[b].

24. Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem et viderunt, et oderunt et me et Patrem meum[c].

25. Sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: „Quia odio habuerunt me gra„tis.“[d]

26. Cum autem venerit Paracletus[e], quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me;

27. et vos testimonium perhibebitis[f], quia ab initio mecum estis.

CAP. XVI.

Praedicuntur discipulis persecutiones. De effectu mittendi Spiritus sancti. Similitudo de muliere pariente. A Patre petas Christi nomine. Fuga discipulorum praenuntiatur.

1. Haec[g] locutus sum vobis, ut non scandalizemini[h].

2. Absque synagogis facient vos; sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo[i].

3. Et haec facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.

[z] c. 16, 3. 1 Cor. 2, 8. [a] Matth. 11, 23. [b] 1 Joh. 5, 10. [c] c. 10, 37—39. [d] Ps. 68, 5. [e] c. 14, 16. [f] Act. 5, 32. [g] c. 15, 18—25. [h] c. 13, 19. [i] Act. 6, 11. sqq.

Cap. XV. 13. quis ponat. 15. dico vos; *ibid.* facit. 25. impleatur; *ibid.* me habuerunt gratis. 27. perhibetis. XVI. 1. vos. 3. facient, quia (*omiss.* vobis).

4. Sed haec locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini[k], quia ego dixi vobis.

5. Haec autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram. Et nunc vado ad eum, qui misit me; et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis?

6. Sed quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.

7. Sed ego veritatem dico vobis; expedit vobis, ut ego vadam; si enim non abiero, Paracletus[l] non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.

8. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia[m], et de judicio.

9. De peccato quidem; quia non crediderunt in me;

10. de justitia vero; quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me;

11. de judicio autem; quia princeps hujus mundi[n] jam judicatus est.

12. Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo[o].

13. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semet ipso; sed quaecumque audiet[p], loquetur, et quae ventura sunt, annunciabit vobis.

14. Ille me clarificabit; quia de meo accipiet, et annunciabit vobis.

15. Omnia, quaecumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: Quia de meo accipiet, et annunciabit vobis.

16. Modicum, et jam non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me; quia vado ad Patrem[q].

17. Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem: Quid est hoc, quod dicit nobis: Modicum, et non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me; et, quia vado ad Patrem?

18. Dicebant ergo: Quid est hoc, quod dicit, modicum? nescimus quid loquitur.

19. Cognovit autem Jesus, quia volebant eum interrogare, et dixit eis: De hoc quaeritis inter vos, quia dixi, Modicum, et non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me.

20. Amen, amen dico vobis: Quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium[r].

21. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus; cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum[s].

22. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum; et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

23. Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

24. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo; petite,

[k] c. 13, 19. [l] c. 7, 39. Act. 2, 33. [m] Rom. 8, 33. [n] c. 12, 31. [o] 1 Cor. 3, 2. [p] 1 Cor. 2, 10.

[q] v. 19. 28. [r] Luc. 22, 28—30. [s] c. 12, 24.

Cap. XVI. 5. me misit. 9. credunt. 11. mundi hujus. 13. in omnem. 22. habebitis.

et accipietis[t]! ut gaudium vestrum sit plenum.
25. Haec in proverbiis[u] locutus sum vobis; venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annunciabo vobis.
26. In illo die in nomine meo petetis; et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis;
27. ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis, quia ego a Deo exivi.
28. Exivi[v] a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado[w] ad Patrem.
29. Dicunt ei discipuli ejus: Ecce! nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis.
30. Nunc scimus, quia scis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget; in hoc credimus, quia a Deo existi.
31. Respondit eis Jesus: Modo creditis?
32. Ecce! venit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis[x]; et non sum solus[y], quia Pater mecum est.
33. Haec locutus sum vobis, ut in me pacem[z] habeatis. In mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum.

CAP. XVII

Oratio Christi ad Patrem pro discipulis et discipulis discipulorum.

1. Haec locutus est Jesus; et sublevatis oculis in coelum, dixit: Pater! venit hora, clarifica[a] filium tuum, ut filius tuus clarificet[b] te.
2. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis[c], ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam aeternam.
3. Haec est autem vita aeterna: Ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum[d].
4. Ego te clarificavi super terram; opus[e] consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam;
5. et nunc clarifica me, tu, Pater! apud temet ipsum claritate, quam habui priusquam mundus esset, apud te[f].
6. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo[g]. Tui erant[h], et mihi eos dedisti; et sermonem tuum servaverunt.
7. Nunc cognoverunt[i], quia omnia, quae dedisti mihi, abs te sunt;
8. quia verba, quae dedisti mihi, dedi eis; et ipsi acceperunt, et cognoverunt vere, quia a te exivi, et crediderunt, quia tu me misisti.
9. Ego pro eis rogo; non pro mundo[k] rogo, sed pro his, quos dedisti mihi; quia tui sunt.
10. Et mea omnia, tua sunt, et tua, mea sunt; et clarificatus sum in eis.
11. Et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio. Pater sancte! serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum[l], sicut et nos.
12. Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo.

[t] c. 15, 7. [u] v. 12. [v] c. 8, 42. [w] c. 6, 63. [x] Marc. 14, 50. [y] c. 8, 29. [z] c. 14, 27. [a] v. 5.

[b] v. 4. [c] Matth. 11, 27. [d] 1 Cor. 8, 4—6. [e] v. 6. [f] v. 24. c. 6, 63. [g] c. 1, 18. [h] c. 8, 47. [i] c. 16, 30. [k] c. 16, 8. [l] v. 21. c. 10, 30.

Cap. XVI. 26. illo die. 27. amatis; *ibid.* quia (*omiss.* ego). 33. in mundum (*sic*); *ibid.* confidete.

Quos dedisti mihi, custodivi; et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis[m], ut Scriptura impleatur.

13. Nunc autem ad te venio; et haec loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semet ipsis.

14. Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit[n], quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo.

15. Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo[o].

16. De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo.

17. Sanctifica eos in veritate! Sermo tuus veritas est!

18. Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos[p] in mundum.

19. Et pro eis ego sanctifico me ipsum; ut sint et ipsi sanctificati in veritate[q].

20. Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me;

21. ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint; ut credat mundus, quia tu me misisti.

22. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis; ut sint unum, sicut et nos unum sumus[r].

23. Ego in eis, et tu in me; ut sint consummati in unum; et cognoscat mundus, quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti.

24. Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum[s]; ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi; quia dilexisti me ante constitutionem mundi[t].

25. Pater juste! mundus te non cognovit[u]; ego autem te cognovi; et hi cognoverunt[v], quia tu me misisti.

26. Et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam; ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis[w] sit, et ego in ipsis.

CAP. XVIII.

De Christo cum malis injuriisque conflictante narratio.

1. Haec cum dixisset Jesus[x], egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, et discipuli ejus.

2. [y] Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum, locum; quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis[z].

3. Judas ergo cum accepisset cohortem, et a Pontificibus et Pharisaeis ministros, venit illuc cum laternis et facibus, et armis.

4. Jesus itaque sciens[a] omnia, quae ventura erant super eum, processit, et dixit eis: Quem quaeritis?

5. Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus: Ego sum. Stabat autem et Judas, qui tradebat eum, cum ipsis.

6. Ut ergo dixit eis: Ego sum;

[m] c. 13, 18. [n] c. 15, 19. [o] v. 11. [p] Matth. 28, 19. [q] 1 Cor. 1, 30. [r] v. 11.

[s] c. 12, 26. 14, 3. [t] v. 5. [u] c. 8, 19. [v] v. 8. [w] c. 15, 9. [x] Matth. 26, 36. Marc. 14, 32. Luc. 22, 39. [y] v. 2—11. Matth. 26, 47—56. Marc. 14, 43—52. Luc. 22, 47—53. [z] Luc. 21, 37. [a] c. 2. 24. 25. 6, 65.

Cap. XVII. 12. ex his peribit. 14. odio eos. 15. ex malo. 18. me misisti (*omiss.* tu). 20. non pro his (*bis*). 21. mundus credat. 22. dedi illis; *ibid.* sicut nos (*omiss.* et). 24. ego sum. 25. et mundus te. XVIII. 4. dicit.

abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram.

7. Iterum ergo interrogavit eos: Quem quaeritis? Illi autem dixerunt: Jesum Nazarenum.

8. Respondit Jesus: Dixi vobis, quia ego sum; si ergo me quaeritis, sinite hos abire;

9. ut impleretur sermo, quem dixit: Quia, „quos dedisti mihi, „non perdidi ex eis quemquam."[b]

10. Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, et percussit pontificis servum, et abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus.

11. Dixit ergo Jesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam! Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum[c]?

12. [d] Cohors ergo et tribunus, et ministri Judaeorum comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum;

13. et adduxerunt eum ad Annam primum; erat enim socer Caiphae, qui erat pontifex anni illius.

14. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Judaeis: Quia expedit unum hominem mori pro populo[e].

15. [f] Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, et alius[g] discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, et introivit cum Jesu in atrium pontificis[h].

16. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, et dixit ostiariae, et introduxit Petrum.

17. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: Numquid et tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum.

18. Stabant autem servi et ministri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant se; erat autem cum eis et Petrus stans, et calefaciens se.

19. Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis, et de doctrina ejus.

20. Respondit ei Jesus: Ego palam locutus sum mundo; ego semper docui in synagoga, et in templo, quo omnes Judaei conveniunt; et in occulto locutus sum nihil[i].

21. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt, quid locutus sim ipsis; ecce! hi sciunt, quae dixerim ego.

22. Haec autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam[k] Jesu, dicens: Sic respondes pontifici?

23. Respondit ei Jesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me caedis[l]?

24. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.

25. Erat autem Simon Petrus stans, et calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Numquid et tu ex discipulis ejus es? Negavit ille, et dixit: Non sum.

26. Dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus ejus, cujus

[b] c. 17, 12. [c] c. 10, 18. Matth. 26, 42. [d] v. 12—14. Matth. 26, 57. sqq. Marc. 14, 53. sqq. Luc. 22, 54. sqq. [e] c. 11. 50. [f] v. 15—18. 25—27. Matth. 26, 69—75. Marc. 14, 66. sqq. Luc. 22, 56. sqq. [g] c. 20, 2. sqq. [h] v. 24.

[i] Luc. 4, 15. [k] Act. 23, 2. 3. [l] 1 Petr. 2, 23.

Cap. XVIII. 7. eos interrogavit. 9. ex ipsis. 10. ejus auriculam; *ibid.* dextram. 11. gladium (*omiss.* tuum); *ibid.* illam. 16. discipulus ille, qui. 19. de discipulis (*omiss.* suis). 21. locutus sum. 22. adsistens, *ibid.* respondis. 24. Caiaphan. 26. dicit unus (*omiss.* ei).

abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo?

27. Iterum ergo negavit Petrus; et statim gallus cantavit[m].

28. Adducunt ergo Jesum a Caipha in praetorium. Erat autem mane; et ipsi non introierunt in praetorium[n], ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.

29. Exivit ergo Pilatus ad eos foras, et dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?

30. Responderunt, et dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.

31. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, et secundum legem vestram[o] judicate eum. Dixerunt ergo ei Judaei: Nobis non licet interficere quemquam;

32. ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans, qua morte esset moriturus[p].

33. [q] Introivit ergo iterum in praetorium Pilatus, et vocavit Jesum, et dixit ei: Tu es rex Judaeorum?

34. Respondit Jesus: A temet ipso hoc dicis? an alii dixerunt tibi de me?

35. Respondit Pilatus: Numquid ego Judaeus sum? Gens tua et pontifices tradiderunt te mihi; quid fecisti?

36. Respondit Jesus: Regnum meum non est de hoc mundo; si ex hoc mundo[r] esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judaeis; nunc autem regnum meum non est hinc.

37. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis, quia rex sum ego[s]. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati; omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam.

38. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judaeos, et dicit eis: Ego nullam invenio in eo causam[t]!

39. Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha; vultis ergo dimittam vobis regem Judaeorum?

40. Clamaverunt ergo rursum omnes, dicentes: Non hunc, sed Barabbam! Erat autem Barabbas latro.

CAP. XIX.

De Christo vexato, moribundo, mortuo, sepulto.

1. Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit[u].

2. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus; et veste purpurea circumdederunt eum.

3. Et veniebant ad eum, et dicebant: Ave, rex Judaeorum! et dabant ei alapas[v].

4. Exivit ergo iterum Pilatus foras, et dicit eis: Ecce! adduco vobis eum foras, ut cognoscatis,

[m] c. 13, 38. [n] Matth. 27, 2. [o] Act. 18, 14. 15. [p] c. 12, 32. [q] v. 33—19, 16. Matth. 27, 11—31. Marc. 15, 2—20. Luc. 23, 1—25. [r] c. 6, 15. Luc. 22, 25. sq.

[s] 1 Cor. 15, 25. [t] c. 19, 4. 6. [u] Matth. 27, 26. [v] Matth. 26, 67.

Cap. XVIII. 28. a Caiapha; *ibid.* sed manducarent (*omiss.* ut). 29. adfertis. 31. ergo Judaei (*omiss.* ei). 32. qua esset morte. 34. et respondit Jesus; *ibid.* tibi dixerunt. 36. de mundo hoc; *ibid.* decertarent (*omiss.* utique); *ibid.* meum regnum. 37. meam vocem. 40. clamaverunt rursum (*omiss.* ergo). XIX. 1. adprehendit. 3. have. 4. exiit iterum (*omiss.* ergo).

quia nullam invenio in eo causam.

5. (Exivit ergo Jesus portans coronam spineam et purpureum vestimentum.) Et dicit eis: Ecce homo!

6. Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum! Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, et crucifigite! ego enim non invenio in eo causam.

7. Responderunt ei Judaei: Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit[w].

8. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit.

9. Et ingressus est praetorium iterum, et dixit ad Jesum: Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei.

10. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris! nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te?

11. Respondit Jesus: Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper; propterea, qui me tradidit tibi, majus peccatum habet[x].

12. Et exinde quaerebat Pilatus dimittere eum; Judaei autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris[y]! Omnis enim, qui se regem facit, contradicit Caesari.

13. Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum; et sedit pro tribunali, in loco, qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabbatha.

14. Erat autem Parasceve Paschae, hora quasi sexta, et dicit Judaeis: Ecce rex vester!

15. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum! Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices: Non habemus Regèm, nisi Caesarem.

16. Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt.

17. [z]Et bajulans sibi crucem[a], exivit in eum, qui dicitur Calvariae, locum, Hebraice autem Golgotha;

18. ubi crucifixerunt eum, et cum eo alios duos, hinc et hinc, medium autem Jesum.

19. Scripsit autem et titulum Pilatus, et posuit super crucem. Erat autem scriptum: JESUS NAZARENUS, REX JUDAEORUM.

20. Hunc ergo titulum multi Judaeorum legerunt; quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus; et erat scriptum Hebraice, Graece et Latine.

21. Dicebant ergo Pilato pontifices Judaeorum: Noli scribere, Rex Judaeorum; sed, quia ipse dixit: Rex sum Judaeorum.

22. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi!

23. Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus (et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem),

[w] Matth. 26, 63—66. [x] Act. 4, 26—28. [y] Act. 5, 29.

[z] v. 17—42. Matth. 27, 32—66. Marc. 15, 21—47. Luc. 23, 26—56. [a] Jes. 53, 4. sqq.

Cap. XIX. 4. quia in eo nullam causam invenio. 5. exiit; *ibid.* spineam coronam. 6. crucifige (*omiss.* eum). 9. dicit ad. 11. esset datum; *ibid.* tradidit me tibi. 13. Pilatus ergo; *ibid.* in locum; *ibid.* Lithostrotus. 15. dixit. 16. et duxerunt. 17. hebraice (*omiss.* autem). 18. eum crucifixerunt. 20. legerunt Judaeorum. 21. dicebant ergo pontifices (*omiss.* Pilato).

et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.

24. Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cujus sit; ut Scriptura impleretur, dicens: „Partiti sunt vestimenta mea sibi: „et in vestem meam miserunt sortem.“ [b] Et milites quidem haec fecerunt.

25. Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus, Maria Cleophae [c], et Maria Magdalene.

26. Cum vidisset ergo Jesus matrem, et discipulum stantem, quem diligebat [d], dicit matri suae: Mulier, ecce, filius tuus!

27. Deinde dicit discipulo: Ecce, mater tua! Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

28. Postea sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura [e], dixit: Sitio!

29. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus.

30. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est! Et inclinato capite, tradidit spiritum.

31. Judaei ergo (quoniam Parasceve erat), ut non remanerent in cruce corpora Sabbato [f] (erat enim magnus dies ille Sabbati), rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, et tollerentur.

32. Venerunt ergo milites; et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo.

33. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura,

34. sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua.

35. Et qui vidit, testimonium perhibuit; et verum est testimonium ejus; et ille scit, quia vera dicit; ut et vos credatis [g].

36. Facta sunt enim haec, ut Scriptura impleretur: „Os non „comminuetis ex eo.“ [h]

37. Et iterum alia Scriptura dicit: „Videbunt, in quem trans„fixerunt.“ [i]

38. Post haec autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathaea [eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judaeorum [k]], ut tolleret corpus Jesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, et tulit corpus Jesu.

39. Venit autem et Nicodemus [l], qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhae et aloës, quasi libras centum.

40. Acceperunt ergo corpus Jesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judaeis sepelire.

41. Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus; et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat.

42. Ibi ergo propter Parasce-

[b] Ps. 21, 19. [c] Luc. 24, 18. [d] c. 13, 23. [e] Ps. 68, 22. [f] Deut. 21, 22. sq.

[g] c. 21, 24. [h] Exod. 12, 46. Psalm. 33, 21. [i] Zach. 12, 10. [k] c. 7, 13. [l] c. 3, 2.

Cap. XIX. 24. impleatur. 25. Maria Cleopae. 28. quia jam omnia; *ibid.* dicit. 29. positum erat; *ibid.* hysopo. 35. ejus testimonium. 36. impleatur. 38. Arimathia. 39. murrae. 40. ligaverunt eum; *ibid.* mos Judaeis est.

ven Judaeorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum.

CAP. XX.

Christus in vitam revocatus praesentia sua multos recreat.

1. [m]Una autem Sabbati, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebrae essent, ad monumentum, et vidit lapidem sublatum a monumento.

2. Cucurrit ergo, et venit ad Simonem Petrum et ad alium discipulum, quem amabat Jesus[n], et dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus, ubi posuerunt eum.

3. Exiit ergo Petrus, et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum.

4. Currebant autem duo simul, et ille alius discipulus praecucurrit citius Petro, et venit primus ad monumentum.

5. Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introivit.

6. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum, et vidit linteamina posita,

7. et sudarium, quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum.

8. Tunc ergo introivit et ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum; et vidit, et credidit[o].

9. Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere.

m v. 1—18. Matth. 28, 1—15. Marc. 16, 1—14. Luc. 24, 1—12. n c. 13, 23. o Luc. 24, 25.

10. Abierunt ergo iterum discipuli ad semet ipsos.

11. Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum;

12. Et vidit duos angelos in albis, sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu.

13. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, et nescio, ubi posuerunt eum.

14. Haec cum dixisset, conversa est retrorsum, et vidit Jesum stantem; et non sciebat[p], quia Jesus est.

15. Dicit ei Jesus: Mulier, quid ploras? quem quaeris? Illa existimans, quia hortulanus esset, dicit ei: Domine! si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum; et ego eum tollam.

16. Dicit ei Jesus: Maria! Conversa illa, dicit ei: Rabboni! (quod dicitur Magister.)

17. Dicit ei Jesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum; vade autem ad fratres meos[q], et dic eis: Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum[r].

18. Venit Maria Magdalene annuncians discipulis: Quia vidi Dominum, et haec dixit mihi.

19. Cum ergo sero esset die illo, una sabbatorum, et fores essent clausae, ubi erant discipuli congregati[s] propter metum Judaeorum; venit Jesus, et stetit in medio, et dixit eis: Pax vobis!

p Luc. 24, 16. q Matth. 28, 10. r Ebr. 2, 11. s Marc. 16, 14. Luc. 24, 36.

Cap. XX. 1. et videt. 2. dicit eis. 5. videt. 6. videt. 7. supra. 9. sciebat; *ibid.* oporteret. 10. ad semet ipsos discipuli. 14. et videt. 19. esset ergo sero; *ibid.* discipuli propter (*omiss.* congregati).

20. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus[t]. Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino.

21. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis! Sicut misit me Pater, et ego mitto vos[u].

22. Haec cum dixisset, insufflavit[v]; et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum!

23. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt[w].

24. Thomas autem unus ex duodecim[x], qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Jesus.

25. Dixerunt ergo ei alii discipuli: Vidimus Dominum! Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus[y], non credam.

26. Et post dies octo, iterum erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis. Venit Jesus, januis clausis, et stetit in medio, et dixit: Pax vobis!

27. Deinde dicit Thomae: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas; et affer manum tuam, et mitte in latus meum; et noli esse incredulus, sed fidelis[z].

28. Respondit Thomas, et dixit ei: Dominus meus et Deus meus!

29. Dixit ei Jesus: Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati, qui non viderunt[a], et crediderunt.

30. Multa[b] quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc.

31. Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes[c] vitam[d] habeatis in nomine ejus.

CAP. XXI.

De Christo piscantibus apostolis occurrente. De Petro amante Christum, hunc amorem obtestante, et in causa Jesu subituro mortem.

1. Postea manifestavit se iterum[e] Jesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic:

2. Erant simul Simon Petrus, et Thomas, qui dicitur Didymus, et Nathanaël, qui erat a Cana Galilaeae, et filii Zebedaei, et alii ex discipulis ejus duo.

3. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus et nos tecum. Et exierunt, et ascenderunt in navim; et illa nocte nihil prendiderunt.

4. Mane autem facto, stetit Jesus in littore; non tamen cognoverunt[f] discipuli, quia Jesus est.

5. Dixit ergo eis Jesus: Pueri, numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non.

6. Dicit eis: Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis. Miserunt ergo; et jam non valebant illud trahere prae multitudine[g] piscium.

7. Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat[h] Jesus, Petro: Dominus est! Simon Petrus cum

[t] v. 27. [u] c. 17, 18. [v] Genes. 2, 7. [w] Matth. 16, 19. [x] c. 11, 16. [y] c. 19, 34. [z] v. 20. [a] Ebr. 11, 1. [b] c. 21, 25.

[c] Luc. 1, 4. [d] c. 5, 24. [e] c. 20, 19. 26. [f] c. 20, 14. [g] Luc. 5, 6. [h] c. 13, 23.

Cap. XX. 20. et hoc cum. 22. dicit. 23. remittentur. 27. et adfer. 29. vidisti me (*omiss.* Thoma). XXI. 1. iterum Jhesus (*omiss.* discipulis). 3. ascenderunt in noctem (*sic! per errorem*). 4. jam facto; *ibid.* litore. 5. dicit. 6. dixit eis; *ibid.* a multitudine. 7. dicit ergo.

audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus), et misit se in mare.

8. Alii autem discipuli navigio venerunt (non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis): trahentes rete piscium.

9. Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositum, et panem.

10. Dicit eis Jesus: Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc.

11. Ascendit Simon Petrus, et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus, centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete.

12. Dicit eis Jesus: Venite, prandete! Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es? scientes, quia Dominus est.

13. Et venit Jesus, et accipit panem, et dat eis, et piscem similiter[i].

14. Hoc jam tertio[k] manifestatus est Jesus discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis.

15. Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis! diligis me plus his[l]? Dicit ei: Etiam, Domine! tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos[m] meos!

16. Dicit ei iterum: Simon Joannis! diligis me? Ait illi: Etiam, Domine! tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos!

17. Dicit ei tertio: Simon Joannis! amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio: Amas me? et dixit ei: Domine! tu omnia nosti[n]; tu scis, quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas!

18. Amen, amen dico tibi: Cum esses junior, cingebas te, et ambulabas, ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet, quo tu non vis[o].

19. Hoc autem dixit, significans, qua morte clarificaturus esset Deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me!

20. Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, qui et recubuit in coena super pectus ejus, et dixit: Domine, quis est, qui tradet te[p]?

21. Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Jesu: Domine, hic autem quid?

22. Dicit ei Jesus: Sic eum volo manere, donec veniam[q], quid ad te? tu me sequere!

23. Exiit sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jesus: Non moritur; sed: Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?

24. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec; et scimus, quia verum est testimonium ejus[r].

25. Sunt autem et alia multa[s], quae fecit Jesus; quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

[i] Act. 10, 41. [k] c. 20, 19. 26. [l] Matth. 26, 33. [m] c. 10, 3. 11. [n] c. 2, 25. [o] c. 13, 36. [p] c. 13, 23. 25. [q] c. 14, 3. [r] c. 19, 35. [s] c. 20, 30.

Cap. XXI. 8. trahentes rete piscium (*haec verba in Codice ad marginem minusculis literis scripta sunt*). 10. prendistis. 12. Dominus esset. 13. accepit. 14. discipulis (*omiss.* suis). 15. Johannis. 17. tu omnia scis. 18. quo non vis (*omiss.* tu). 20. cena; *ibid.* tradit. 21. dicit. 23. exivit; *ibid.* in fratres. 25. mundum capere eos (*omiss.* posse).

ACTUS APOSTOLORUM.

CAP. I.

Promittitur apostolis Spiritus sanctus. Apostolorum nomina. De Matthiae ad apostolicam dignitatem electione.

1. Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile[a], quae coepit Jesus facere et docere

2. usque in diem, qua praecipiens[b] Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est;

3. quibus et praebuit se ipsum vivum post passionem suam in multis argumentis[c], per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei.

4. Et convescens, praecepit eis, ab Ierosolymis ne discederent[d], sed exspectarent promissionem Patris, quam audistis[e], inquit, per os meum;

5. quia Joannes quidem baptizavit aqua[f], vos autem baptizabimini Spiritu sancto[g] non post multos hos dies.

6. Igitur, qui convenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine! si in tempore hoc restitues regnum Israel[h]?

7. Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora vel momenta[i], quae Pater posuit in sua potestate;

8. sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Judaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae[k].

9. Et cum haec dixisset, videntibus illis, elevatus est; et nubes[l] suscepit eum ab oculis eorum.

10. Cumque intuerentur in coelum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis,

11. qui et dixerunt: Viri Galilaei, quid statis aspicientes in coelum? hic Jesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet[m], quemadmodum vidistis eum euntem in coelum.

12. Tunc reversi sunt Ierosolymam, a monte, qui vocatur Oliveti, qui est juxta Ierusalem, sabbati habens iter.

13. Et cum introissent in coenaculum, ascenderunt, ubi manebant[n] Petrus et Joannes, Jacobus et Andreas, Philippus et Thomas, Bartholomaeus et Matthaeus, Jacobus Alphaei, et Simon Zelotes, et Judas Jacobi.

14. Hi omnes erant perseve-

[a] Luc. 1, 3. [b] Matth. 28, 19. Joh. 20, 21. [c] Joh. 21, 14. [d] Luc. 24, 49. [e] Joh. 14, 16. [f] Matth. 3, 11. [g] c. 2, 4. [h] Luc. 24, 21.

[i] Matth. 24, 36. [k] Rom. 10, 18. [l] Luc. 24, 51. [m] Luc. 21, 27. Ebr. 9, 28. [n] Matth. 10, 2—4.

Cap. I. 4. *Deest* inquit. 5. baptizamini. 6. qui convenerunt. 13. Mathaeus; *ibid.* Alfei Simon.

rantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus[o] ejus.

15. In diebus illis exsurgens Petrus in medio fratrum dixit (erat autem turba hominum simul, fere centum viginti):

16. Viri fratres! oportet impleri Scripturam[p], quam praedixit Spiritus sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum;

17. qui connumeratus[q] erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus.

18. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis et suspensus[r] crepuit medius; et diffusa sunt omnia viscera ejus.

19. Et notum factum est omnibus habitantibus Ierusalem, ita, ut appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldama, hoc est, ager sanguinis.

20. Scriptum est enim in libro Psalmorum: „Fiat commoratio „eorum deserta, et non sit, qui „inhabitet in ea: et, Episcopa„tum ejus accipiat alter.“[s]

21. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus[t],

22. Incipiens a baptismate Joannis usque in diem, qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.

23. Et statuerunt duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, et Matthiam.

24. Et orantes dixerunt: Tu, Domine! qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum,

25. accipere locum ministerii hujus et Apostolatus, de quo praevaricatus est Judas, ut abiret in locum suum.

26. Et dederunt sortes eis, et cecidit sors super Matthiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis.

[o] Marc. 6, 3. [p] Joh. 13, 18. [q] Luc. 6, 16. [r] Matth. 27, 5. sqq. [s] Psalm. 68, 26. 108, 8. [t] Joh. 15, 27.

CAP. II.

De Spiritus sancti adventu. Ad primam Petri orationem tria millia Christo addicunt nomina. De primorum discipulorum vita et moribus.

1. Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes[u] pariter in eodem loco;

2. Et factus est repente de coelo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit[v] totam domum, ubi erant sedentes.

3. Et apparuerunt illis dispertitae linguae tamquam ignis[w], seditque supra singulos eorum.

4. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et coeperunt loqui variis linguis[x], prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.

5. Erant autem in Ierusalem habitantes Judaei, viri religiosi ex omni natione, quae sub coelo est.

6. Facta autem hac voce, convenit multitudo, et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes.

[u] c. 1, 14. [v] c. 4, 31. [w] Matth. 3, 11. [x] c. 10, 46. 11, 15. 19, 6. Marc. 16, 17. 1 Cor. 12, 10.

Cap. I. 17. qui connumeratus (*alia manus literis* co *superscripsit* a). 19. Acheldama. 20. habitatio ejus (*sic*). 21. congregati sunt. 23. qui vocatur Barsabba. 26. super Mathiam (*sed alia manu alterum* t *supra lineam notatum est*). II. 1. dies Pentecosten.

7. Stupebant autem omnes, et mirabantur, dicentes: Nonne ecce! omnes isti, qui loquuntur, Galilaei[y] sunt?

8. Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus?

9. Parthi, et Medi, et Aelamitae, et qui habitant Mesopotamiam, Judaeam, et Cappadociam, Pontum, et Asiam,

10. Phrygiam, et Pamphyliam, Aegyptum, et partes Libyae, quae est circa Cyrenen, et advenae Romani,

11. Judaei quoque, et Proselyti, Cretes, et Arabes; audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.

12. Stupebant autem omnes, et mirabantur ad invicem, dicentes: Quidnam vult hoc esse?

13. Alii autem irridentes dicebant: Quia musto pleni sunt isti.

14. Stans autem Petrus cum undecim levavit vocem suam, et locutus est eis: Viri Judaei, et qui habitatis Ierusalem universi! hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea.

15. Non enim, sicut vos aestimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia;

16. sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Joel[z]:

17. „Et erit in novissimis die-„bus (dicit Dominus) effundam „de Spiritu meo super omnem „carnem[a]; et prophetabunt filii „vestri et filiae vestrae, et juve-„nes vestri visiones videbunt, et „seniores vestri somnia somnia-„bunt.

18. „Et quidem super servos „meos et super ancillas meas in „diebus illis effundam de Spiritu „meo, et prophetabunt.

19. „Et dabo prodigia in coelo „sursum, et signa in terra deor-„sum, sanguinem, et ignem, et „vaporem fumi.

20. „Sol convertetur in tene-„bras, et luna in sanguinem, an-„tequam veniat dies Domini ma-„gnus et manifestus.

21. „Et erit: omnis, quicum-„que invocaverit nomen Domi-„ni, salvus erit.“[b]

22. Viri Israëlitae! audite verba haec: Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, et prodigiis, et signis, quae fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis;

23. hunc definito consilio, et praescientia[c] Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis;

24. quem Deus suscitavit[d], solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.

25. David enim dicit in eum: „Providebam Dominum in con-„spectu meo semper: quoniam a „dextris est mihi, ne commove-„ar;

26. „Propter hoc laetatum est „cor meum, et exultavit lingua „mea, insuper et caro mea re-„quiescet in spe;

27. „quoniam non derelinques „animam meam in inferno, nec

[y] Marc. 14, 70. [z] Joel c. 3, 1. sqq. [a] c 10, 45.

[b] Rom. 10, 13. [c] Luc. 22, 22. [d] v. 32.

Cap. II. 7. omnes ecce isti. 9. Mesopotamiam et Judaeam (*sic*). 11. loquentes eos. 12. vult esse. 22. per illum Deus; *ibid.* sicut vos (*deest* et). 23. consilio praescientia (*deest* et); *ibid.* adfigentes. 25. Dominum coram me semper quoniam a. 26. delectatum est; *ibid.* requiescit.

„dabis sanctum tuum videre corruptionem.

28. „Notas mihi fecisti vias „vitae, et replebis me jucunditate „cum facie tua.“[e]

29. Viri fratres! liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus est, et sepultus; et sepulcrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem[f].

30. Propheta igitur cum esset, et sciret, quia jurejurando jurasset illi Deus „de fructu lumbi „ejus sedere super sedem ejus;“[g]

31. providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.

32. Hunc Jesum resuscitavit[h] Deus, cujus omnes nos testes sumus.

33. Dextera igitur Dei exaltatus, et promissione[i] Spiritus sancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis et auditis.

34. Non enim David ascendit in coelum; dixit autem ipse: „Di- „xit Dominus Domino meo: Se- „de a dextris meis,

35. „donec ponam inimicos „tuos scabellum pedum tuo- „rum.“[k]

36. Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum eum, et Christum[l] fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis.

37. His autem auditis, compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum, et ad reliquos Apostolos: Quid faciemus[m], viri fratres?

38. Petrus vero ad illos: Poenitentiam[n] (inquit) agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum; et accipietis donum Spiritus sancti[o].

39. Vobis enim est repromissio, et filiis vestris, et omnibus, qui longe sunt[p], quoscumque advocaverit Dominus Deus noster.

40. Aliis etiam verbis plurimis testificatus est, et exhortabatur eos, dicens: Salvamini a generatione ista prava!

41. Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt; et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia[q].

42. Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus.

43. Fiebat autem omni animae timor; multa quoque prodigia et signa per Apostolos in Ierusalem fiebant, et metus erat magnus in universis.

44. Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, et habebant omnia communia.

45. Possessiones et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.

46. Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis[r],

[e] Ps. 15, 8. sqq. [f] 3 Reg. 2, 10. [g] 2 Reg. 7, 12. Ps. 88, 4. sqq. [h] c. 4, 33. [i] c. 1, 4. Luc. 24, 49. Joh. 16, 7. [k] Ps. 109, 1. [l] Joh. 5, 31.

[m] Joh. 16, 30. [n] Matth. 3, 2. Luc. 24, 47. [o] c. 19, 6. [p] c. 10, 47. [q] v. 47. [r] c. 4, 32. sqq.

Cap. II. 29. quoniam et defunctus est, et sepultus est. 30. de fructu ventris. 34. in caelos; *ibid.* dicit autem; *ibid.* dicit Dominus. 35. scabillum. 36. ergo sciat; *ibid.* Deus fecit. 38. in nomine Domini Jesu Christi; *ibid.* sancti spiritus. 41. in illa die; *ibid.* tria milia. 43. fiebant in Hierusalem. 46. cotidie (*ita semper*); *ibid.* circa domus.

47. collaudantes Deum, et habentes gratiam ad omnem plebem[s]. Dominus autem augebat[t], qui salvi fierent quotidie in id ipsum.

CAP. III.

Vir ab utero matris claudus sanatur. Christus Messias per Prophetas promissus praedicatur.

1. Petrus autem et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.

2. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suae, bajulabatur; quem ponebant quotidie ad portam templi, quae dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum.

3. Is cum vidisset Petrum et Joannem incipientes introire in templum, rogabat, ut eleemosynam acciperet.

4. Intuens autem in eum Petrus cum Joanne, dixit: Respice in nos!

5. At ille intendebat in eos, sperans, se aliquid accepturum ab eis.

6. Petrus autem dixit: Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jesu Christi Nazareni[u] surge, et ambula!

7. Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum et protinus consolidatae sunt bases ejus et plantae[v].

8. Et exiliens stetit, et ambulabat; et intravit cum illis in templum ambulans, et exiliens, et laudans Deum.

9. Et vidit omnis populus eum ambulantem, et laudantem Deum.

10. Cognoscebant autem illum, quod ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi; et impleti sunt stupore et extasi in eo, quod contigerat illi.

11. Cum teneret autem Petrum et Joannem, cucurrit omnis populus ad eos, ad porticum, quae appellatur Salomonis[w], stupentes.

12. Videns autem Petrus, respondit ad populum: Viri Israëlitae! quid miramini in hoc? aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare?

13. Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum, glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, et negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti[x];

14. vos autem sanctum et justum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis;

15. Auctorem vero vitae[y] interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis[z], cujus nos testes sumus.

16. Et in fide nominis ejus, hunc, quem vos vidistis et nostis, confirmavit nomen ejus; et fides[a], quae per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.

[s] c. 5, 13. [t] c. 4, 4. 6, 7. Matth. 13, 31. sqq. [u] c. 4, 10. 9, 34. [v] c. 14, 8. sq.

[w] c. 5, 12. 3 Reg. 6, 3. Joh. 10, 23. [x] Luc. 23, 20. [y] Joh. 10, 10. 28. 11, 25. [z] c. 2, 23. sqq. 36. [a] Matth. 8, 13.

Cap. III. 3. introire in templo. 6. hoc tibi dabo. 7. adprehensa ei manu. 10. quoniam ipse erat. 11. tenerent; *ibid.* concurrit; *ibid.* qui appellatur (*sic*). 12. quid ammiramini; *ibid.* aut pietate (*sic*). 13. Abraham, Deus Isaac (*deest* et). 16. quem vos videtis.

17. Et nunc, fratres! scio, quia per ignorantiam[b] fecistis, sicut et principes vestri;
18. Deus autem, quae praenunciavit per os omnium Prophetarum[c], pati Christum suum, sic implevit.
19. Poenitemini igitur et convertimini, ut deleantur peccata vestra[d];
20. ut cum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini, et miserit eum, qui praedicatus est vobis, Jesum Christum[e],
21. quem oportet quidem coelum suscipere usque in tempora restitutionis omnium, quae locutus est Deus per os sanctorum suorum a saeculo Prophetarum.
22. Moyses quidem dixit: „Quoniam Prophetam suscitabit „vobis Dominus Deus vester de „fratribus vestris, tanquam me; „ipsum audietis juxta omnia, „quaecumque locutus fuerit vo„bis.
23. „Erit autem: omnis ani„ma, quae non audierit Prophe„tam illum, exterminabitur de „plebe.“[f]
24. Et omnes Prophetae a Samuel, et deinceps, qui locuti sunt, annunciaverunt dies istos.
25. Vos estis filii Prophetarum[g], et testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham: „Et in semine „tuo benedicentur omnes fami„liae terrae.“[h]
26. Vobis primum[i] Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis; ut convertat se unusquisque a nequitia sua.

[b] 1 Cor. 2, 8. [c] Luc. 24, 44. [d] c. 2, 38. 17, 30. 31. [e] Joh. 14, 23. [f] Deut. 18, 15. Act. 7, 37. [g] Rom. 3, 2. [h] Gen. 22, 18. [i] c. 13, 46.

CAP. IV.

In solo Christo salutem esse, fortiter exponit Petrus. De apostolorum constantia. Discipulorum nemo quidquam habet proprium.

1. Loquentibus autem illis ad populum, supervenerunt Sacerdotes, et magistratus templi, et Sadducaei,
2. dolentes[k], quod docerent populum, et annunciarent in Jesum resurrectionem ex mortuis;
3. et injecerunt in eos manus, et posuerunt eos in custodiam in crastinum; erat enim jam vespera.
4. Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt; et factus est numerus virorum quinque millia[l].
5. Factum est autem in crastinum, ut congregarentur Principes eorum, et Seniores, et Scribae in Ierusalem;
6. et Annas princeps Sacerdotum, et Caiphas et Joannes, et Alexander, et quotquot erant de genere sacerdotali[m];
7. et statuentes eos in medio, interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?
8. Tunc repletus Spiritu sancto[n] Petrus, dixit ad eos: Principes populi, et Seniores, audite!
9. Si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est,

[k] c. 5, 33. 1 Cor. 1, 23. [l] c. 2, 41. 47. [m] Luc. 3, 2. [n] Matth. 10, 19.

Cap. III. 18. implevit sic. 19. vestra peccata. 21. caelum quidem. 22. quia prophetam vobis suscitavit. 24. sunt, et adnuntiaverunt. IV. 3. in eis manus. 4. quinque milia. 8. Tunc Petrus repletus spiritu sancto dixit; *ibid. deest* audite.

10. notum sit omnibus vobis, et omni plebi Israel: quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni[o], quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus.

11. Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis aedificantibus, qui factus est in caput anguli[p];

12. et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri[q].

13. Videntes autem Petri constantiam et Joannis, comperto, quod homines essent sine litteris, et idiotae, admirabantur, et cognoscebant eos, quoniam cum Jesu fuerant;

14. hominem quoque videntes stantem cum eis[r], qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere.

15. Jusserunt autem eos foras extra concilium secedere; et conferebant ad invicem,

16. dicentes: Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Ierusalem; manifestum est, et non possumus negare[s].

17. Sed ne amplius divulgetur in populum, comminemur eis[t], ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum.

18. Et vocantes eos, denunciaverunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jesu.

[o] c. 3, 6. [p] Matth. 21, 42. [q] Joh. 3, 36. 14, 6. 17, 3. [r] c. 3, 8. sqq. [s] c. 5, 38. sqq. [t] c. 5, 40.

19. Petrus vero et Joannes respondentes, dixerunt ad eos: Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicate[u]!

20. Non enim possumus, quae vidimus, et audivimus, non loqui.

21. At illi comminantes dimiserunt eos; non invenientes quomodo punirent eos, propter populum, quia omnes clarificabant[v] id, quod factum fuerat in eo, quod acciderat.

22. Annorum enim erat amplius quadraginta homo, in quo factum fuerat signum istud sanitatis.

23. Dimissi autem venerunt ad suos[w]; et annunciaverunt eis, quanta ad eos principes Sacerdotum et Seniores dixissent.

24. Qui cum audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, et dixerunt: Domine! tu es, qui fecisti coelum et terram, mare et omnia, quae in eis sunt;

25. qui Spiritu sancto per os Patris nostri David, pueri tui, dixisti: „Quare fremuerunt Gen„tes, et populi meditati sunt ina„nia?

26. „Astiterunt reges terrae, „et principes convenerunt in „unum, adversus Dominum, et „adversus Christum ejus."[x]

27. Convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti[y], Herodes et Pontius Pilatus cum Gentibus et populis Israel,

28. facere, quae manus tua et

[u] c. 5, 29. [v] c. 5, 26. [w] c. 1, 13. [x] Ps. 2, 1. [y] c. 2, 36.

Cap. IV. 10. *Deest* Domini nostri. 12. aliquo alio; *ibid.* nomen est aliud. 13. fuissent. 14. hominemque. 20. possumus /. nos quae (*sic antiqua manu scriptum legitur*, nos *supra* quae *cum hoc signo*). 24. Domine tu qui. 26. Adsteterunt.

consilium tuum decreverunt fieri [z].

29. Et nunc, Domine! respice in minas eorum, et da servis tuis cum omni fiducia [a] loqui verbum tuum,

30. in eo, quod manum tuam extendas ad sanitates, et signa, et prodigia fieri per nomen sancti Filii tui Jesu [b].

31. Et cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati; et repleti sunt omnes Spiritu sancto [c], et loquebantur verbum Dei cum fiducia.

32. Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una; nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia [d].

33. Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri; et gratia magna erat in omnibus illis.

34. Neque enim quisquam egens erat inter illos; quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes [e] afferebant pretia eorum, quae vendebant,

35. et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.

36. Joseph autem, qui cognominatus est Barnabas [f] ab Apostolis (quod est interpretatum Filius consolationis), Levites, Cyprius genere,

37. cum haberet agrum, vendidit eum, et attulit pretium, et posuit ante pedes Apostolorum.

z c. 3, 18. a Eph. 6, 19. b Marc. 16, 17. c c. 2, 1. 4. d c. 2, 44. sqq. e c. 2, 45. Luc. 12, 33. f c. 9, 27.

CAP. V.

De Ananiae et Saphirae morte repentina. E carcere liberantur apostoli, Christum praedicare pergunt gaudentes, quod pro Christo flagellis caesi fuerint.

1. Vir autem quidam nomine Ananias, cum Saphira uxore sua, vendidit agrum,

2. et fraudavit de pretio agri, conscia uxore sua; et afferens partem quamdam, ad pedes Apostolorum posuit [g].

3. Dixit autem Petrus: Anania! cur tentavit satanas [h] cor tuum, mentiri te Spiritui sancto [i], et fraudare de pretio agri?

4. Nonne manens tibi manebat, et venundatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo.

5. Audiens autem Ananias haec verba, cecidit et exspiravit. Et factus est timor magnus super omnes, qui audierunt.

6. Surgentes autem juvenes amoverunt eum, et efferentes sepelierunt.

7. Factum est autem quasi horarum trium spatium, et uxor ipsius, nesciens, quod factum fuerat, introivit.

8. Dixit autem ei Petrus: Dic

g c. 4, 35. h Joh. 8, 44. i c. 4, 31.

Cap. IV. 28. consilium /. decreverunt tuum (*in margine additum* /. tuum *antiqua manu*). 31. sancto Spiritu. 32. cor et anima una; *ibid.* quae possidebant; *ibid.* dicebant. 33. *Deest* nostri. 37. vendidit illum. V. 1. Annanias (*ita semper cum duabus literis* n). 3. mentire; *ibid.* et fraudares. 5. in omnes; *ibid.* audierant. 6. sepelierunt eum. 7. et uxor ejus; *ibid.* introiit. 8. Respondens autem ei.

mihi, mulier! si tanti agrum ven-
didistis? At illa dixit: Etiam tanti.
9. Petrus autem ad eam: Quid
utique convenit vobis tentare
Spiritum[k] Domini? Ecce! pedes
eorum, qui sepelierunt virum tu-
um, ad ostium, et efferent te.
10. Confestim cecidit ante pe-
des ejus, et exspiravit. Intran-
tes autem juvenes invenerunt il-
lam mortuam, et extulerunt, et
sepelierunt ad virum suum.
11. Et factus est timor magnus
in universa ecclesia, et in omnes,
qui audierunt haec.
12. Per manus autem Aposto-
lorum fiebant signa et prodigia
multa in plebe. Et erant unani-
miter omnes in porticu Salomo-
nis[l];
13. caeterorum autem nemo
audebat se conjungere illis; sed
magnificabat[m] eos populus.
14. Magis autem augebatur[n]
credentium in Domino multitudo
virorum ac mulierum,
15. ita, ut in plateas ejicerent
infirmos, et ponerent in lectulis
ac grabatis, ut, veniente Petro,
saltem umbra illius obumbraret
quemquam illorum, et liberaren-
tur ab infirmitatibus suis[o].
16. Concurrebat autem et mul-
titudo vicinarum civitatum Ieru-
salem, afferentes aegros et vexa-
tos a spiritibus immundis[p]; qui
curabantur omnes.
17. Exsurgens autem princeps
Sacerdotum, et omnes, qui cum
illo erant (quae est haeresis Sad-
ducaeorum[q]) repleti sunt zelo;
18. et injecerunt manus in
Apostolos, et posuerunt eos i
custodia publica.
19. Angelus[r] autem Domi
per noctem aperiens januas ca
ceris, et educens eos, dixit:
20. Ite, et stantes loquimini i
templo plebi omnia verba vita
hujus.
21. Qui cum audissent, intra
verunt diluculo in templum, e
docebant. Adveniens autem
princeps Sacerdotum, et qui cum
eo erant, convocaverunt conci
lium, et omnes Seniores filiorum
Israel; et miserunt ad carcerem
ut adducerentur.
22. Cum autem venissent mi
nistri, et aperto carcere non in
venissent illos, reversi nunciave
runt,
23. dicentes: Carcerem qui
dem invenimus clausum cum
omni diligentia, et custodes stan
tes ante januas; aperientes au
tem, neminem intus invenimus.
24. Ut autem audierunt ho
sermones magistratus templi e
principes Sacerdotum, ambige
bant de illis quidnam fieret.
25. Adveniens autem quidam
nunciavit eis: Quia ecce! viri
quos posuistis in carcerem, sun
in templo stantes, et docente
populum.
26. Tunc abiit magistratus cum
ministris, et adduxit illos sine vi
timebant enim populum, ne lapi-
darentur[s].
27. Et cum adduxissent illos,
statuerunt in concilio; et inter-
rogavit eos princeps Sacerdo-
tum,

[k] v. 3. [l] c. 3, 11. [m] c. 2, 47. [n] c. 2, 47. [o] c. 19, 12. [p] c. 8, 7. [q] c. 4, 1.

[r] c. 12, 7. 16, 26. 27, 23. Hebr. 1, 14. [s] c. 4, 21.

Cap. V. 8. *Deest* mulier. 11. audierant. 15. in plateis; *ibid.* et grabattis; *ibid.* saltim; *ibid.* eorum; *ibid.* et liberabantur ab infirmitate. 16. ab spiritibus. 21. in carcerem. 22. venissent autem. 23. ad januas. 24. ut audierunt autem. 25. in carcere.

28. dicens: Praecipiendo praecepimus vobis, ne doceretis in nomine isto[t]; et ecce! replestis Ierusalem doctrina vestra; et vultis inducere super nos sanguinem[u] hominis istius.

29. Respondens autem Petrus et Apostoli, dixerunt: Obedire oportet Deo magis, quam hominibus[v].

30. Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno;

31. hunc principem et salvatorem Deus exaltavit dextera sua, ad dandam poenitentiam Israeli, et remissionem peccatorum[w].

32. Et nos sumus testes horum verborum et Spiritus sanctus[x], quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.

33. Haec cum audissent, dissecabantur, et cogitabant interficere illos.

34. Surgens autem quidam in concilio Pharisaeus, nomine Gamaliel[y], legisdoctor honorabilis universae plebi, jussit foras ad breve homines fieri,

35. dixitque ad illos: Viri Israelitae! attendite vobis super hominibus istis, quid acturi sitis;

36. ante hos enim dies extitit Theodas, dicens se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum, qui occisus est; et omnes, qui credebant ei, dissipati sunt et redacti ad nihilum.

37. Post hunc extitit Judas Galilaeus[z] in diebus professionis, et avertit populum post se, et ipse periit; et omnes, quotquot consenserunt ei, dispersi sunt.

38. Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis, et sinite illos; quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur[a];

39. si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud[b]; ne forte et Deo repugnare inveniamini. Consenserunt autem illi.

40. Et convocantes Apostolos, caesis[c] denunciaverunt, ne omnino loquerentur in nomine Jesu[d], et dimiserunt eos.

41. Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati[e].

42. Omni autem die non cessabant, in templo et circa domos docentes, et evangelizantes Christum Jesum.

CAP. VI.

De electione septem diaconorum. Stephanum virtute ac prodigiis clarum nituntur Judaei opprimere falsis testibus.

1. In diebus autem illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur Graecorum adversus Hebraeos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduae eorum.

2. Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum

[t] c. 4, 18. [u] Matth. 27, 25. [v] c. 4, 19. [w] c. 2, 32. 38. [x] Joh. 15, 26. [y] c. 22, 3.

[z] c. 21, 38. [a] Matth. 15, 13. [b] Ps. 2, 1. sqq. [c] Matth. 10, 17. [d] c. 4, 18. [e] Matth. 5, 10—12. 2 Cor. 4, 8—10.

Cap. V. 28. praecipimus; *ibid.* repletis. 31. hunc Deus principem et salvatorem exaltavit dextera. 32. testes sumus. 34. apostolos fieri (*gravis lectio*). 36. ante enim hos dies; *ibid.* esse se; *ibid.* et redactus est ad nihilum (*sic*). 39. et dissolvere eos (*sic*). 40. *Deest:* omnino. 42. die in templo et circa domos non cessabant docentes; *ibid.* Jesum Christum. VI. 1. dispicerentur (*sic*).

dixerunt: Non est aequum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis;

3. considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus;

4. nos vero orationi, et ministerio verbi instantes erimus.

5. Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide, et Spiritu sancto, et Philippum[f], et Prochorum, et Nicanorem, et Timonem, et Parmenam, et Nicolaum advenam Antiochenum.

6. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum; et orantes imposuerunt eis manus[g].

7. Et verbum Domini crescebat, et multiplicabatur numerus discipulorum in Ierusalem valde[h]; multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei.

8. Stephanus autem plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo.

9. Surrexerunt autem quidam de synagoga, quae appellatur Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum, et eorum, qui erant a Cilicia, et Asia, disputantes cum Stephano;

10. et non poterant resistere sapientiae, et Spiritui, qui loquebatur[i].

11. Tunc summiserunt viros, qui dicerent se audivisse eum dicentem verba blasphemiae in Moysen, et in Deum[k].

12. Commoverunt itaque plebem, et Seniores, et Scribas; et concurrentes rapuerunt eum, et adduxerunt in concilium;

13. et statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum, et legem;

14. audivimus enim eum dicentem: Quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum, et mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses.

15. Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus tamquam faciem Angeli[l].

CAP. VII.

Oratio Stephani in Judaeorum concione, interrupta morte oratoris per lapidationem.

1. Dixit autem princeps Sacerdotum: Si haec ita se habent?

2. Qui ait: Viri fratres, et patres, audite: Deus gloriae apparuit patri nostro Abrahae, cum esset in Mesopotamia, prius, quam moraretur in Charan,

3. et dixit ad illum: „Exi de „terra tua, et de cognatione tua, „et veni in terram, quam mon„stravero tibi.“[m]

4. Tunc exiit de terra Chaldaeorum, et habitavit in Charan. Et inde, postquam mortuus est pater ejus, transtulit illum in ter-

[f] c. 8, 5. 26. 21, 8. [g] c. 13, 3. [h] c. 2, 47. [i] Luc. 21, 15.

[k] Matth. 26, 60. sq. [l] Matth. 13, 43. [m] Gen. 12, 1. sqq.

Cap. VI. 3. spiritu (*deest* sancto) et sapientia. 7. verbum Dei. 10. qui loquebatur quod redargue ·//. Tunc (*sic cum hoc signo*). 11. se audisse; *ibid.* in Mosen et Deum. 13. testes falsos. 14. nobis Moses. 15. tamquam angeli (*deest* faciem, *altero quidem loco*). VII. 1. se habeant. 2. Abraham; *ibid.* in Charram. 3. quam tibi monstravero. 4. Charram.

ram istam, in qua nunc vos habitatis [n].

5. Et non dedit illi haereditatem in ea, nec passum pedis; sed repromisit dare illi eam in possessionem, et semini ejus post ipsum, cum non haberet filium [o].

6. Locutus est autem ei Deus: „Quia erit semen ejus accola in „terra aliena, et servituti eos „subjicient, et male tractabunt „eos annis quadringentis.

7. „Et gentem, cui servierint, „judicabo ego, dixit Dominus, et „post haec exibunt, et servient „mihi in loco isto.“ [p]

8. Et dedit illi testamentum circumcisionis [q]; et sic genuit Isaac, et circumcidit eum die octavo [r]; et Isaac Jacob; et Jacob duodecim Patriarchas.

9. Et Patriarchae aemulantes, Joseph vendiderunt in Aegyptum [s]; et erat Deus cum eo;

10. [t] et eripuit eum ex omnibus tribulationibus ejus; et dedit ei gratiam et sapientiam in conspectu Pharaonis regis Aegypti, et constituit eum praepositum super Aegyptum, et super omnem domum suam.

11. Venit autem fames in universam Aegyptum et Chanaan, et tribulatio magna; et non inveniebant cibos patres nostri.

12. Cum audisset autem Jacob esse frumentum in Aegypto, misit patres nostros primum;

13. et in secundo cognitus est Joseph a fratribus suis, et manifestatum est Pharaoni genus ejus.

14. Mittens autem Joseph accersivit Jacob patrem suum, et omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque.

15. Et descendit Jacob in Aegyptum, et defunctus est ipse, et patres nostri.

16. Et translati sunt in Sichem, et positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem [u].

17. [v] Cum autem appropinquaret tempus promissionis, quam confessus erat Deus Abrahae, crevit populus, et multiplicatus est in Aegypto,

18. quoadusque surrexit alius rex in Aegypto, qui non sciebat Joseph.

19. Hic circumveniens genus nostrum, afflixit patres nostros, ut exponerent infantes suos, ne vivificarentur.

20. Eodem tempore natus est Moyses, et fuit gratus Deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui.

21. Exposito autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, et nutrivit eum sibi in filium.

22. Et eruditus est Moyses omni sapientia Aegyptiorum, et erat potens in verbis et in operibus suis.

23. Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor ejus, ut visitaret fratres suos filios Israël.

24. Et cum vidisset quemdam

[n] Gen. 12. 5. [o] Gen. 13, 15. 15, 18. [p] Gen. 15, 13. sq. Exod. 3, 12. [q] Gen. 17, 10. sqq. [r] Gen. 21, 4. [s] Gen. 37. [t] v. 1 —15. Gen. 39—46.

[u] Gen. 33, 18. sq. Exod. 13, 19. [v] v. 17—29. Exod. 1, 2.

Cap. VII. 6. *Deest* ei *ante* Deus. 7. ego judicabo; *ibid.* et deservient. 8. die octava. 10. Regis Aegyptiorum. 14. arcessiit; *ibid.* cognationem in animabus (*deest* suam). 17. Cum adpropinquaret autem; *ibid.* repromissionis. 18. Rex alius. 20. Moses (*ita semper*). 21. et enutrivit.

injuriam patientem, vindicavit illum; et fecit ultionem ei, qui injuriam sustinebat, percusso Aegyptio.

25. Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis; at illi non intellexerunt.

26. Sequenti vero die apparuit illis litigantibus; et reconciliabat eos in pace, dicens: Viri! fratres estis, ut quid nocetis alterutrum?

27. Qui autem injuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens: Quis te constituit principem et judicem super nos?

28. Numquid interficere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Aegyptium?

29. Fugit autem Moyses in verbo isto; et factus est advena in terra Madian, ubi generavit filios duos.

30. [w] Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammae rubi.

31. Moyses autem videns, admiratus est visum, et accedente illo, ut consideraret, facta est ad eum vox Domini, dicens:

32. Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob. Tremefactus autem Moyses, non audebat considerare.

33. Dixit autem illi Dominus: Solve calceamentum pedum tuorum; locus enim, in quo stas, terra sancta est.

34. Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Aegypto, et gemitum eorum audivi, et descendi liberare eos; et nunc veni, et mittam te in Aegyptum.

35. Hunc Moysen, quem negaverunt, dicentes[x]: Quis te constituit principem et judicem? hunc Deus principem et redemptorem misit, cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo.

36. Hic eduxit illos, faciens prodigia et signa in terra Aegypti, et in rubro mari, et in deserto annis quadraginta[y].

37. Hic est Moyses, qui dixit filiis Israël: „Prophetam suscita„bit vobis Deus de fratribus ve„stris, tamquam me; ipsum au„dietis.“[z]

38. Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, et cum patribus nostris; qui accepit verba vitae dare nobis[a],

39. [b] cui noluerunt obedire patres nostri; sed repulerunt, et aversi sunt cordibus suis in Aegyptum,

40. dicentes ad Aaron: „Fac „nobis deos, qui praecedant nos; „Moyses enim hic, qui eduxit „nos de terra Aegypti, nescimus, „quid factum sit ei.“

41. Et vitulum fecerunt in diebus illis, et obtulerunt hostiam simulacro, et laetabantur in operibus manuum suarum.

42. Convertit autem Deus, et tradidit eos servire militiae coeli, sicut scriptum est in libro Pro-

[w] v. 30—34. Exod. 3. 4.

[x] Exod. 2, 14. [y] Exod. 7—17. [z] c. 3. 22. Deut. 18. 15. [a] Exod. 19, 16. sqq. [b] v. 39—41. Exod. 32.

Cap. VII. 25. intellegere. 26. in pacem dicens. 27. proximo suo reppulit. 31. *Deest:* ad eum; *ibid. deest:* dicens. 32. Ego Dominus Patrum; *ibid.* Abraham, et Deus Isaac; *ibid.* Tremefactus est Moses. 33. calciamentum. 37. vobis suscitavit. 39. reppulerunt. 41. in illis diebus.

phetarum: „Numquid victimas „et hostias obtulistis mihi annis „quadraginta in deserto, domus „Israël?

43. „Et suscepistis tabernaculum Moloch, et sidus Dei vestri „Rempham, figuras, quas fecistis, adorare eas. Et transferam „vos trans Babylonem.“[c]

44. Tabernaculum testimonii fuit cum patribus nostris in deserto, sicut disposuit illis Deus, loquens ad Moysen, ut faceret illud secundum formam, quam viderat[d].

45. Quod et induxerunt, suscipientes patres nostri cum Jesu in possessionem Gentium[e], quas expulit Deus a facie patrum nostrorum, usque in diebus David,

46. qui invenit gratiam ante Deum, et petiit, ut inveniret tabernaculum Deo Jacob[f].

47. Salomon autem aedificavit illi domum.

48. „Sed non Excelsus in ma- „nufactis habitat“[g], sicut Propheta dicit:

49. „Coelum mihi sedes est; „terra autem scabellum pedum „meorum. Quam domum aedi- „ficabitis mihi, dicit Dominus? „aut quis locus requietionis meae „est?

50. „Nonne manus mea fecit „haec omnia?“[h]

51. Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus! vos semper Spiritui sancto resistitis; sicut patres vestri, ita et vos.

52. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt[i] eos, qui praenunciabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidae fuistis.

53. Qui accepistis legem in dispositione Angelorum[k], et non custodistis.

54. Audientes autem haec dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum.

55. Cum autem esset plenus Spiritu sancto, intendens in coelum, vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei, et ait: Ecce: video coelos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei.

56. Exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum;

57. et ejicientes eum extra civitatem lapidabant; et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus[l].

58. Et lapidabant[m] Stephanum invocantem, et dicentem: Domine Jesu, suscipe spiritum meum!

59. Positis autem genibus, clamavit voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum[n]! Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino. Saulus autem erat consentiens neci ejus.

[c] Amos. 5, 25. [d] Exod. 25, 40. [e] Jos. 3, 14. sqq. [f] 2 Reg. 7, 2. sqq. [g] c. 17, 24. 3 Reg. 8, 27. [h] Jes. 66, 1. 2.

[i] Matth. 23, 34. sqq. [k] Gal. 3, 19. [l] c. 22, 20. [m] Deut. 17, 7. [n] Matth. 5, 44.

Cap. VII. 43. Transferam vos (*deest:* et). 44. *Deest:* illis Deus. 49. sedis est. 51. duri cervice (*sed i rasura affectum est*); *ibid.* incircumcisi; *ibid.* restitistis; *ibid.* vestri et vos (*deest:* ita). 53. in dispositionem. 55. intuens (*sic, inprimis recte*); *ibid.* a dextris stantem Dei. 57. adulescentis. 59. *Deest:* in Domino.

CAP. VIII.

Saulus devastat ecclesiam. De Simone Mago. De eunucho reginae Candacis.

1. Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quae erat Ierosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones Judaeae et Samariae praeter Apostolos.

2. Curaverunt autem Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum.

3. Saulus autem devastabat Ecclesiam[o] per domos intrans, et trahens viros ac mulieres, tradebat in custodiam.

4. Igitur, qui dispersi erant, pertransibant, evangelizantes verbum Dei[p].

5. Philippus[q] autem descendens in civitatem Samariae, praedicabat illis Christum.

6. Intendebant autem turbae his, quae a Philippo dicebantur, unanimiter audientes, et videntes signa, quae faciebat.

7. Multi enim eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant[r];

8. multi autem paralytici et claudi curati sunt[s].

9. Factum est ergo gaudium magnum in illa civitate. Vir autem quidam nomine Simon, qui ante fuerat in civitate magus, seducens gentem Samariae, dicens, se esse aliquem magnum.[t]

10. Cui auscultabant omnes a minimo usque ad maximum, dicentes: Hic est virtus Dei, quae vocatur magna!

11. Attendebant autem eum; propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos.

12. Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres;

13. tunc Simon et ipse credidit; et cum baptizatus esset, adhaerebat Philippo. Videns etiam signa et virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.

14. Cum autem audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem.

15. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum;

16. nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu.

17. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum[u].

18. Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam,

19. dicens: Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum:

20. Pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri[v].

21. Non est tibi pars neque

[o] c. 9, 1. 22, 4. [p] c. 11, 19. [q] c. 6, 5. [r] c. 5, 16. [s] c. 3, 7. 14, 8. [t] c. 13, 6. 19, 19.

[u] c. 19, 6. [v] Matth. 10, 8.

Cap. VIII. 2. super illum. 3. Saulus vero. 4. pertransiebant. 7. exiebant. 9. magnum gaudium; *ibid.* esse se. 11. magicis suis. 12. Cum ergo; *ibid.* Dei et nomine. 14. quia recepit; *ibid.* ad illos. 16. necdum enim.

sors in sermone isto; cor enim tuum non est rectum coram Deo.

22. Poenitentiam itaque age ab hac nequitia tua; et roga Deum, si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui;

23. in felle enim amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse.

24. Respondens autem Simon, dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum, quae dixistis.

25. Et illi quidem testificati et locuti verbum Domini, redibant Ierosolymam, et multis regionibus Samaritanorum evangelizabant.

26. Angelus autem Domini locutus est ad Philippum[w], dicens: Surge, et vade contra meridianum ad viam, quae descendit ab Ierusalem in Gazam, haec est deserta.

27. Et surgens abiit. Et ecce! vir Aethiops, Eunuchus, potens Candacis reginae Aethiopum, qui erat super omnes gazas ejus, venerat adorare in Ierusalem;

28. et revertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam Prophetam.

29. Dixit autem Spiritus Philippo: Accede et adjunge te ad currum istum.

30. Accurrens autem Philippus, audivit eum legentem Isaiam Prophetam, et dixit: Putasne intelligis, quae legis?

31. Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogavitque Philippum, ut ascenderet, et sederet secum.

32. Locus autem Scripturae, quam legebat erat hic: „Tamquam ovis ad occisionem ductus „est, et sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non „aperuit os suum.

33. „In humilitate judicium „ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit, quoniam tolletur de terra vita „ejus.“[x]

34. Respondens autem Eunuchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc? de se? an de alio aliquo?

35. Aperiens autem Philippus os suum, et incipiens a Scriptura ista, evangelizavit illi Jesum.

36. Et dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam, et ait Eunuchus: Ecce aqua! quid prohibet me baptizari[y]?

37. Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo, Filium Dei esse Jesum Christum[z].

38. Et jussit stare currum; et descenderunt uterque in aquam, Philippus, et Eunuchus, et baptizavit eum.

39. Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, et amplius non vidit eum Eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens.

40. Philippus autem inventus est in Azoto, et pertransiens evangelizabat civitatibus cunctis, donec veniret Caesaream[a].

w v. 5.

x Jes. 53, 7. y c. 10, 47. z 1 Joh. 4, 15. a c. 21, 8.

Cap. VIII. 21. in sermone hoc. 25. rediebant Hierosolyma. 28. Prophetam Esaiam. 30. audivit illum; *ibid.* Esaiam. 32. quem legebat. 33. generationem illius; *ibid.* a terra. 34. hoc dicit. 35. ab Scriptura. 37. dixit Philippus (*deest:* autem); *ibid.* Dei filium. 39. Ibat enim.

CAP. IX.

Saulus Christianus factus discipulis se adjungit. De Ananiae sanatione, de Tabithae mortuae revocatione in vitam.

1. [b] Saulus autem adhuc spirans minarum et caedis in discipulos Domini, accessit ad principem Sacerdotum,
2. et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas; ut si quos invenisset hujus viae viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem.
3. Et cum iter faceret, contigit, ut appropinquaret Damasco; et subito circumfulsit eum lux de coelo;
4. et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi: Saule, Saule! quid me persequeris?
5. Qui dixit: Quis es, Domine? Et ille: Ego sum Jesus, quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare [c].
6. Et tremens ac stupens dixit: Domine! quid me vis facere?
7. Et Dominus ad eum: Surge, et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.
8. Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum.
9. Et erat ibi tribus diebus non videns, et non manducavit, neque bibit.
10. Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias; et dixit ad illum in visu Dominus: Anania! At ille ait: Ecce, ego, Domine!
11. Et Dominus ad eum: Surge, et vade in vicum, qui vocatur rectus; et quaere in domo Judae Saulum nomine Tarsensem [d]; ecce enim orat.
12. (Et vidit virum, Ananiam nomine, introeuntem, et imponentem sibi manus, ut visum recipiat.)
13. Respondit autem Ananias: Domine! audivi a multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Ierusalem [e];
14. et hic habet potestatem a principibus Sacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum.
15. Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus [f], et regibus [g], et filiis Israël;
16. ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati [h].
17. Et abiit Ananias, et introivit in domum; et imponens ei manus [i], dixit: Saule frater! Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas, et implearis Spiritu sancto.
18. Et confestim ceciderunt

[b] v. 1—15. Act. 22, 5—15. 26, 9—18. [c] c. 5, 39.
[d] c. 21, 39. [e] v. 1. 2. [f] c. 22, 21. Eph. 3, 8. [g] c. 25, 24. [h] 2 Cor. 11, 23. seq. [i] c. 8, 17. 28, 8.

Cap. IX. 1. aspirans. 2. epistulas ad in Damascum (*sed* ad *paene deletum est*). 4. quid me persequeris. Durum tibi est contra stimulum calcitrare. Qui dixit, quis es Domine? Et ille, Ego sum Jesus quem tu persequeris. Sed surge et. 7. et dicetur tibi (*deest:* ibi); *ibid.* oportet. 9. erat tribus (*deest:* ibi). 11. ad illum surgens vade. 13. sanctis tuis fecerit. 17. Dominus Jesus misit me.

ab oculis ejus tamquam squamae, et visum recepit; et surgens baptizatus est.

19. Et cum accepisset cibum, confortatus est. Fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot.

20. Et continuo in synagogis praedicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei[k].

21. Stupebant autem omnes, qui audiebant, et dicebant: Nonne hic est, qui expugnabat in Ierusalem eos, qui invocabant nomen istud? et huc ad hoc venit[l], ut vinctos illos duceret ad principes Sacerdotum?

22. Saulus autem multo magis convalescebat, et confundebat Judaeos, qui habitabant Damasci, affirmans, quoniam hic est Christus.

23. Cum autem implerentur dies multi, consilium fecerunt in unum Judaei, ut eum interficerent[m].

24. Notae autem factae sunt Saulo insidiae eorum; custodiebant autem et portas die ac nocte, ut eum interficerent.

25. Accipientes autem eum discipuli nocte, per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta.

26. Cum autem venisset in Ierusalem, tentabat se jungere discipulis, et omnes timebant eum, non credentes, quod esset discipulus.

27. Barnabas[n] autem apprehensum illum duxit ad Apostolos[o]; et narravit illis, quomodo in via vidisset Dominum, et quia locutus est ei, et quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Jesu.

28. Et erat cum illis intrans et exiens in Ierusalem, et fiducialiter agens in nomine Domini.

29. Loquebatur quoque Gentibus, et disputabat cum Graecis; illi autem quaerebant occidere eum.

30. Quod cum cognovissent fratres, deduxerunt eum Caesaream, et dimiserunt Tarsum.

31. Ecclesia quidem per totam Judaeam, et Galilaeam, et Samariam, habebat pacem, et aedificabatur ambulans in timore Domini, et consolatione sancti Spiritus replebatur.

32. Factum est autem, ut Petrus, dum pertransiret universos, deveniret ad sanctos, qui habitabant Lyddae.

33. Invenit autem ibi hominem quemdam, nomine Aeneam, ab annis octo jacentem in grabato, qui erat paralyticus.

34. Et ait illi Petrus: Aenea, sanat te Dominus Jesus Christus; surge, et sterne tibi! et continuo surrexit[p].

35. Et viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddae et Saronae; qui conversi sunt ad Dominum.

36. In Joppe autem fuit quaedam discipula, nomine Tabitha, quae interpretata dicitur Dorcas. Haec erat plena operibus bonis, et eleemosynis, quas faciebat.

[k] c. 8, 37. [l] v. 1, 2. [m] 2 Cor. 11, 32. [n] c. 4, 36.

[o] Gal. 1, 18. [p] c. 3, 6.

Cap. IX. 19. per dies aliquos. 23. implerentur autem; *ibid.* *deest* in unum. 25. autem discipuli ejus nocte. 26. jungere se; *ibid.* quia esset. 27. Damasco (*deest:* in); *ibid.* ageret. 28. Erat autem cum. 29. occidere illum. 33. in grabatto. 34. Aeneas sanat. 35. illum omnes. 36. Dorca (*sic etiam infra*).

37. Factum est autem in diebus illis, ut infirmata moreretur. Quam cum lavissent, posuerunt eam in coenaculo.

38. Cum autem prope esset Lydda ad Joppen, discipuli audientes, quia Petrus esset in ea, miserunt duos viros ad eum, rogantes: Ne pigriteris venire usque ad nos.

39. Exsurgens autem Petrus venit cum illis. Et cum advenisset, duxerunt illum in coenaculum; et circumsteterunt illum omnes viduae flentes, et ostendentes ei tunicas et vestes, quas faciebat illis Dorcas.

40. Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit; et conversus ad corpus, dixit: Tabitha, surge[q]! At illa aperuit oculos suos; et viso Petro, resedit.

41. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cum vocasset Sanctos et viduas, assignavit eam vivam.

42. Notum autem factum est per universam Joppen; et crediderunt multi in Domino.

43. Factum est autem, ut dies multos moraretur in Joppe, apud Simonem quemdam coriarium.

CAP. X.

Cornelius centurio Petrum accit. In omnes Petri verba audientes descendit Spiritus sanctus.

1. Vir autem quidam erat in Caesarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis, quae dicitur Italica,

2. religiosus[r], ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper.

3. Is vidit in visu manifeste quasi hora diei nona, Angelum Dei introeuntem ad se, et dicentem sibi: Corneli!

4. At ille intuens eum, timore correptus, dixit: Quid est, Domine? Dixit autem illi: Orationes tuae et eleemosynae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei[s].

5. Et nunc mitte viros in Joppen, et accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus;

6. hic hospitatur apud Simonem quemdam coriarium[t], cujus est domus juxta mare; hic dicet tibi, quid te oporteat facere.

7. Et cum discessisset Angelus, qui loquebatur illi, vocavit duos domesticos suos, et militem metuentem Dominum, ex his, qui illi parebant.

8. Quibus cum narrasset omnia, misit illos in Joppen.

9. Postera autem die iter illis facientibus, et appropinquantibus civitati, ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam;

10. et cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus,

11. et vidit coelum apertum, et descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de coelo in terram,

[q] Marc. 5, 41.

[r] v. 22. [s] Matth. 8. 5. 10. [t] c. 9, 43.

Cap. IX. 38. ab Joppe; *ibid.* venire ad nos. 39. ostendentes tunicas (*deest* ei). 43. quemdam Simonem. Cap. X. 3. *Deest* is; *ibid.* nona diei. 4. qui es Domine (*sed alia antiqua manu* d *supra* qui, t *supra* es *scriptum est*). 5. et arcessi (*sed* c *supra* r, et r *supra* s *alia manu scriptum est*). 6. *Desunt inde ab* Hic dicet tibi *usque ad* facere *omnia.* 10. autem eis.

12. in quo erant omnia quadrupedia, et serpentia terrae, et volatilia coeli.
13. Et facta est vox ad eum: Surge, Petre! occide, et manduca.
14. Ait autem Petrus: Absit, Domine! quia nunquam manducavi omne commune et immundum.
15. Et vox iterum secundo ad eum: Quod DEUS purificavit, tu commune ne dixeris[u].
16. Hoc autem factum est per ter; et statim receptum est vas in coelum.
17. Et dum intra se haesitaret Petrus, quidnam esset visio, quam vidisset, ecce! viri, qui missi erant a Cornelio, inquirentes domum Simonis, astiterunt ad januam;
18. et cum vocassent, interrogabant, si Simon, qui cognominatur Petrus, illic haberet hospitium.
19. Petro autem cogitante de visione, dixit Spiritus ei: Ecce! viri tres quaerunt te[v].
20. Surge itaque, descende, et vade cum eis, nihil dubitans, quia ego misi illos.
21. Descendens autem Petrus ad viros, dixit: Ecce! ego sum, quem quaeritis: quae causa est, propter quam venistis?
22. Qui dixerunt: Cornelius Centurio, vir justus, et timens Deum, et testimonium habens ab universa gente Judaeorum, responsum accepit ab Angelo sancto, accersire te in domum suam, et audire verba abs te.
23. Introducens ergo eos, recepit hospitio. Sequenti autem die, surgens profectus est cum illis; et quidam ex fratribus ab Joppe comitati sunt eum.
24. Altera autem die introivit Caesaream. Cornelius vero exspectabat illos, convocatis cognatis suis, et necessariis amicis.
25. Et factum est, cum introisset Petrus, obvius venit ei Cornelius, et procidens ad pedes ejus adoravit.
26. Petrus vero elevavit eum, dicens: Surge! et ego ipse homo sum[w].
27. Et loquens cum illo intravit, et invenit multos, qui convenerant;
28. dixitque ad illos: Vos scitis, quomodo abominatum sit viro Judaeo conjungi aut accedere ad alienigenam[x]; sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem[y];
29. propter quod sine dubitatione veni accersitus. Interrogo ergo, quam ob causam accersistis me?
30. Et Cornelius ait: A nudiusquarta die usque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea, et ecce! vir stetit ante me in veste candida[z], et ait:
31. Corneli! exaudita est oratio tua, et eleemosynae tuae commemoratae sunt in conspectu Dei.
32. Mitte ergo in Joppen, et accersi Simonem, qui cognominatur Petrus; hic hospitatur in domo Simonis coriarii juxta mare.

[u] Matth. 15, 11. 15. sqq. [v] v. 7. 8.

[w] c. 14, 14. Apoc. 19, 10. [x] Joh. 4, 9. [y] v. 15. [z] Matth. 28, 3.

Cap. X. 15. quae Deus. 20. itaque et discende. 22. arcessire (*sic, sed supra notata est vulgaris forma*). 23. cum eis. 25. *Deest* venit. 26. levavit eum. 28. et mihi. 29. arcessitus; *ibid.* arcessistis. 30. nudius quartana; *ibid.* usque in. 32. et arcessi (*sed et hic* c *supra* r, r *supra* s *scriptum est*).

33. Confestim ergo misi ad te; et tu bene fecisti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia, quaecumque tibi praecepta sunt a Domino.

34. Aperiens autem Petrus os suum, dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus,

35. sed in omni gente, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi[a].

36. Verbum misit Deus filiis Israël, annuncians pacem per Jesum Christum; (hic est omnium Dominus.)

37. Vos scitis, quod factum est verbum per universam Judaeam; incipiens enim a Galilaea, post baptismum, quod praedicavit Joannes,

38. Jesum a Nazareth; quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto, et virtute, qui pertransiit[b] benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo.

39. Et nos testes sumus omnium, quae fecit in regione Judaeorum, et Ierusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno.

40. Hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri,

41. non omni populo[c], sed testibus[d] praeordinatis a Deo, nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo[e], postquam resurrexit a mortuis.

[a] v. 11—16. c. 4, 12. [b] Matth. 9, 35. [c] Joh. 14, 22. [d] Joh. 20, 26. sqq. [e] Luc. 24, 43.

42. Et praecepit nobis praedicare populo[f], et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum[g].

43. Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.

44. Adhuc loquente Petro verba haec, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum[h].

45. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia et in nationes gratia Spiritus sancti effusa est;

46. audiebant enim illos loquentes linguis, et magnificantes Deum[i].

47. Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt sicut et nos[k]?

48. Et jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi. Tunc rogaverunt eum, ut maneret apud eos aliquot diebus.

CAP. XI.

Quid moverit Petrum, ut ad exteros accederet. Antiochiam mittitur Barnabas, qui eo Saulum adducit. Fames ab Agabo praedicitur.

1. Audierunt autem Apostoli et fratres, qui erant in Judaea, quoniam et Gentes receperunt verbum Dei.

[f] c. 1, 8. [g] Matth. 25, 31. sqq. 4, 31. [i] c. 2, 4. [k] c. 2, 38. 15, 8.

Cap. X. 33. igitur misi. 34. autem os Petrus dixit; *ibid.* quoniam non est. 36. *Deest* Deus. 38. pertransivit; *ibid.* sanando (*deest* omnes) 39. et in Hierusalem; *ibid.* quem et occiderunt. 43. remissionem omnium peccatorum. 45. obstipuerunt; *ibid.* venerunt. 48. in nomine Jesu Christi baptizari; *ibid.* manerent (*sic*); *ibid.* *deest* apud eos.

2. Cum autem ascendisset Petrus Ierosolymam, disceptabant adversus illum, qui erant ex circumcisione[l],
3. dicentes: Quare introisti ad viros praeputium habentes, et manducasti cum illis[m]?
4. Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem, dicens:
5. [n]Ego eram in civitate Joppe orans, et vidi in excessu mentis visionem, descendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis summitti de coelo, et venit usque ad me;
6. in quod intuens considerabam, et vidi quadrupedia terrae, et bestias, et reptilia, et volatilia coeli.
7. Audivi autem et vocem dicentem mihi: Surge, Petre! occide et manduca.
8. Dixi autem: Nequaquam, Domine! quia commune aut immundum numquam introivit in os meum.
9. Respondit autem vox secundo de coelo: Quae Deus mundavit, tu ne commune dixeris.
10. Hoc autem factum est per ter; et recepta sunt omnia rursum in coelum.
11. Et ecce! viri tres confestim astiterunt in domo, in qua eram, missi a Caesarea ad me.
12. Dixit autem Spiritus mihi, ut irem cum illis, nihil haesitans. Venerunt autem mecum et sex fratres isti, et ingressi sumus in domum viri.
13. Narravit autem nobis, quomodo vidisset Angelum in domo sua, stantem et dicentem sibi: Mitte in Joppen, et accersi Simonem qui cognominatur Petrus,
14. qui loquetur tibi verba, in quibus salvus eris tu, et universa domus tua.
15. Cum autem coepissem loqui, cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut et in nos in initio.
16. Recordatus sum autem verbi Domini, sicut dicebat: Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto.
17. Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus, sicut et nobis, qui credidimus in Dominum Jesum Christum; ego quis eram, qui possem prohibere Deum[o]?
18. His auditis, tacuerunt, et glorificaverunt Deum, dicentes: Ergo et Gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam!
19. Et illi quidem, qui dispersi fuerant a tribulatione, quae facta fuerat sub Stephano[p], perambulaverunt usque Phoenicen, et Cyprum, et Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Judaeis.
20. Erant autem quidam ex eis viri Cyprii, et Cyrenaei, qui cum introissent Antiochiam, loquebantur et ad Graecos, annunciantes Dominum Jesum;
21. et erat manus Domini cum eis; multusque numerus credentium conversus est ad Dominum.
22. Pervenit autem sermo ad aures ecclesiae, quae erat Iero-

[l] c. 10, 45. [m] c. 10, 28. [n] v. 5—17. cf. 10, 9—47.

[o] c. 10, 47. [p] c. 8, 1. 4.

Cap. XI. 2. ascendisset autem; *ibid.* in Hierosolymam. 5. in civitate Joppen. 6. in quo. 8. introiit. 10. rursum omnia. 11. confestim tres viri. 13. et arcessi. 15. decidit. 18. Deus paenitentiam ad vitam dedit. 19. Foenicem; *ibid.* Anthiociam (*sic item infra*). 21. multus quidem numerus.

solymis, super istis; et miserunt Barnabam[q] usque ad Antiochiam.

23. Qui cum pervenisset, et vidisset gratiam Dei, gavisus est; et hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino[r];

24. quia erat vir bonus, et plenus Spiritu sancto, et fide. Et apposita est multa turba Domino.

25. Profectus est autem Barnabas Tarsum, ut quaereret Saulum[s]; quem cum invenisset, perduxit Antiochiam.

26. Et annum totum conversati sunt ibi in Ecclesia; et docuerunt turbam multam, ita, ut cognominarentur primum Antiochiae discipuli, Christiani.

27. In his autem diebus supervenerunt ab Ierosolymis prophetae[t] Antiochiam.

28. Et surgens unus ex eis, nomine Agabus[u], significabat per spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quae facta est sub Claudio.

29. Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judaea fratribus[v].

30. Quod et fecerunt, mittentes ad Seniores per manus Barnabae et Sauli[w].

CAP. XII.

De Jacobi nece. Petrum e carcere liberat angelus. Herodes vermibus consumtus perit.

1. Eodem autem tempore misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia.

[q] c. 4, 36. [r] c. 13, 43. [s] c. 9, 30. [t] c. 13, 1. Eph. 4, 11. [u] c. 21, 10. [v] Rom. 15, 26. [w] c. 12, 25.

2. Occidit autem Jacobum fr trem Joannis gladio.

3. Videns autem, quia placer Judaeis, apposuit, ut apprehe deret et Petrum[x]. Erant aute dies Azymorum.

4. Quem cum apprehendisse misit in carcerem, tradens qu tuor quaternionibus militum c stodiendum, volens post Pasch producere eum populo.

5. Et Petrus quidem servaba tur in carcere. Oratio aute fiebat sine intermissione ab E clesia ad Deum pro eo[y].

6. Cum autem productur eum esset Herodes, in ipsa noc erat Petrus dormiens inter duo milites, vinctus catenis duabus et custodes ante ostium custodie bant carcerem.

7. Et ecce! Angelus[z] Domin astitit; et lumen refulsit in hab taculo; percussoque latere Petr excitavit eum dicens: Surge ve lociter! Et ceciderunt catenae d manibus ejus.

8. Dixit autem Angelus a eum: Praecingere, et calcea t caligas tuas! Et fecit sic. Et di xit illi: Circumda tibi vestimen tum tuum, et sequere me!

9. Et exiens sequebatur eum et nesciebat, quia verum est quod fiebat per Angelum; existi mabat autem se visum videre.

10. Transeuntes autem primam et secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quae ducit ad civitatem; quae ultro aperta est eis[a]. Et exeuntes pro-

[x] Joh. 21, 18. [y] Eph. 6, 18. 19. [z] c. 5, 19. [a] c. 16, 26.

Cap. XI. 22. Barnaban; *ibid.* usque Anthiociam. 23. proposito (*deest* in). 24. turba multa. 26. sunt in Ecclesia (*deest* ibi). 28. in universum orbem (*ex correctione antiqua manu*). 29. *Deest* singuli. XII. 4. tradensque quattuor (que *scriptum est ab alia manu recentiore*); *ibid.* custodire eum. 7. suscitavit. 8. galliculas tuas. 9. aestimabat.

cesserunt vicum unum; et continuo discessit Angelus ab eo.

11. Et Petrus ad se reversus, dixit: Nunc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum; et eripuit me de manu Herodis, et de omni exspectatione plebis Judaeorum.

12. Consideransque venit ad domum Mariae, matris Joannis, qui cognominatus est Marcus[b], ubi erant multi congregati, et orantes.

13. Pulsante autem eo ostium januae, processit puella ad audiendum, nomine Rhode.

14. Et ut cognovit vocem Petri, prae gaudio non aperuit januam, sed intro currens nunciavit stare Petrum ante januam.

15. At illi dixerunt ad eam: Insanis! Illa autem affirmabat, sic se habere. Illi autem dicebant: Angelus ejus est!

16. Petrus autem perseverabat pulsans. Cum autem aperuissent, viderunt eum, et obstupuerunt.

17. Annuens autem eis manu, ut tacerent, narravit, quomodo Dominus eduxisset eum de carcere, dixitque: Nunciate Jacobo[c] et fratribus haec! Et egressus abiit in alium locum.

18. Facta autem die, erat non parva turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro.

19. Herodes autem cum requisisset eum, et non invenisset, inquisitione facta de custodibus, jussit eos duci; descendensque a Judaea in Caesaream, ibi commoratus est.

[b] v. 25. c. 13, 5. 15, 37. Col. 4, 10. 2 Tim. 4, 11. Philem. 24. [c] c. 15, 13.

20. Erat autem iratus Tyriis et Sidoniis; at illi unanimes venerunt ad eum, et persuaso Blasto, qui erat super cubiculum regis, postulabant pacem, eo quod alerentur regiones eorum ab illo.

21. Statuto autem die, Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, et concionabatur ad eos.

22. Populus autem acclamabat: Dei voces, et non hominis!

23. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, et consumptus a vermibus, exspiravit.

24. Verbum autem Domini crescebat, et multiplicabatur.

25. Barnabas autem et Saulus reversi sunt ab Ierosolymis expleto ministerio[d], assumpto Joanne, qui cognominatus est Marcus[e].

CAP. XIII.

Saulus et Barnabas segregantur. Bar-jesu excaecato Jesu doctrinam amplectitur Sergius Paulus. Saulus et Barnabas a Judaeis ad exteros proficiscuntur.

1. Erant autem in Ecclesia, quae erat Antiochiae, Prophetae[f] et doctores, in quibus Barnabas, et Simon, qui vocabatur Niger, et Lucius Cyrenensis, et Manahen, qui erat Herodis Tetrarchae collactaneus, et Saulus.

2. Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos[g].

[d] c. 11, 29. 30. [e] v. 12. [f] c. 11, 27. [g] c. 9, 15.

Cap. XII. 15. illi vero. 18. de Petro factum esset. 21. Statuto die; *ibid.* vestitus est veste regia seditque. 22. clamabat. XIII. 1. et Simeon. 3. dixit Spiritus sanctus; *ibid.* Barnaban et Saulum.

3. Tunc jejunantes, et orantes[h], imponentesque eis manus[i], dimiserunt illos.

4. Et ipsi quidem missi a Spiritu sancto abierunt Seleuciam, et inde navigaverunt Cyprum.

5. Et cum venissent Salaminam, praedicabant verbum Dei in synagogis Judaeorum. Habebant autem et Joannem[k] in ministerio.

6. Et cum perambulassent universam insulam usque Paphum, invenerunt quemdam virum magum pseudoprophetam[l], Judaeum, cui nomen erat Bar-jesu,

7. qui erat cum Proconsule Sergio Paulo viro prudente. Hic, accersitis Barnaba et Saulo, desiderabat audire verbum Dei.

8. Resistebat autem illis Elymas magus (sic enim interpretatur nomen ejus), quaerens avertere Proconsulem a fide.

9. Saulus autem, qui et Paulus, repletus Spiritu sancto, intuens in eum,

10. dixit: O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli! inimice omnis justitiae! non desinis subvertere vias Domini rectas.

11. Et nunc ecce! manus Domini super te[m], et eris caecus, non videns solem usque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo et tenebrae, et circuiens quaerebat, qui ei manum daret.

12. Tunc Proconsul cum vidisset factum, credidit, admirans super doctrina Domini.

13. Et cum a Papho navigassent Paulus, et qui cum eo eran venerunt Pergen Pamphylia Joannes autem discedens[n] ab ei reversus est Ierosolymam.

14. Illi vero pertranseunte Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiae; et ingressi synagogam die sabbatorum sederunt.

15. Post lectionem autem legi et Prophetarum[p], miserunt principes synagogae ad eos, dicentes: Viri fratres! si quis est i vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite!

16. Surgens autem Paulus, et manu silentium indicens, ait: Viri Israëlitae, et qui timetis Deum! audite:

17. Deus plebis Israël elegit patres nostros, et plebem exaltavit, cum essent incolae in terra Aegypti, et in brachio excelso eduxit eos ex ea,

18. et per quadraginta[q] annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto.

19. Et destruens gentes septem[r] in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum,

20. quasi post quadringentos et quinquaginta annos; et post haec dedit judices usque ad Samuel Prophetam.

21. Et exinde postulaverunt regem; et dedit illis Deus Saul, filium Cis, virum de tribu Benjamin, annis quadraginta[s].

22. Et amoto illo, suscitavit illis David regem; cui testimonium perhibens, dixit[t]: Inveni

[h] c. 14, 22. [i] c. 6, 6. [k] c. 12, 12. [l] c. 8, 9. [m] c. 5, 9. 10. [n] c. 15, 38. [o] c. 17, 2. c. 18, 4. [p] c. 15, 21. [q] Num. 14, 34. [r] Jos. 24, 11. [s] 1 Reg. 8—10. [t] 1 Reg. 13, 14.

Cap. XIII. 4. ab spiritu. 6. virum quemdam. 7. accersitis (*sed r supra c et s supra r alia manu scriptum est.*); *ibid.* et Paulo; *ibid.* verbum Domini. 10. filius Diaboli (*alia manu correctum legitur:* fili). 12. super doctrinam. 13. *Deerat:* erant, *sed alia manus antiqua reposuit in margine.* 17. extento. 22. cui et testimonium.

David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.

23. Hujus Deus ex semine secundum promissionem[u] eduxit Israël salvatorem Jesum,

24. praedicante Joanne ante faciem adventus ejus baptismum poenitentiae omni populo Israel[v].

25. Cum impleret autem Joannes cursum suum, dicebat[w]: Quem me arbitramini esse? non sum ego, sed ecce! venit post me, cujus non sum dignus calceamenta pedum solvere.

26. Viri fratres! filii generis Abraham, et qui in vobis timent Deum! vobis verbum salutis hujus missum est.

27. Qui enim habitabant Jerusalem, et Principes ejus, hunc ignorantes, et voces Prophetarum[x], quae per omne sabbatum leguntur[y], judicantes impleverunt;

28. et nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt a Pilato, ut interficerent eum[z].

29. Cumque consummassent omnia, quae de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento[a].

30. Deus vero suscitavit eum a mortuis[b] tertia die; qui visus est per dies multos his,

31. Qui simul ascenderant cum eo de Galilaea in Ierusalem; qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem[c].

32. Et nos vobis annunciamus eam, quae ad patres nostros repromissio facta est;

33. quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum, sicut et in Psalmo secundo scriptum est: „Filius meus es „tu, ego hodie genui te.“[d]

34. Quod autem suscitavit eum a mortuis, amplius jam non reversurum in corruptionem, ita dixit: „Quia dabo vobis sancta „David fidelia.“[e]

35. Ideoque et alias dicit: „Non dabis Sanctum tuum videre „corruptionem.“[f]

36. David enim in sua generatione cum administrasset voluntati Dei, dormivit; et appositus est ad patres suos, et vidit corruptionem.

37. Quem vero Deus suscitavit a mortuis, non vidit corruptionem.

38. Notum igitur sit vobis, viri fratres! quia per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur, et ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi justificari,

39. in hoc omnis, qui credit, justificatur[g].

40. Videte ergo, ne superveniat vobis, quod dictum est in Prophetis:

41. „Videte contemptores, et „admiramini, et disperdimini; „quia opus operor ego in diebus „vestris, opus, quod non credetis, si quis enarraverit vobis.“[h]

42. Exeuntibus autem illis, rogabant, ut sequenti sabbato loquerentur sibi verba haec.

[u] c. 2, 30. [v] Marc. 1, 4. sqq. [w] Joh. 1, 20. 27. [x] c. 4, 25. sqq. [y] c. 15, 21. [z] Matth. 27, 22. sqq. [a] Matth. 27, 59. sq. [b] c. 2, 24. [c] c. 10, 41.

[d] Ps. 2, 7. [e] Jes. 55, 3. [f] Ps. 15, 10 [g] Rom. 8, 3. Gal. 3, 21. 22. [h] Hab. 1, 5.

Cap. XIII. 25. calciamenta. 27. per omnem. 28. in eum. 29. scripta sunt (sunt *additum est alia manu*); *ibid.* posuerunt in (*deest* eum). 34. suscitaverit. 36. enim sua (*deest* in). 37. *Deest* a mortuis. 38. ab omnibus (*deest* et). 40. *Deest* vobis.

43. Cumque dimissa esset synagoga, secuti sunt multi Judaeorum, et colentium advenarum, Paulum et Barnabam, qui loquentes suadebant eis, ut permanerent in gratia Dei.

44. Sequenti vero sabbato pene universa civitas convenit audire verbum Dei.

45. Videntes autem turbas Judaei, repleti sunt zelo[i], et contradicebant his, quae a Paulo dicebantur, blasphemantes.

46. Tunc constanter Paulus et Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei[k]; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis aeternae vitae, ecce! convertimur ad Gentes[l].

47. Sic enim praecepit nobis Dominus: „Posui te in lucem „Gentium, ut sis in salutem usque „ad extremum terrae.[m]"

48. Audientes autem Gentes gavisae sunt, et glorificabant verbum Domini; et crediderunt, quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam.

49. Disseminabatur autem verbum Domini per universam regionem.

50. Judaei autem concitaverunt[n] mulieres religiosas et honestas, et primos civitatis, et excitaverunt persecutionem in Paulum et Barnabam; et ejecerunt eos de finibus suis.

51. At illi, excusso pulvere pedum[o] in eos, venerunt Iconium.

[i] v. 50. c. 5, 17. 14, 2 [k] Matth. 10, 6. [l] Matth. 21, 43. [m] Jes. 49, 6. [n] v. 45. [o] c. 18, 6. Matth. 10, 14.

52. Discipuli quoque replebantur gaudio, et Spiritu sancto.

CAP. XIV.

Res gestae a Paulo et Barnaba in Lycaonia. Utrique redeunt Antiochiam.

1. Factum est autem Iconii, ut simul introirent in synagogam Judaeorum, et loquerentur, ita, ut crederet Judaeorum et Graecorum copiosa multitudo.

2. Qui vero increduli fuerunt Judaei, suscitaverunt et ad iracundiam concitaverunt animas Gentium adversus fratres.

3. Multo igitur tempore demorati sunt, fiducialiter agentes in Domino, testimonium perhibente verbo gratiae suae, dante signa et prodigia fieri per manus eorum[p].

4. Divisa est autem multitudo civitatis; et quidam quidem erant cum Judaeis, quidam vero cum Apostolis.

5. Cum autem factus esset impetus Gentilium et Judaeorum cum principibus suis, ut contumeliis afficerent et lapidarent eos[q],

6. intelligentes confugerunt[r] ad civitates Lycaoniae, Lystram et Derben, et universam in circuitu regionem, et ibi evangelizantes erant.

7. Et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex utero matris suae, qui numquam ambulaverat[s].

8. Hic audivit Paulum loquentem; qui intuitus eum, et videns,

[p] c. 19, 11. [q] v. 2. [r] Matth. 10, 23. [s] c. 3, 2.

Cap. XIII. 44. verbum Domini. 46. reppulistis; *ibid.* dejudicastis. 47. in lumen. 49. in universam. 50. religiosas mulieres; *ibid.* seditionem. XIV. 1. in Iconio; *ibid.* crederent (*sic*). 2. incredibiles fuerant. 5. adfligerent. 6. intellegentes.

quia fidem haberet, ut salvus fieret,

9. dixit magna voce: Surge super pedes tuos rectus! Et exilivit, et ambulabat.

10. Turbae autem cum vidissent, quod fecerat Paulus, levaverunt vocem suam, Lycaonice dicentes: Dii similes facti hominibus, descenderunt ad nos[t]!

11. Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium, quoniam ipse erat dux verbi.

12. Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante civitatem, tauros et coronas ante januas afferens, cum populis volebat sacrificare.

13. Quod ubi audierunt Apostoli, Barnabas et Paulus, conscissis tunicis suis, exilierunt in turbas, clamantes

14. et dicentes: Viri! quid haec facitis? et nos mortales sumus[u], similes vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit coelum, et terram, et mare, et omnia, quae in eis sunt;

15. qui in praeteritis generationibus dimisit[v] omnes gentes ingredi vias suas.

16. Et quidem non sine testimonio[w] semet ipsum reliquit, benefaciens de coelo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra.

17. Et haec dicentes, vix sedaverunt turbas, ne sibi immolarent.

18. Supervenerunt autem quidam ab Antiochia et Iconio Judaei[x]; et persuasis turbis, lapidantesque Paulum[y], traxerunt extra civitatem, existimantes, eum mortuum esse.

19. Circumdantibus autem eum discipulis, surgens intravit civitatem, et postera die profectus est cum Barnaba in Derben.

20. Cumque evangelizassent civitati illi, et docuissent multos, reversi sunt Lystram, et Iconium, et Antiochiam,

21. confirmantes animas discipulorum, exhortantesque, ut permanerent in fide; et quoniam per multas tribulationes[z] oportet nos intrare in regnum Dei.

22. Et cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros[a], et orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt.

23. Transeuntesque Pisidiam, venerunt in Pamphyliam;

24. et loquentes verbum Domini in Perge[b], descenderunt in Attaliam.

25. Et inde navigaverunt Antiochiam, unde erant traditi gratiae Dei, in opus, quod compleverunt[c].

26. Cum autem venissent, et congregassent Ecclesiam, retulerunt, quanta fecisset Deus cum illis, et quia aperuisset Gentibus ostium fidei.

27. Morati sunt autem tempus non modicum cum discipulis.

CAP. XV.

Apostoli communi decreto edicunt, exteros non obstringi lege Mosis. Paulus a Barnaba discedit.

1. Et quidam descendentes de

[t] c. 28, 6. [u] c. 10, 26. [v] c. 17, 30. [w] c. 17, 27. Rom. 1, 20. [x] v. 2.

[y] 2 Tim. 3, 11. [z] Matth. 16, 24. [a] Tit. 1, 5. [b] c. 13, 13. [c] c. 13, 1. sqq.

Cap. XIV. 8. haberet fidem. 15. corda vestra. 18. aestimantes. 22. et orantes. 24. in Pergen verbum Domini. 26. Dominus.

Judaea, docebant fratres: Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari[d].

2. Facta ergo seditione non minima Paulo et Barnabae adversus illos, statuerunt, ut ascenderent Paulus et Barnabas, et quidam alii ex aliis, ad Apostolos et presbyteros in Ierusalem, super hac quaestione[e].

3. Illi ergo deducti ab Ecclesia, pertransibant Phoenicen et Samariam, narrantes conversionem Gentium; et faciebant gaudium magnum omnibus fratribus.

4. Cum autem venissent Ierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia, et ab Apostolis, et Senioribus, annunciantes[f], quanta Deus fecisset cum illis.

5. Surrexerunt autem quidam de haeresi Pharisaeorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos, praecipere quoque servare legem Moysi.

6. Conveneruntque Apostoli et Seniores videre de verbo hoc.

7. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres! vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes[g] verbum Evangelii, et credere.

8. Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum[h], sicut et nobis,

9. et nihil discrevit[i] inter nos et illos, fide purificans corda eorum.

[d] v. 5. [e] v. 6. [f] v. 12. c. 21, 19. [g] c. 10, 9. sqq. [h] c. 10, 44. 47. [i] c. 10, 34.

10. Nunc ergo quid tentati Deum, imponere jugum[k] supe cervices discipulorum, quod ne que patres nostri, neque nos por tare potuimus?

11. Sed per gratiam[l] Domin Jesu Christi credimus salvari quemadmodum et illi.

12. Tacuit autem omnis mul titudo; et audiebant Barnabam e Paulum, narrantes, quanta Deus fecisset signa et prodigia in Gentibus per eos.

13. Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus[m], dicens: Viri fratres, audite me!

14. Simon narravit, quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex Gentibus populum nomini suo.

15. Et huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est:

16. „Post haec revertar, et „reaedificabo tabernaculum Da„vid, quod decidit; et diruta ejus „reaedificabo, et erigam illud;

17. „ut requirant caeteri ho„minum Dominum, et omnes „gentes, super quas invocatum „est nomen meum, dicit Domi„nus faciens haec."[n]

18. Notum a saeculo est Domino opus suum.

19. Propter quod ego judico, non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum,

20. sed scribere[o] ad eos, ut abstineant se a contaminationibus simulachrorum[p], et fornicatione[q], et suffocatis, et sanguine[r].

[k] Matth. 23, 4. Gal. 5, 1. [l] Eph. 2, 8. [m] c. 12, 17. [n] Amos 9, 11. 12. [o] v. 29. c. 16, 4. 21, 25. [p] 1 Cor. 8. [q] 1 Thess. 4, 3. [r] Gen 9, 4. Lev. 3, 17.

Cap. XV. 1. Mosi (*sic semper*); *ibid.* salvi fieri. 2. et quidem 3. illi igitur; *ibid.* pertransiebant. 5. qui crediderant. 7. in nobis elegit Deus. 8. sanctum Spiritum. 11. *Deest* Christi. 12. fecisset Deus 16. aedificabo tabernaculum; *ibid.* *deest* David. 19. ad Dominum.

21. Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum praedicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.

22. Tunc placuit Apostolis, et Senioribus cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis, et mittere Antiochiam cum Paulo et Barnaba, Judam, qui cognominabatur Barsabas, et Silam [s], viros primos in fratribus,

23. scribentes per manus eorum: Apostoli, et seniores fratres, his, qui sunt Antiochiae, et Syriae, et Ciliciae, fratribus ex Gentibus, salutem.

24. Quoniam audivimus, quia quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus [t];

25. placuit nobis collectis in unum, eligere viros et mittere ad vos cum charissimis nostris Barnaba et Paulo,

26. hominibus, qui tradiderunt animas suas [u] pro nomine Domini nostri Jesu Christi.

27. Misimus ergo Judam et Silam, qui et ipsi vobis verbis referent eadem.

28. Visum est enim Spiritui sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris [v], quam haec necessaria:

29. ut abstineatis [w] vos ab immolatis simulachrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione, a quibus custodientes vos, bene agetis. Valete!

30. Illi ergo dimissi, descenderunt Antiochiam; et congregata multitudine tradiderunt epistolam.

31. Quam cum legissent, gavisi sunt super consolatione.

32. Judas autem et Silas, et ipsi cum essent Prophetae, verbo plurimo consolati sunt fratres, et confirmaverunt.

33. Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace a fratribus ad eos, qui miserant illos.

34. Visum est autem Silae ibi remanere; Judas autem solus abiit Ierusalem.

35. Paulus autem et Barnabas demorabantur Antiochiae, docentes, et evangelizantes cum aliis pluribus, verbum Domini.

36. Post aliquot autem dies dixit ad Barnabam Paulus: Revertentes visitemus fratres, per universas civitates, in quibus praedicavimus verbum Domini, quomodo se habeant.

37. Barnabas autem volebat secum assumere et Joannem, qui cognominabatur Marcus [x].

38. Paulus autem rogabat eum (ut qui discessisset ab eis de Pamphylia [y], et non isset cum eis in opus) non debere recipi.

39. Facta est autem dissensio [z], ita, ut discederent ab invicem, et Barnabas quidem, assumpto Marco, navigaret Cyprum;

40. Paulus vero, electo Sila, profectus est, traditus gratiae Dei a fratribus.

41. Perambulabat autem Syriam et Ciliciam, confirmans Ec-

[s] c. 16, 19. 17, 4. 18, 5. [t] v. 1. Gal. 2, 4. [u] c. 13, 50. 14, 18. [v] v. 10. [w] v. 20. [x] c. 12, 12. [y] c. 13, 13. [z] Gal. 2, 11. sqq.

Cap. XV. 22. elegere; *ibid.* cognominatur; *ibid.* Barsabbam (*sic*). 25. elegere. 29. sanguine suffocato (*deest* et). 30. illi igitur; *ibid.* epistulam. 33. *Deest* aliquanto; *ibid.* miserunt. 34. *Deest omnis hic versiculus.* 38. a Pamphylia; *ibid.* recipi eum. 40. Domini.

clesias; praecipiens, custodire praecepta Apostolorum et Seniorum.

CAP. XVI.

De Timothei circumcisione. Accitur per visionem Paulus in Macedoniam. Res ab eo Philippis gesta.

1. Pervenit autem Derben et Lystram[a]. Et ecce! discipulus quidam erat ibi, nomine Timotheus[b], filius mulieris Judaeae fidelis[c], patre gentili.

2. Huic testimonium bonum reddebant, qui in Lystris erant et Iconio fratres.

3. Hunc voluit Paulus secum proficisci; et assumens circumcidit eum, propter Judaeos[d], qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes, quod pater ejus erat Gentilis.

4. Cum autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quae erant decreta[e] ab Apostolis et Senioribus, qui erant Ierosolymis.

5. Et Ecclesiae quidem confirmabantur fide, et abundabant numero quotidie.

6. Transeuntes autem Phrygiam, et Galatiae regionem, vetati sunt a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia.

7. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam; et non permisit eos Spiritus Jesu.

8. Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem[f].

9. Et visio per noctem Paul[o] ostensa est: Vir Macedo quidam erat stans, et deprecans eum, e[t] dicens: Transiens in Macedoniam, adjuva nos!

10. Ut autem visum vidit, statim quaesivimus proficisci in Macedoniam, certi facti, quod vo[casset] nos Deus evangelizare eis

11. Navigantes autem a Troade, recto cursu venimus Samothraciam, et sequenti die Neapolim;

12. et inde Philippos, quae es[t] prima partis Macedoniae civitas, colonia. Eramus autem in ha[c] urbe diebus aliquot, conferentes.

13. Die autem sabbatorum egressi sumus foras portam juxta flumen, ubi videbatur oratio esse[g]; et sedentes loquebamur mulieribus, quae convenerant.

14. Et quaedam mulier, nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirenorum, colens Deum, audivit; cujus Dominus aperuit cor, intendere his, quae dicebantur a Paulo.

15. Cum autem baptizata esset, et domus ejus, deprecata est, dicens: Si judicastis me fidelem Domino esse, introite in domum meam, et manete! Et coëgit nos.

16. Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quamdam habentem spiritum pythonem obviare nobis, quae quaestum magnum praestabat dominis suis divinando.

17. Haec subsecuta Paulum et nos, clamabat dicens: Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis[h]!

[a] c. 14, 6. sqq. [b] c. 17, 14. 19, 22. 20, 4. [c] 2 Tim. 1, 5. [d] 1 Cor. 9, 20. [e] c. 15, 20. [f] c. 20, 6.

[g] c. 13, 14. 21, 5. [h] Marc. 1, 24. 34.

Cap. XV. 41. *Desunt inde a* praecipiens *usque ad* Seniorum *omnia*. XVI. 2. *Deest* bonum. 3. gentilis esset. 4. qui essent. 6. ab Spiritu sancto; *ibid. deest* Dei. 7. Bythiniam (*deest* in). 10. quia vocasset. 12. Philippis; *ibid.* prima parte.

18. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, et conversus, spiritui dixit: Praecipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea! Et exiit eadem hora.

19. Videntes autem domini ejus, quia exivit spes quaestus eorum, apprehendentes Paulum et Silam[i] perduxerunt in forum ad principes;

20. et offerentes eos magistratibus, dixerunt: Hi homines conturbant[k] civitatem nostram, cum sint Judaei;

21. et annunciant morem, quem non licet nobis suscipere, neque facere, cum simus Romani.

22. Et cucurrit plebs adversus eos; et magistratus scissis tunicis eorum, jusserunt eos virgis caedi[l].

23. Et cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem, praecipientes custodi, ut diligenter custodiret eos.

24. Qui cum tale praeceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem, et pedes eorum strinxit ligno.

25. Media autem nocte, Paulus et Silas orantes, laudabant[m] Deum; et audiebant eos, qui in custodia erant.

26. Subito vero terrae motus factus est magnus, ita, ut moverentur fundamenta carceris; et statim aperta sunt omnia ostia; et universorum vincula soluta sunt.

27. Expergefactus autem custos carceris, et videns januas apertas carceris, evaginato gladio volebat se interficere, aestimans, fugisse vinctos.

28. Clamavit autem Paulus voce magna, dicens: Nihil tibi mali feceris! universi enim hic sumus.

29. Petitoqne lumine, introgressus est; et tremefactus, procidit Paulo et Silae ad pedes;

30. et producens eos foras, ait: Domini! quid me oportet facere, ut salvus fiam[n]?

31. At illi dixerunt: Crede[o] in Dominum Jesum, et salvus eris tu, et domus tua.

32. Et locuti sunt ei verbum Domini, cum omnibus, qui erant in domo ejus.

33. Et tollens eos in illa hora noctis, lavit plagas eorum; et baptizatus est ipse, et omnis domus ejus continuo.

34. Cumque perduxisset eos in domum suam, apposuit eis mensam, et laetatus est cum omni domo sua, credens Deo.

35. Et cum dies factus esset, miserunt magistratus lictores, dicentes: Dimitte homines illos!

36. Nunciavit autem custos carceris verba haec Paulo: Quia miserunt magistratus, ut dimittamini; nunc igitur exeuntes, ite in pace!

37. Paulus autem dixit eis: Caesos nos publice, indemnatos, homines Romanos[p] miserunt in carcerem, et nunc occulte nos ejiciunt? Non ita! sed veniant,

38. et ipsi nos ejiciant. Nunciaverunt autem magistratibus

[i] c. 15, 22. [k] c. 17, 6. 24, 5. [l] 2 Cor. 11, 25. 1 Thess. 2, 2. [m] c. 5, 41.

[n] c. 2, 37. [o] Marc. 16, 16. [p] c. 22, 25.

Cap. XVI. 22. et concurrit. 24. strixit in ligno (*sic*). 25. adorantes Deum hymnum dicebant. Et audiebant. 26. et aperta sunt statim ostia omnia. 27. apertas januas. 28. *Deest* autem; *ibid.* magna voce; *ibid.* mali tibi. 29. ad pedes Paulo et Silae. 31. in Domino Jesu. 35. dimittite. 37. abscondite.

lictores verba haec. Timueruntque audito, quod Romani essent,

39. et venientes deprecati sunt eos, et educentes rogabant, ut egrederentur de urbe.

40. Exeuntes autem de carcere, introierunt ad Lydiam[q]; et visis fratribus, consolati sunt eos, et profecti sunt.

CAP. XVII.

Thessalonicae et Beroeae a Judaeis excitatur adversus Paulum seditio. Athenis apostolus verba evangelica facit et Dionysium Areopagitam ad Christum ducit.

1. Cum autem perambulassent Amphipolim, et Apolloniam, venerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga Judaeorum.

2. Secundum consuetudinem[r] autem Paulus introivit ad eos, et per sabbata tria disserebat eis de Scripturis,

3. adaperiens et insinuans, quia Christum oportuit pati, et resurgere a mortuis[s]; et quia hic est Jesus Christus[t], quem ego annuncio vobis.

4. Et quidam ex eis crediderunt, et adjuncti sunt Paulo et Silae[u], et de colentibus Gentilibusque[v] multitudo magna, et mulieres nobiles non paucae.

5. Zelantes autem Judaei, assumentesque de vulgo viros quosdam malos, et turba facta concitaverunt civitatem; et assistentes domui Jasonis, quaerebant eos producere in populum.

6. Et cum non invenissent eos, trahebant Jasonem et quosdam fratres ad principes civitatis, cla-mantes: Quoniam hi, qui urbe[m] concitant[w], et huc venerunt,

7. quos suscepit Jason, et h[i] omnes contra decreta Caesari[s] faciunt, regem[x] alium dicente[s] esse, Jesum.

8. Concitaverunt autem ple-bem, et principes civitatis, audi-entes haec.

9. Et accepta satisfactione [a] Jasone, et a caeteris, dimiserun[t] eos.

10. Fratres vero confestim pe[r] noctem dimiserunt Paulum et Si-lam in Beroeam. Qui cum venis-sent, in Synagogam Judaeoru[m] introierunt.

11. Hi autem erant nobiliore[s] eorum, qui sunt Thessalonicae, qui susceperunt verbum cu[m] omni aviditate, quotidie scrutan-tes[y] Scripturas, si haec ita se ha-berent.

12. Et multi quidem credide-runt ex eis, et mulierum gentili-um honestarum, et viri non pauci.

13. Cum autem cognovissen[t] in Thessalonica Judaei, quia e[t] Beroeae praedicatum est a Pau-lo verbum Dei, venerunt et illu[c] commoventes et turbantes multi-tudinem.

14. Statimque tunc Paulum di-miserunt fratres, ut iret usqu[e] ad mare; Silas autem et Timo-theus[z] remanserunt ibi.

15. Qui autem deduceban[t] Paulum, perduxerunt eum usqu[e] Athenas; et accepto mandato a[b] eo ad Silam et Timotheum, u[t] quam celeriter venirent ad illum profecti sunt.

[q] v. 14. [r] c. 13, 14. [s] Luc. 24, 26. 46. [t] c. 9, 22. [u] c. 15, 22. [v] c. 14, 1. Joh. 12, 20.

[w] c. 16, 20. [x] Joh. 19, 12. [y] Joh. 5, 39. [z] c. 16, 1. sqq.

Cap. XVI. 39. ut et egrederentur urbem. XVII. 3. Christus Jesus. 9. Et accepto satis ab Jasone et a ceteris. 10. advenissent. 12. gentilium mulierum. 13. et illic.

16. Paulus autem, cum Athenis eos exspectaret, incitabatur spiritus ejus in ipso, videns idololatriae deditam civitatem.

17. Disputabat igitur in synagoga[a] cum Judaeis, et colentibus, et in foro, per omnes dies, ad eos, qui aderant.

18. Quidam autem Epicurei, et Stoici philosophi disserebant cum eo, et quidam dicebant: Quid vult seminiverbius hic dicere? Alii vero: Novorum daemoniorum videtur annunciator esse; quia Jesum et resurrectionem annunciabat eis.

19. Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes: Possumus scire, quae est haec nova, quae a te dicitur, doctrina?

20. Nova enim quaedam infers auribus nostris; volumus ergo scire, quidnam velint haec esse.

21. (Athenienses autem omnes, et advenae hospites, ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi.)

22. Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses! per omnia quasi superstitiosiores vos video.

23. Praeteriens enim, et videns simulacra vestra, inveni et aram, in qua scriptum erat: IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.

24. Deus, qui fecit[b] mundum, et omnia, quae in eo sunt, hic coeli et terrae cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat[c],

25. nec manibus humanis colitur[d] indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia[e];

26. fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae[f], definiens statuta tempora, et terminos habitationis eorum[g],

27. quaerere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe[h] sit ab unoquoque nostrum.

28. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus[i]; sicut et quidam vestrorum Poëtarum dixerunt: Ipsius enim et genus sumus.

29. Genus ergo cum simus Dei, non debemus aestimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturae artis et cogitationis hominis, Divinum esse simile.

30. Et tempora quidem hujus ignorantiae despiciens[k] Deus, nunc annunciat hominibus, ut omnes ubique poenitentiam[l] agant,

31. eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in aequitate, in viro[m], in quo statuit, fidem praebens omnibus, suscitans eum a mortuis.

32. Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant[n], quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum.

33. Sic Paulus exivit de medio eorum.

34. Quidam vero viri adhaerentes ei, crediderunt; in quibus

[a] v. 2. [b] c. 14, 14. [c] c. 7, 49. 50.

[d] Joh. 4, 24. [e] Ps. 49, 8. sqq. [f] Gen. 1, 27. [g] Deut. 32, 8. [h] c. 14, 6. [i] Col. 1, 17. [k] c. 14, 15. [l] Luc. 24, 47. [m] 2 Cor. 5, 10. Matth. 25, 31. [n] 1 Cor. 1, 23.

Cap. XVII. 19. ad Ariopagum (*sic etiam infra*). 21. enim omnes. 23. inveni et aram (et *correctura additum legitur*). 24. inhabitat. 27. adtractent. 28. vestrum. 31. in qua.

et Dionysius Areopagita, et mulier nomine Damaris, et alii cum eis.

CAP. XVIII.

Paulum Corinthi infestant Judaei. Venit Ephesum, ubi Apollo Judaeis persuadet, Jesum esse Christum.

1. Post haec egressus ab Athenis, venit Corinthum.

2. Et inveniens quemdam Judaeum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, et Priscillam uxorem ejus [o] (eo quod praecepisset Claudius discedere omnes Judaeos a Roma), accessit ad eos.

3. Et quia ejusdem erat artis, manebat apud eos, et operabatur [p]; (erant autem scenofactoriae artis.)

4. Et disputabat in synagoga per omne sabbatum, interponens nomen Domini Jesu, suadebatque Judaeis et Graecis.

5. Cum venissent autem de Macedonia Silas et Timotheus [q], instabat verbo Paulus, testificans Judaeis esse Christum Jesum.

6. Contradicentibus autem eis, et blasphemantibus, excutiens vestimenta sua, dixit ad eos: Sanguis vester super caput vestrum! mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam [r].

7. Et migrans inde, intravit in domum cujusdam, nomine Titi Justi, colentis Deum, cujus domus erat conjuncta synagogae.

8. Crispus [s] autem archisynagogus credidit Domino cum om[ni] domo sua; et multi Corinthioru[m] audientes credebant, et baptiz[a]bantur.

9. Dixit autem Dominus no[c]... per visionem [t] Paulo: Noli tim[e]re, sed loquere, et ne taceas!

10. Propter quod ego sum t[e]cum; et nemo apponetur tibi, [ut] noceat te; quoniam populus e[st] mihi multus in hac civitate.

11. Sedit autem ibi annum [et] sex menses, docens apud eos ve[r]bum Dei.

12. Gallione autem proconsu[le] Achaiae, insurrexerunt u[no] animo Judaei in Paulum, et a[d]duxerunt eum ad tribunal,

13. dicentes: Quia contra l[e]gem hic persuadet hominibus c[o]lere Deum.

14. Incipiente autem Paul[o] aperire os, dixit Gallio ad Judae[os]: Si quidem esset iniquum al[i]quid, aut facinus pessimum, [o] viri Judaei! recte vos sustine[]rem;

15. si vero quaestiones su[nt] de verbo, et nominibus, et leg[is] vestra, vos ipsi videritis; Jude[x] ego horum nolo esse [u].

16. Et minavit eos a tribunal[i].

17. Apprehendentes aute[m] omnes Sosthenem [v] principe[m] synagogae, percutiebant eu[m] ante tribunal; et nihil eoru[m] Gallioni curae erat.

18. Paulus vero cum adhu[c] sustinuisset dies multos, fratribu[s] valefaciens, navigavit in Syria[m] (et cum eo Priscilla et Aquila, qu[i]

[o] v. 18. 26. Rom. 16, 3. 1 Cor. 16, 19. 2 Tim. 4, 19. [p] c. 20, 34. 1 Cor. 4, 12. 2 Cor. 11, 9. 1 Thess. 2, 9. [q] c. 17, 14. sq. 2 Cor. 1, 19. [r] c. 13, 45. 51. 20, 26. [s] 1 Cor. 1, 14.

[t] c. 16, 9. 23, 11. [u] Joh. 18, 31. [v] 1 Cor. 1, 1.

Cap. XVII. 34. Ariopagita. XVIII. 3. scenaefactoriae. 4[.] *Desunt verba* interponens nomen Domini Jesu; *ibid.* Judaeos et Graeco[s]. 5. a Macędonia. 11. *Deest* ibi; *ibid.* docens in eis. 15. et legis vestrae[.] 16. et eminavit. 18. Syriam (*deest* in).

sibi totonderat in Cenchris caput; habebat enim votum[w]).

19. Devenitque Ephesum, et illos ibi reliquit. Ipse vero ingressus synagogam, disputabat cum Judaeis.

20. Rogantibus autem eis, ut ampliori tempore maneret, non consensit;

21. sed valefaciens, et dicens[x]: Iterum revertar ad vos, Deo volente, profectus est ab Epheso.

22. Et descendens Caesaream, ascendit, et salutavit ecclesiam, et descendit Antiochiam[y].

23. Et facto ibi aliquanto tempore profectus est, perambulans ex ordine Galaticam regionem[z], et Phrygiam, confirmans omnes discipulos.

24. Judaeus autem quidam, Apollo[a] nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Ephesum, potens in scripturis.

25. Hic erat edoctus viam Domini; et fervens spiritu loquebatur, et docebat diligenter ea, quae sunt Jesu, sciens tantum baptisma Joannis[b].

26. Hic ergo coepit fiducialiter agere in synagoga. Quem cum audissent Priscilla et Aquila[c], assumpserunt eum, et diligentius exposuerunt ei viam Domini.

27. Cum autem vellet ire Achaiam, exhortati fratres, scripserunt discipulis, ut susciperent eum. Qui cum venisset, contulit multum his, qui crediderant.

28. Vehementer enim Judaeos revincebat publice, ostendens per Scripturas, esse Christum Jesum.

[w] c. 21, 24. Num. 6, 9. 18. [x] Gal. 2, 1. [y] Gal. 2, 11. [z] c. 16, 6. [a] c. 19, 1. 1 Cor. 1, 12. [b] c. 19, 3. [c] v. 2.

CAP. XIX.

Nonnulli homines Joannis tantum baptismate tincti nomine Christi sacra luuntur aqua Ephesi. In hac urbe multi comburunt libros superstitiosos. De Demetrio argentario.

1. Factum est autem, cum Apollo esset Corinthi[d], ut Paulus, peragratis superioribus partibus, veniret Ephesum[e], et inveniret quosdam discipulos;

2. dixitque ad eos: Si Spiritum sanctum[f] accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque, si Spiritus sanctus est, audivimus.

3. Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Joannis baptismate.

4. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit baptismo poenitentiae populum, dicens: In eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Jesum.

5. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu.

6. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant.

7. Erant autem omnes viri fere duodecim.

8. Introgressus autem synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans, et suadens de regno Dei.

9. Cum autem quidam indurarentur, et non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis, se-

[d] c. 18, 24. 27. [e] c. 18, 19. 21. [f] c. 10, 44. 8, 16.

Cap. XVIII. 18. totonderunt; *ibid.* habebant. 19. disputavit. 24 natione. 26. viam Dei. XIX. 2. *Deest* dixerunt. 6. manum.

gregavit discipulos, quotidie disputans in schola Tyranni cujusdam.

10. Hoc autem factum est per biennium, ita ut omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Judaei atque Gentiles.

11. Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli[g];

12. ita, ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur[h].

13. Tentaverunt autem quidam et de circumeuntibus Judaeis exorcistis, invocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Jesu, dicentes: Adjuro vos per Jesum, quem Paulus praedicat.

14. Erant autem quidam Judaei Scevae principis Sacerdotum septem filii, qui hoc faciebant.

15. Respondens autem spiritus nequam dixit eis: Jesum novi, et Paulum scio; vos autem, qui estis?

16. Et insiliens in eos homo, in quo erat daemonium pessimum, et dominatus amborum, invaluit contra eos, ita ut nudi et vulnerati effugerent de domo illa.

17. Hoc autem notum factum est omnibus Judaeis, atque Gentilibus, qui habitabant Ephesi; et cecidit timor super omnes illos, et magnificabatur nomen Domini Jesu.

18. Multique credentium veniebant, confitentes et annunciantes actus suos.

19. Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa[i] sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus; et computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.

20. Ita fortiter crescebat[k] verbum Dei, et confirmabatur.

21. His autem expletis, proposuit Paulus in Spiritu, transita Macedonia[l] et Achaia, ire Ierosolymam[m], dicens: Quoniam postquam fuero ibi, oportet me et Romam[n] videre.

22. Mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi Timotheum[o], et Erastum[p], ipse remansit ad tempus in Asia.

23. Facta est autem illo tempore turbatio non minima[q] de via Domini.

24. Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens aedes argenteas Dianae, praestabat artificibus non modicum quaestum;

25. quos convocans, et eos qui hujusmodi erant opifices dixit: Viri! scitis, quia de hoc artificio est nobis acquisitio;

26. et videtis, et auditis, quia non solum Ephesi, sed pene totius Asiae, Paulus hic suadens avertit multam turbam, dicens:

[g] c. 14, 3. [h] c. 5, 15. Matth. 9, 21.

[i] c. 8, 9. [k] c. 6, 7. [l] 1 Cor. 16, 5. [m] c. 18, 21. 20, 22. [n] Rom. 15, 23. sqq. [o] c. 16, 1. [p] Rom. 16, 23. 2 Tim. 4, 20. [q] 2 Cor. 1, 8.

Cap. XIX. 9. cottidie. 11. Deus faciebat per manus. 12. vel semicintia. 14. Scevae Judaei. 16. homo in eos. 19. ex his; *ibid.* combuserunt; *ibid.* quinquaginta milium. 20. verbum Domini crescebat. 23. in illo tempore; *ibid. deest* Domini. 24. Deanae (*sic etiam infra*). 25. adquisitio est nobis.

Quoniam non sunt dii, qui manibus fiunt.

27. Non solum autem haec periclitabitur nobis pars in redargutionem venire [r], sed et magnae Dianae templum in nihilum reputabitur, sed et destrui incipiet majestas ejus, quam tota Asia, et orbis colit.

28. His auditis, repleti sunt ira et exclamaverunt dicentes: Magna Diana Ephesiorum!

29. Et impleta est civitas confusione, et impetum fecerunt uno animo in theatrum, rapto Gajo [s], et Aristarcho [t] Macedonibus, comitibus Pauli.

30. Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli.

31. Quidam autem et de Asiae principibus, qui erant amici ejus, miserunt ad eum, rogantes, ne se daret in theatrum.

32. Alii autem aliud clamabant. Erat enim ecclesia confusa, et plures nesciebant, qua ex causa convenissent.

33. De turba autem detraxerunt Alexandrum [u], propellentibus eum Judaeis. Alexander autem manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo.

34. Quem ut cognoverunt Judaeum esse, vox facta una est omnium, quasi per horas duas clamantium: Magna Diana Ephesiorum!

35. Et cum sedasset scriba turbas, dixit: Viri Ephesii! quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum civitatem cultricem esse magnae Dianae [v], Jovisque prolis?

36. Cum ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse, et nihil temere agere.

37. Adduxistis enim homines istos, neque sacrilegos, neque blasphemantes deam vestram.

38. Quod si Demetrius, et qui cum eo sunt artifices, habent adversus aliquem causam, conventus forenses aguntur, et proconsules sunt, accusent invicem.

39. Si quid autem alterius rei quaeritis, in legitima ecclesia poterit absolvi.

40. Nam et periclitamur argui seditionis hodiernae; cum nullus obnoxius sit (de quo possimus reddere rationem) concursus istius. Et cum haec dixisset, dimisit ecclesiam.

[r] c. 16, 19. [s] 1 Cor. 1, 14. [t] Col. 4, 10. [u] 2 Tim. 4, 14.

CAP. XX.

Troade Eutychus gravi casu tactus mortuus vivit. Presbyteros Epheso vocatos Paulus fortiter et amice appellat, praedicens, quod non essent ultra eum visuri.

1. Postquam autem cessavit tumultus, vocatis Paulus discipulis, et exhortatus eos, valedixit, et profectus est, ut iret in Macedoniam [w].

2. Cum autem perambulasset partes illas, et exhortatus eos fuisset multo sermone, venit ad Graeciam;

3. ubi cum fecisset menses tres, factae sunt illi insidiae a Judaeis navigaturo in Syriam; habuitque consilium, ut reverteretur per Macedoniam.

[v] v. 27. [w] 1 Tim. 1, 3.

Cap. XIX. 27. deputabitur. 33. Alexander ergo; *ibid.* rationem reddere. 34. est una; *ibid.* Deana. 38. *pro* proconsulibus *emendatum legitur* proconsules. XX. 3. ubi cum fuisset.

4. Comitatus est autem eum Sopater Pyrrhi Beroeensis [x], Thessalonicensium vero Aristarchus, et Secundus, et Gajus [y] Derbeus, et Timotheus [z]; Asiani vero Tychicus [a] et Trophimus [b].

5. Hi cum praecessissent, sustinuerunt nos Troade;

6. nos vero navigavimus post dies Azymorum [c] a Philippis, et venimus ad eos Troadem [d] in diebus quinque, ubi demorati sumus diebus septem.

7. Una autem Sabbati, cum convenissemus ad frangendum panem [e], Paulus disputabat cum eis, profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque in mediam noctem.

8. Erant autem lampades copiosae in coenaculo, ubi eramus congregati.

9. Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus super fenestram, cum mergeretur somno gravi, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio coenaculo deorsum, et sublatus est mortuus.

10. Ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum, et complexus dixit: Nolite turbari! anima enim ipsius in ipso est.

11. Ascendens autem, frangensque panem, et gustans, satisque allocutus usque in lucem, sic profectus est.

12. Adduxerunt autem puerum viventem, et consolati sunt non minime.

13. Nos autem ascendentes navem, navigavimus in Asson, inde suscepturi Paulum; sic enim disposuerat ipse per terram iter facturus.

14. Cum autem convenisset nos in Asson, assumpto eo, venimus Mitylenen.

15. Et inde navigantes, sequenti die venimus contra Chium, et alia applicuimus Samum, et sequenti die venimus Miletum.

16. Proposuerat enim Paulus transnavigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes faceret Ierosolymis [f].

17. A Mileto autem mittens Ephesum, vocavit Majores natu Ecclesiae.

18. Qui cum venissent ad eum, et simul essent, dixit eis: Vos scitis, a prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim,

19. serviens Domino cum omni humilitate, et lacrymis, et tentationibus, quae mihi acciderunt ex insidiis Judaeorum;

20. quomodo nihil subtraxerim utilium, quo minus annunciarem vobis et docerem vos publice, et per domos,

21. testificans Judaeis atque Gentilibus in Deum poenitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum.

22. Et nunc ecce! alligatus

[x] c. 17, 10. [y] c. 19, 29. [z] c. 16, 1. [a] Eph. 6, 21. Col. 4, 7. 2 Tim. 4, 12. Tit. 3, 12. [b] c. 21, 29. [c] Exod. 12. [d] c. 16, 8. 2 Cor. 2, 12. [e] c. 2, 46.

[f] c. 18, 21.

Cap. XX. 4. comitatus est autem (*sic est alia scriptum est manu*); *ibid.* cum eo Sopater Pyri. 5. sustinebant. 7. In una autem; *ibid.* disputabat eis. 8. lampadae. 9. adulescens; *ibid.* eductus somno. 10. in eo est. 11. usque ad lucem. 12. enavigavimus. 16. Pentecosten. 20. subtraxerim vobis utilium (*sic*). 21. in Domino nostro Jesu Christo. 22. alligatus spiritu.

ego spiritu, vado in Ierusalem[g]; quae in ea ventura sint mihi, ignorans;

23. nisi quod Spiritus sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens: Quoniam vincula et tribulationes Ierosolymis me manent[h].

24. Sed nihil horum vereor; nec facio animam meam pretiosiorem, quam me, dummodo[i] consummem cursum meum, et ministerium verbi, quod accepi a Domino Jesu, testificari Evangelium gratiae Dei[k].

25. Et nunc ecce! ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi praedicans regnum Dei.

26. Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus[l] sum a sanguine omnium.

27. Non enim subterfugi, quo minus annunciarem omne consilium Dei vobis.

28. Attendite vobis, et universo gregi[m], in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo[n].

29. Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces[o] in vos, non parcentes gregi;

30. et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa[p], ut abducant discipulos post se.

31. Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte et die non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrum.

32. Et nunc commendo vos Deo, et verbo gratiae ipsius, qui potens est aedificare, et dare haereditatem in sanctificatis omnibus.

33. Argentum et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut

34. ipsi scitis; quoniam ad ea, quae mihi opus erant, et his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istae[q].

35. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos[r], ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quam accipere.

36. Et cum haec dixisset, positis genibus suis, oravit cum omnibus illis.

37. Magnus autem fletus factus est omnium; et procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum,

38. dolentes maxime in verbo, quod dixerat, quoniam amplius faciem ejus non essent visuri[s]. Et deducebant eum ad navem.

CAP. XXI.

Praenuntiat Agabus mala, quibus Paulus affligetur Ierosolymis; quo cum venisset, addit se viris voto strictis.

1. Cum autem factum esset, ut navigaremus abstracti ab eis, recto cursu venimus Coum, et sequenti die Rhodum, et inde Pataram.

[g] Luc. 18, 31. sqq. [h] c. 21, 4. 33. [i] c. 21, 13. Philipp. 2, 17. [k] 2 Cor. 5, 20. [l] c. 18, 6. [m] 1 Petr. 5, 2. [n] Tit. 2, 14. 1 Cor. 6, 20. [o] Matth. 7, 15. [p] 1 Tim. 4. 1—3.

[q] c. 18, 3. 2 Cor. 7, 2. [r] 1 Cor. 9, 12. [s] v. 25.

Cap. XX. 22. sunt. 23. protestatur mihi; *ibid.* tribulationes me (e *correctura ex* meae) manent in Hierosolymis. 24. *Deest* verbi. 29. lupi graves. 31. nocte et in die (*sic*). 33. argentum aut aurum; *ibid. deest* sicut. 36. cum omnibus illis oravit. 37. *Deest* factus. XXI. 1. Cho; *ibid.* Patara.

2. Et cum invenissemus navem transfretantem in Phoenicen, ascendentes navigavimus.

3. Cum apparuissemus autem Cypro, relinquentes eam ad sinistram, navigavimus in Syriam, et venimus Tyrum; ibi enim navis expositura erat onus.

4. Inventis autem discipulis, mansimus ibi diebus septem; qui Paulo dicebant per Spiritum[t], ne ascenderet Ierosolymam.

5. Et expletis diebus, profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum uxoribus et filiis usque foras civitatem; et positis genibus in littore, oravimus.

6. Et cum valefecissemus invicem, ascendimus navem; illi autem redierunt in sua.

7. Nos vero, navigatione expleta, a Tyro descendimus Ptolemaïdam; et salutatis fratribus, mansimus die una apud illos.

8. Alia autem die profecti venimus Caesaream; et intrantes domum Philippi evangelistae, qui erat unus de septem[u], mansimus apud eum.

9. Huic autem erant quatuor filiae virgines prophetantes[v].

10. Et cum moraremur per dies aliquot, supervenit quidam a Judaea Propheta, nomine Agabus[w].

11. Is cum venisset ad nos, tulit zonam Pauli; et alligans sibi pedes et manus, dixit: Haec dicit Spiritus sanctus: Virum, cujus est zona haec, sic alligabunt in Ierusalem Judaei, et tradent in manus Gentium[x].

12. Quod cum audissemus, rogabamus nos, et qui loci illius erant, ne ascenderet Ierosolymam.

13. Tunc respondit Paulus, et dixit: Quid facitis flentes et affligentes cor meum[y]? Ego enim non solum alligari, sed et mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu.

14. Et cum ei suadere non possemus, quievimus, dicentes: Domini voluntas[z] fiat!

15. Post dies autem istos praeparati, ascendebamus in Ierusalem.

16. Venerunt autem et ex discipulis a Caesarea nobiscum, adducentes secum apud quem hospitaremur, Mnasonem quemdam Cyprium, antiquum discipulum.

17. Et cum venissemus Ierosolymam, libenter exceperunt nos fratres.

18. Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Jacobum[a], omnesque collecti sunt seniores.

19. Quos cum salutasset, narrabat per singula, quae Deus fecisset in Gentibus per ministerium ipsius.

20. At illi, cum audissent, magnificabant Deum, dixeruntque ei: Vides, frater! quot millia sunt in Judaeis, qui crediderunt, et omnes aemulatores sunt legis;

21. audierunt autem de te, quia discessionem doceas a Moyse eorum, qui per Gentes sunt, Ju-

[t] c. 20, 16. 23. [u] c. 6, 5. 8, 40. [v] c. 2, 17. [w] c. 11, 28. [x] v. 4. 33. c. 25, 21.

[y] c. 20, 37. [z] Luc. 22, 42. [a] Gal. 1, 19.

Cap. XXI. 2. Foenicen 3. paruissemus; *ibid.* et relinquentes; *ibid.* erat expositura 5. et explicitis. 6. ascendimus in navem. 7. explicita. 8. in domum; *ibid. deest* unus. 9. filiae quattuor. 16. *Deest* secum. 17. Hierosolyma. 19. fecisset Deus. 20. quot milia.

laeorum, dicens, non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi.

22. Quid ergo est? utique oportet convenire multitudinem; audient enim te supervenisse.

23. Hoc ergo fac, quod tibi dicimus: Sunt nobis viri quatuor, votum habentes super se.

24. His assumptis, sanctifica te cum illis; et impende in illis, ut radant capita[b]; et scient omnes, quia, quae de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas et ipse custodiens legem.

25. De his autem, qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus judicantes, ut abstineant se ab idolis immolato, et sanguine, et suffocato, et fornicatione[c].

26. Tunc Paulus, assumptis viris, postera die purificatus cum illis, intravit in templum[d] annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio[e].

27. Dum autem septem dies consummarentur, hi, qui de Asia erant Judaei, cum vidissent eum in templo, concitaverunt omnem populum, et injecerunt ei manus, clamantes:

28. Viri Israëlitae, adjuvate! hic est homo, qui adversus populum, et legem, et locum hunc omnes ubique docens, insuper et Gentiles induxit in templum, et violavit sanctum locum istum[f].

29. Viderant enim Trophimum[g] Ephesium in civitate cum ipso, quem aestimaverunt, quoniam in templum introduxisset Paulus.

30. Commotaque est civitas tota, et facta est concursio populi. Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extra templum; et statim clausae sunt januae.

31. Quaerentibus autem eum occidere, nunciatum est tribuno cohortis: Quia tota confunditur Ierusalem.

32. Qui statim assumptis militibus et centurionibus, decurrit ad illos. Qui cum vidissent tribunum, et milites, cessaverunt percutere Paulum.

33. Tunc accedens tribunus apprehendit eum, et jussit eum alligari catenis[h] duabus; et interrogabat, quis esset, et quid fecisset.

34. Alii autem aliud clamabant in turba. Et cum non posset certum cognoscere prae tumultu, jussit duci eum in castra.

35. Et cum venisset ad gradus, contigit, ut portaretur a militibus propter vim populi.

36. Sequebatur enim multitudo populi, clamans: Tolle eum!

37. Et cum coepisset induci in castra Paulus, dicit tribuno: Si licet mihi loqui aliquid ad te? Qui dixit: Graece nosti?

38. Nonne tu es Aegyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti, et eduxisti in desertum quatuor millia[i] virorum sicariorum?

39. Et dixit ad eum Paulus: Ego homo sum quidem Judaeus, a Tarso Ciliciae, non ignotae civitatis, municeps; rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum.

[b] c. 18, 18. [c] c. 15, 20. [d] 1 Cor. 9, 19—23. [e] Num. 31, 23. sqq. [f] Deut. 23, 3. [g] c. 20, 4.

[h] c. 20, 23. [i] c. 5, 36.

Cap. XXI. 21. dicentes non (*sic*). 27. dum enim; *ibid.* qui ab Asia. 29. induxisset. 32. decucurrit. 33. *Deest* eum. 38. milia.

40. Et cum ille permisisset, Paulus stans in gradibus, annuit manu ad plebem, et magno silentio facto, allocutus est lingua Hebraea, dicens:

CAP. XXII.

Judaei tumultuati sunt, Paulo dicente, se missum esse ad novam religionem exteris indicendam. Jussus autem torqueri, liberatur fortiter asserendo, civem se Romanum esse.

1. Viri fratres, et patres! audite, quam ad vos nunc reddo rationem.

2. Cum audissent autem, quia Hebraea lingua loqueretur ad illos, magis praestiterunt silentium.

3. Et dicit: Ego sum vir Judaeus, natus in Tarso Ciliciae, nutritus autem in ista civitate, secus pedes Gamaliel[k], eruditus juxta veritatem paternae legis, aemulator legis, sicut et vos omnes estis hodie;

4. qui hanc viam persecutus sum usque ad mortem, alligans et tradens in custodias viros ac mulieres[l],

5. [m]sicut princeps Sacerdotum mihi testimonium reddit, et omnes majores natu, a quibus et epistolas accipiens, ad fratres Damascum pergebam, ut adducerem inde vinctos in Ierusalem, ut punirentur.

6. Factum est autem, eunte me, et appropinquante Damasco media die, subito de coelo circumfulsit me lux copiosa;

7. et decidens in terram, audivi vocem dicentem mihi: Saule, Saule! quid me persequeris?

8. Ego autem respondi: Quis es, Domine? Dixitque ad me: Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris.

9. Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt ejus, qui loquebatur mecum.

10. Et dixi: Quid faciam, Domine? Dominus autem dixit ad me: Surgens vade Damascum, et ibi tibi dicetur de omnibus, quae te oporteat facere.

11. Et cum non viderem prae claritate luminis illius, ad manum deductus a comitibus, veni Damascum.

12. Ananias autem quidam, vir secundum legem testimonium habens ab omnibus cohabitantibus Judaeis,

13. veniens ad me, et astans dixit mihi: Saule, frater! respice. Et ego eadem hora respexi in eum.

14. At ille dixit: Deus patrum nostrorum praeordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus, et videres Justum, et audires vocem ex ore ejus;

15. quia eris testis illius ad omnes homines, eorum, quae vidisti et audisti.

16. Et nunc, quid moraris? Exsurge, et baptizare, et ablue peccata tua[n], invocato nomine ipsius.

17. Factum est autem revertenti mihi in Ierusalem, et oranti in templo, fieri me in stupore mentis[o],

18. et videre illum dicentem

[k] c. 5, 34. [l] c. 8, 3. 1 Tim. 1, 13. [m] v. 5—15. Act. 9, 1—15.

[n] c. 2, 38. [o] 2 Cor. 12, 2.

Cap. XXI. 40. hebraea lingua. XXII. 2. loquitur. 3. et dixit; *ibid.* Tharso (*deest* in); *ibid.* in istam civitatem. 4. in custodia. 5. testimonium mihi; *ibid.* epistulas. 12. habitantibus. 17. stupore (*deest* in).

mihi: Festina, et exi velociter ex Ierusalem; quoniam non recipient testimonium tuum de me.

19. Et ego dixi: Domine! ipsi sciunt, quia ego eram concludens in carcerem, et caedens per synagogas eos, qui credebant in te;

20. et cum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam, et consentiebam, et custodiebam vestimenta interficientium illum[p].

21. Et dixit ad me: Vade! quoniam ego in nationes[q] longe mittam te.

22. Audiebant autem eum usque ad hoc verbum, et levaverunt vocem suam, dicentes: Tolle de terra hujusmodi; non enim fas est eum vivere[r].

23. Vociferantibus autem eis, et projicientibus vestimenta sua, et pulverem jactantibus in aërem,

24. jussit tribunus induci eum in castra, et flagellis caedi, et torqueri eum, ut sciret, propter quam causam sic acclamarent ei.

25. Et cum astrinxissent eum loris, dicit astanti sibi Centurioni Paulus: Si hominem Romanum[s], et indemnatum licet vobis flagellare?

26. Quo audito, Centurio accessit ad tribunum, et nunciavit ei, dicens: Quid acturus es? hic enim homo civis Romanus est.

27. Accedens autem tribunus, dixit illi: Dic mihi, si tu Romanus es? At ille dixit: Etiam.

28. Et respondit tribunus: Ego multa summa civitatem hanc consecutus sum. Et Paulus ait: Ego autem et natus sum.

29. Protinus ergo discesserunt ab illo, qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit, postquam rescivit, quia civis Romanus esset, et quia alligasset[t] eum.

30. Postera autem die volens scire diligentius, qua ex causa accusaretur a Judaeis, solvit eum, et jussit Sacerdotes convenire et omne concilium, et producens Paulum, statuit inter illos.

CAP. XXIII.

Orta est dissensio Pharisaeos inter et Sadducaeos, quod contendisset Paulus, se de resurrectione mortuorum judicari. Publica facta de Paulo trucidando conjuratione, mittitur Caesaream.

1. Intendens autem in concilium Paulus, ait: Viri fratres! ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernum diem.

2. Princeps autem Sacerdotum Ananias praecepit astantibus sibi percutere os ejus[u].

3. Tunc Paulus dixit ad eum: Percutiet te Deus, paries dealbate[v]! Et tu sedens judicas me secundum legem, et contra legem[w] jubes me percuti?

4. Et qui astabant, dixerunt: Summum Sacerdotem Dei maledicis?

5. Dixit autem Paulus: Nesciebam, fratres! quia princeps est Sacerdotum. Scriptum est enim: „Principem populi tui non male-„dices.“[x]

6. Sciens autem Paulus, quia una pars esset Sadducaeorum, et altera Pharisaeorum, exclama-

[p] c. 7, 57. [q] c. 9, 15. Gal. 1, 16. [r] Matth. 26, 66. 27, 23. [s] c. 16, 37.

[t] c. 21, 33. [u] Joh. 18, 22. [v] Matth. 23, 27. [w] Lev. 19, 15. [x] Exod. 22, 28.

Cap. XXII. 22. eiusmodi. 25. dixit. 26. nuntiavit dicens (*deest* ei); *ibid.* cives Romanus (*sic*). 27. mihi tu (*deest* si). 28. pecunia civitatem. XXIII. 1. concilium (*deest* in). 3. ad eum dixit. 5. maledicis.

vit in concilio: Viri fratres! ego Pharisaeus sum, filius Pharisaeorum; de spe[y] et resurrectione mortuorum ego judicor.

7. Et cum haec dixisset, facta est dissensio inter Pharisaeos et Sadducaeos, et soluta est multitudo.

8. Sadducaei[z] enim dicunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum; Pharisaei autem utraque confitentur.

9. Factus est autem clamor magnus. Et surgentes quidam Pharisaeorum, pugnabant, dicentes: Nihil mali invenimus in homine isto; quid si Spiritus locutus est ei, aut Angelus?

10. Et cum magna dissensio facta esset, timens tribunus, ne discerperetur Paulus ab ipsis, jussit milites descendere, et rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in castra.

11. Sequenti autem nocte assistens ei Dominus, ait: Constans esto[a]! sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet et Romae testificari.

12. Facta autem die collegerunt se quidam ex Judaeis, et devoverunt se, dicentes, neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum[b].

13. Erant autem plus quam quadraginta viri, qui hanc conjurationem fecerant.

14. Qui accesserunt principes Sacerdotum, et Seniores, et dixerunt: Devotione devovimus nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum.

15. Nunc ergo vos notum facite tribuno cum concilio, ut producat illum ad vos, tamquam aliquid certius cognituri de eo. Nos vero prius quam appropiet, parati sumus interficere[c] illum.

16. Quod cum audisset filius sororis Pauli insidias, venit, et intravit in castra, nunciavitque Paulo.

17. Vocans autem Paulus ad se unum ex Centurionibus, ait: Adolescentem hunc perduc ad tribunum; habet enim aliquid indicare illi.

18. Et ille quidem assumens eum, duxit ad tribunum, et ait: Vinctus Paulus rogavit me hunc adolescentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi.

19. Apprehendens autem tribunus manum illius, secessit cum eo seorsum, et interrogavit illum: Quid est, quod habes indicare mihi?

20. Ille autem dixit: Judaeis convenit rogare te, ut crastina die producas Paulum in concilium, quasi aliquid certius inquisituri sint de illo;

21. tu vero ne credideris illis, insidiantur enim ei ex eis viri amplius quam quadraginta, qui se devoverunt non manducare, neque bibere, donec interficiant eum; et nunc parati sunt, exspectantes promissum tuum.

22. Tribunus igitur dimisit adolescentem, praecipiens, ne cui loqueretur, quoniam haec nota sibi fecisset.

23. Et vocatis duobus Centurionibus, dixit illis: Parate mili-

[y] c. 24, 15. [z] Matth. 22, 23. [a] c. 18, 9. 19, 21. [b] c. 21, 27. sqq.

[c] c. 25, 3.

Cap. XXIII. 6. et de resurrectione. 13. *Deest* viri. 16. narravitque. 17. adulescentem. | 18. adulescentem (*ita semper*). 20. Paulum producas; *ibid.* aliquid et certius (*sic*). 21. *Deest* ei; *ibid.* amplius quadraginta (*deest* quam).

tes ducentos, ut eant usque Caesaream, et equites septuaginta, et lancearios ducentos, a tertia hora noctis;

24. et jumenta praeparate, ut imponentes Paulum, salvum perducerent ad Felicem praesidem.

25. (Timuit enim, ne forte raperent eum Judaei, et occiderent, et ipse postea calumniam sustineret, tamquam accepturus pecuniam.)

26. Scribens epistolam continentem haec: Claudius Lysias optimo praesidi, Felici, salutem.

27. Virum hunc comprehensum a Judaeis, et incipientem interfici ab eis, superveniens cum exercitu eripui, cognito, quia Romanus est[d].

28. Volensque scire causam, quam objiciebant illi, deduxi eum in concilium eorum.

29. Quem inveni accusari de quaestionibus legis ipsorum[e], nihil vero dignum morte aut vinculis habentem criminis.

30. Et cum mihi perlatum esset de insidiis, quas paraverant illi, misi eum ad te denuncians; et accusatoribus ut dicant apud te. Vale.

31. Milites ergo secundum praeceptum sibi, assumentes Paulum, duxerunt per noctem in Antipatridem.

32. Et postera die dimissis equitibus, ut cum eo irent, reversi sunt ad castra.

33. Qui cum venissent Caesaream, et tradidissent epistolam praesidi[f], statuerunt ante illum et Paulum.

[d] c. 21, 33. 22, 25. [e] v. 6. [f] Matth. 10, 18.

34. Cum legisset autem, et interrogasset, de qua provincia esset; et cognoscens, quia de Cilicia,

35. audiam te, inquit, cum accusatores tui venerint[g]. Jussitque in praetorio Herodis custodiri eum.

CAP. XXIV.

Coram Felice Christum praedicat Paulus. At cum pecunia se non solvisset, vinctus relinquitur, Felice abeunte.

1. Post quinque autem dies descendit princeps Sacerdotum, Ananias[h], cum Senioribus quibusdam, et Tertullo quodam oratore, qui adierunt principem adversus Paulum.

2. Et citato Paulo, coepit accusare Tertullus, dicens: Cum in multa pace agamus per te, et multa corrigantur per tuam providentiam;

3. semper et ubique suscipimus, optime Felix! cum omni gratiarum actione.

4. Ne diutius autem te protraham, oro, breviter audias nos pro tua clementia.

5. Invenimus hunc hominem pestiferum, et concitantem seditiones omnibus Judaeis in universo orbe, et auctorem seditionis sectae Nazarenorum.

6. Qui etiam templum violare[i] conatus est, quem et apprehensum voluimus secundum legem nostram judicare.

7. Superveniens autem tribunus Lysias[k], cum vi magna eripuit eum de manibus nostris,

[g] c. 24, 1. [h] c. 23, 2. [i] c. 21, 28. [k] c. 21, 31—33.

Cap. XXIII. 25. *Hic versus prorsus abest a codice nostro.* 29. crimen. 30. paraverunt ei misi ad te (*deest* eum); *ibid. deest* Vale. 32. ut irent cum eo. 35. cum et accusatores. XXIV. 7. Lysias tribunus.

8. jubens accusatores ejus ad te venire[l]; a quo poteris ipse, judicans, de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum.

9. Adjecerunt autem et Judaei, dicentes haec ita se habere.

10. Respondit autem Paulus (annuente sibi praeside dicere): Ex multis annis te esse judicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam.

11. Potes enim cognoscere, quia non plus sunt mihi dies, quam duodecim, ex quo ascendi adorare in Ierusalem;

12. et neque in templo invenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbae, neque in synagogis[m];

13. neque in civitate; neque probare possunt tibi, de quibus nunc me accusant.

14. Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam dicunt haeresim[n], sic deservio Patri et Deo meo, credens omnibus, quae in Lege et Prophetis scripta sunt[o];

15. spem habens in Deum, quam et hi ipsi exspectant[p], resurrectionem futuram justorum, et iniquorum.

16. In hoc et ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum et ad homines semper.

17. Post annos autem plures, eleemosynas facturus in gentem meam, veni[q], et oblationes, et vota,

[l] c. 23, 30. [m] c. 25, 8. 28, 17. [n] v. 5. c. 19, 9. [o] c. 26, 22. [p] c. 23, 6. [q] c. 21, 17. sqq.

18. in quibus invenerunt me purificatum in templo, non cum turba, neque cum tumultu.

19. Quidam autem ex Asia Judaei, quos oportebat apud te praesto esse, et accusare, si quid haberent adversum me;

20. aut hi ipsi dicant, si quid invenerunt in me iniquitatis, cum stem in concilio;

21. nisi de una hac solummodo voce, qua clamavi inter eos stans[r]: Quoniam de resurrectione mortuorum ego judicor hodie a vobis.

22. Distulit autem illos Felix, certissime sciens de via hac, dicens: Cum tribunus Lysias descenderit, audiam vos.

23. Jussitque Centurioni custodire eum, et habere requiem[s], nec quemquam de suis prohibere ministrare ei.

24. Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla uxore sua, quae erat Judaea, vocavit Paulum, et audivit ab eo fidem, quae est in Christum Jesum.

25. Disputante autem illo de justitia, et castitate, et de judicio futuro, tremefactus[t] Felix respondit: Quod nunc attinet, vade; tempore autem opportuno accersam te.

26. Simul et sperans, quod pecunia ei daretur a Paulo, propter quod et frequenter accersens eum, loquebatur cum eo.

27. Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Portium Festum; volens autem gratiam[u]

[r] c. 23, 6. [s] c. 27, 3. 28, 16. [t] Hebr. 4, 12. [u] c. 25, 9. Marc. 15, 15.

Cap. XXIV. 10. esse te. 13. accusant me. 14. patri Deo. 22. de via dicens (*deest* hac, *ita partim ex antiqua scriptura, partim ex correctione*); *ibid.* descenderit Lysias. 23. prohibere de suis. 24. in Jesum Christum. 25. et de castitate; *ibid.* oportuno; *ibid.* arcessiam te. 26. sperans quia pecunia daretur ei a; *ibid.* arcessiens. 27. Porcium.

praestare Judaeis Felix, reliquit Paulum vinctum.

CAP. XXV.

Paulus ad Caesarem provocat. Causam et personam apostoli Festus indicat Agrippae regi.

1. Festus ergo cum venisset in provinciam, post triduum ascendit Ierosolymam a Caesarea.

2. Adieruntque eum principes Sacerdotum, et primi Judaeorum, adversus Paulum; et rogabant eum,

3. postulantes gratiam adversus eum, ut juberet perduci eum in Ierusalem, insidias tendentes, ut interficerent eum in via[v].

4. Festus autem respondit, servari Paulum in Caesarea; se autem maturius profecturum.

5. Qui ergo in vobis (ait) potentes sunt, descendentes simul, si quod est in viro crimen, accusent eum.

6. Demoratus autem inter eos dies non amplius, quam octo, aut decem, descendit Caesaream, et altera die sedit pro tribunali, et jussit Paulum adduci.

7. Qui cum perductus esset, circumsteterunt eum, qui ab Ierosolyma descenderant Judaei, multas et graves causas objicientes, quas non poterant probare[w],

8. Paulo rationem reddente: Quoniam neque in legem Judaeorum, neque in templum, neque in Caesarem quidquam peccavi[x].

9. Festus autem volens gratiam[y] praestare Judaeis, respondens Paulo, dixit: Vis Ierosolymam ascendere, et ibi de his judicari apud me?

10. Dixit autem Paulus: Ad tribunal Caesaris sto, ibi me oportet judicari; Judaeis non nocui, sicut tu melius nosti.

11. Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori; si vero nihil est eorum, quae hi accusant me, nemo potest me illis donare[z]. Caesarem appello.

12. Tunc Festus cum concilio locutus, respondit: Caesarem appellasti? ad Caesarem ibis[a]!

13. Et cum dies aliquot transacti essent, Agrippa rex et Bernice descenderunt Caesaream ad salutandum Festum.

14. Et cum dies plures ibi demorarentur, Festus regi indicavit de Paulo, dicens: Vir quidam est derelictus a Felice vinctus,

15. de quo, cum essem Ierosolymis, adierunt me principes Sacerdotum, et Seniores Judaeorum, postulantes adversus illum damnationem.

16. Ad quos respondi: Quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, prius, quam is, qui accusatur, praesentes habeat accusatores[b], locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.

17. Cum ergo huc convenissent sine ulla dilatione, sequenti die sedens pro tribunali, jussi adduci virum.

18. De quo, cum stetissent accusatores, nullam causam defe-

[v] c. 23, 15. [w] c. 24, 5. 13. [x] c. 24, 12. [y] c. 24, 27.

[z] v. 9. [a] c. 19, 21. [b] v. 4. 5

Cap. XXV. 3. adversum eum; *ibid.* Hierusalem; *ibid.* eum interficerent. 8. Paulo autem rationem. 9. Judaeis gratiam praestare respondit Paulo et dixit; *ibid.* Hierosolyma. 10. ubi me; *ibid.* Judaeos. 11. quae isti. 12. cum consilio. 14. aliquot. 16. consuetudo Romanis donare (*sic*).

rebant, de quibus ego suspicabar malum;

19. quaestiones vero quasdam de sua superstitione habebant adversus eum, et de quodam Jesu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere.

20. Haesitans autem ego de hujusmodi quaestione, dicebam, si vellet ire Ierosolymam, et ibi judicari de istis.

21. Paulo autem appellante, ut servaretur ad Augusti cognitionem, jussi servari eum, donec mittam[c] eum ad Caesarem.

22. Agrippa autem dixit ad Festum: Volebam et ipse hominem audire. Cras, inquit, audies eum.

23. Altera autem die cum venisset Agrippa et Bernice cum multa ambitione, et introissent in auditorium cum tribunis, et viris principalibus civitatis, jubente Festo adductus est Paulus.

24. Et dicit Festus: Agrippa rex[d], et omnes, qui simul adestis nobiscum viri, videtis hunc, de quo omnis multitudo Judaeorum interpellavit me Ierosolymis, petentes et acclamantes, non oportere eum vivere amplius.

25. Ego vero comperi nihil dignum morte eum admisisse[e]. Ipso autem hoc appellante ad Augustum, judicavi mittere.

26. De quo quid certum scribam domino, non habeo. Propter quod produxi eum ad vos, et maxime ad te, rex Agrippa, ut interrogatione facta, habeam, quid scribam.

27. Sine ratione enim mihi videtur, mittere vinctum, et causas ejus non significare.

c c. 27, 1. d c. 9, 15. e c. 26, 31.

CAP. XXVI.

Paulus coram Agrippa causam defendit. Respondit Festo, insanire hominem clamanti.

1. Agrippa vero ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro temet ipso. Tunc Paulus extenta manu coepit rationem reddere[f].

2. De omnibus, quibus accusor a Judaeis, rex Agrippa! aestimo me beatum, apud te cum sim defensurus me hodie,

3. maxime te sciente omnia, et quae apud Judaeos sunt consuetudines, et quaestiones; propter quod obsecro patienter me audias.

4. Et quidem vitam meam a juventute, quae ab initio fuit in gente mea in Ierosolymis, noverunt omnes Judaei.

5. Praescientes me ab initio (si velint testimonium perhibere), quoniam secundum certissimam sectam nostrae religionis vixi Pharisaeus[g].

6. Et nunc in spe, quae ad patres nostros repromissionis[h] facta est a Deo, sto judicio subjectus,

7. in quam duodecim tribus nostrae, nocte ac die deservientes, sperant devenire. De qua spe accusor a Judaeis, rex!

8. Quid incredibile judicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat?

9. Et ego quidem existimaveram, me adversus nomen Jesu

f Matth. 10, 18. g c. 23, 6. h c. 13, 32. sqq.

Cap. XXV. 18. malam. 20. Hierosolyma. 22. *Deest* dixit. 23. et jubente. 24. et dixit; *ibid.* petens et hic clamantes. 25. eum morte. XXVI. 3. omnia quae apud. 7. in qua.

Nazareni debere multa contraria agere[i].

10. [k]Quod et feci Ierosolymis, et multos sanctorum ego in carceribus inclusi, a principibus Sacerdotum potestate accepta; et cum occiderentur, detuli sententiam.

11. Et per omnes synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare; et amplius insaniens in eos, persequebar usque in exteras civitates.

12. In quibus dum irem Damascum cum potestate, et permissu principum Sacerdotum,

13. die media in via vidi, rex! de coelo supra splendorem solis circumfulsisse me lumen, et eos, qui mecum simul erant.

14. Omnesque nos cum decidissemus in terram, audivi vocem loquentem mihi Hebraica lingua: Saule, Saule! quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare.

15. Ego autem dixi: Quis es, Domine? Dominus autem dixit: Ego sum Jesus, quem tu persequeris.

16. Sed exsurge, et sta super pedes tuos; ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem eorum, quae vidisti, et eorum, quibus apparebo tibi,

17. eripiens te de populo, et gentibus[l], in quas nunc ego mitto te,

18. aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, et de potestate satanae ad Deum; ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter sanctos per fidem, quae est in me[m].

19. Unde, rex Agrippa! non fui incredulus coelesti visioni;

20. sed his, qui sunt Damasci primum, et Ierosolymis[n], et in omnem regionem Judaeae, et Gentibus annunciabam, ut poenitentiam agerent, et converterentur ad Deum, digna poenitentiae opera facientes.

21. Hac ex causa me Judaei, cum essem in templo, comprehensum tentabant interficere[o].

22. Auxilio autem adjutus Dei usque in hodiernum diem sto, testificans minori atque majori, nihil extra dicens, quam ea, quae Prophetae locuti sunt futura esse, et Moyses[p]:

23. Si passibilis Christus, si primus[q] ex resurrectione mortuorum, lumen annunciaturus est populo et Gentibus.

24. Haec loquente eo, et rationem reddente, Festus magna voce dixit: Insanis[r], Paule! multae te litterae ad insaniam convertunt.

25. Et Paulus: Non insanio, inquit, optime Feste! sed veritatis et sobrietatis verba loquor.

26. Scit enim de his rex, ad quem et constanter loquor; latere enim eum nihil horum arbitror. Neque enim in angulo[s] quidquam horum gestum est.

27. Credis, rex Agrippa! Prophetis? Scio, quia credis.

28. Agrippa autem ad Paulum:

[i] c. 22, 4. [k] v. 10—18. cfr. c. 22, 4—15. 9, 1—15. [l] c. 9, 15.

[m] Col. 1, 12. sqq. 1 Petr. 1, 3. 4. [n] c. 9, 19. 26. [o] c. 21, 27. sqq. [p] c. 24, 14. Luc. 24, 44. [q] 1 Cor. 15, 20. [r] 1 Cor. 1, 23. 4, 10. [s] Joh. 18, 20.

ria

Cap. XXVI. 9. multa contra agere (*sic*). 10. die media vidi in via. 15. ego Jesus (*deest* sum). 16. sed et surge. 17. de populis. 18. uti accipiant; *ibid.* peccatorum suorum. 19. caelestis visionis. 20. et in omni regione. 22. sunt locuti. 25. ait Paulus; *ibid. deest* inquit.

In modico suades me Christianum fieri.

29. Et Paulus: Opto apud Deum, et in modico, et in magno, non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis et ego sum, exceptis vinculis his.

30. Et exsurrexit rex, et praeses, et Bernice, et qui assidebant eis.

31. Et cum secessissent, loquebantur ad invicem, dicentes: Quia nihil morte aut vinculis[t] dignum quid fecit homo ille.

32. Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Caesarem[u].

CAP. XXVII.

Paulus et reliqui navigantes ingentem experiuntur tempestatem; ex qua tamen omnes evadunt incolumes.

1. Ut autem judicatum est[v] navigare eum in Italiam, et tradi Paulum cum reliquis custodiis centurioni nomine Julio cohortis Augustae,

2. ascendentes navem Adrumetinam, incipientes navigare circa Asiae loca, sustulimus, perseverante nobiscum Aristarcho[w] Macedone Thessalonicensi.

3. Sequenti autem die devenimus Sidonem. Humane[x] autem tractans Julius Paulum, permisit ad amicos ire, et curam sui agere.

4. Et inde cum sustulissemus, subnavigavimus Cyprum, propterea quod essent venti contrarii.

5. Et pelagus Ciliciae et Pamphyliae navigantes, venimus Lystram, quae est Lyciae.

6. Et ibi inveniens centurio navem Alexandrinam navigantem in Italiam, transposuit nos in eam.

7. Et cum multis diebus tarde navigaremus, et vix devenissemus contra Gnidum, prohibente nos vento, adnavigavimus Cretae, juxta Salmonem.

8. Et vix juxta navigantes venimus in locum quemdam, qui vocatur Boniportus, cui juxta erat civitas Thalassa.

9. Multo autem tempore peracto, et cum jam non esset tuta navigatio, eo quod et jejunium[y] jam praeteriisset, consolabatur eos Paulus,

10. dicens eis: Viri! video, quoniam cum injuria et multo damno non solum oneris et navis, sed etiam animarum nostrarum, incipit esse navigatio.

11. Centurio autem gubernatori et nauclero magis credebat, quam his, quae a Paulo dicebantur.

12. Et cum aptus portus non esset ad hiemandum, plurimi statuerunt consilium, navigare inde, si quomodo possent, devenientes Phoenicen, hiemare, portum Cretae respicientem ad Africum et ad Corum.

13. Aspirante autem Austro, aestimantes propositum se tene-

[t] c. 25, 25. [u] c. 25, 12. [v] c. 25, 21. [w] c. 19, 29. Col. 4, 10. [x] c. 24, 23.

[y] Lev. 23, 26. sqq.

Cap. XXVI. 29. sed et omnes hos qui. 31. aut vinculorum. 32. homo iste. XXVII. 1. eum navigare. 2. ascendentes autem navem Hadrumetinam; *ibid.* egressi sumus (*pro* sustulimus); *ibid.* Thessalonicense. 4. Cypro. 5. est Ciliciae. 7. contra Cium; *ibid.* secundum Salmonem. 8. Boniportus (*o ex correctura recentioris manus in rasura scriptum est. Forte erat ante Biniportus*). 9. praeterisset; *ibid. deest* eos. 11. nauclerio.

re, cum sustulissent de Asson, legebant Cretam.

14. Non post multum autem misit se contra ipsam ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo.

15. Cumque arrepta esset navis, et non posset conari in ventum, data nave flatibus, ferebamur.

16. In insulam autem quamdam decurrentes, quae vocatur Cauda, potuimus vix obtinere scapham.

17. Qua sublata, adjutoriis utebantur, accingentes navem, timentes, ne in Syrtim inciderent, summisso vase sic ferebantur.

18. Valida autem nobis tempestate jactatis, sequenti die jactum fecerunt;

19. et tertia die suis manibus armamenta navis projecerunt.

20. Neque autem sole, neque sideribus apparentibus per plures dies, et tempestate non exigua imminente, jam ablata erat spes omnis salutis nostrae.

21. Et cum multa jejunatio fuisset, tunc stans Paulus in medio eorum, dixit: Oportebat quidem, o viri! audito me, non tollere a Creta, lucrique facere injuriam hanc et jacturam.

22. Et nunc suadeo vobis bono animo esse. Amissio enim nullius animae erit ex vobis, praeterquam navis;

23. astitit enim mihi hac nocte Angelus[z] Dei, cujus sum ego, et cui deservio,

24. dicens: Ne timeas, Paule! Caesari te oportet assistere[a]; et ecce! donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum.

[z] Hebr. 1, 14. [a] c. 23, 11.

25. Propter quod bono animo estote, viri! credo enim Deo, quia sic erit, quemadmodum dictum est mihi.

26. In insulam autem quamdam oportet nos devenire.

27. Sed posteaquam quartadecima nox supervenit, navigantibus nobis in Adria, circa mediam noctem, suspicabantur nautae apparere sibi aliquam regionem.

28. Qui et summittentes bolidem invenerunt passus viginti; et pusillum inde separati invenerunt passus quindecim.

29. Timentes autem, ne in aspera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fieri.

30. Nautis vero quaerentibus fugere de navi, cum misissent scapham in mare, sub obtentu, quasi inciperent a prora anchoras extendere,

31. dixit Paulus Centurioni, et militibus: Nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis.

32. Tunc absciderunt milites funes scaphae, et passi sunt eam excidere.

33. Et cum lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes sumere cibum, dicens: Quartadecima[b] die hodie exspectantes jejuni permanetis, nihil accipientes;

34. propter quod rogo vos accipere cibum pro salute vestra; quia nullius vestrum capillus de capite[c] peribit.

35. Et cum haec dixisset, sumens panem gratias egit Deo in conspectu omnium; et cum fregisset, coepit manducare.

36. Animaequiores autem facti

[b] v. 27. [c] Matth. 10, 30.

Cap. XXVII. 13. de Asso. 16. insulam (*deest* in). 17. Syrtem. 18. Valide. 20. sole autem. 21. non egredi (*pro* non tollere). 28. qui summittentes; *ibid. deest* bolidem. 30. quasi a prora inciperent. 33. hodie die.

omnes, et ipsi sumpserunt cibum.

37. Eramus vero universae animae in navi ducentae septuaginta sex.

38. Et satiati cibo alleviabant navem, jactantes triticum in mare.

39. Cum autem dies factus esset, terram non agnoscebant; sinum vero quemdam considerabant habentem littus, in quem cogitabant, si possent, ejicere navem.

40. Et cum anchoras sustulissent, committebant se mari, simul laxantes juncturas gubernaculorum; et levato artemone secundum aurae flatum tendebant ad littus.

41. Et cum incidissemus in locum dithalassum, impegerunt navem; et prora quidem fixa manebat immobilis, puppis vero solvebatur a vi maris [d].

42. Militum autem consilium fuit, ut custodias occiderent, ne quis, cum enatasset, effugeret.

43. Centurio autem, volens servare Paulum, prohibuit fieri; jussitque eos, qui possent natare, emittere se primos, et evadere, et ad terram exire;

44. et caeteros alios in tabulis ferebant; quosdam super ea, quae de navi erant. Et sic factum est, ut omnes [e] animae evaderent ad terram.

CAP. XXVIII.

Paulus in insulam Melitam appulsus inde Romam venit, ubi per biennium fidem in Christo habendam praedicat. Finis historiarum apostolorum, sed non vitae Pauli, quae augetur traditionibus.

1. Et cum evasissemus, tunc cognovimus, quia Melita insula vocabatur. Barbari vero praestabant non modicam humanitatem nobis.

2. Accensa enim pyra, reficiebant nos omnes propter imbrem, qui imminebat, et frigus.

3. Cum congregasset autem Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem, et imposuisset super ignem, vipera a calore cum processisset, invasit manum ejus.

4. Ut vero viderunt Barbari pendentem bestiam de manu ejus, ad invicem dicebant: Utique homicida est homo hic, qui cum evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere.

5. Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est [f].

6. At illi existimabant eum in tumorem convertendum, et subito casurum, et mori. Diu autem illis exspectantibus, et videntibus nihil mali in eo fieri, convertentes se, dicebant eum esse Deum [g].

7. In locis autem illis erant praedia principis insulae, nomine Publii, qui nos suscipiens triduo benigne exhibuit.

8. Contigit autem, patrem Publii febribus et dysenteria vexatum jacere. Ad quem Paulus intravit; et cum orasset, et imposuisset ei manus, salvavit eum [h].

[d] 2 Cor. 11, 25. [e] v. 22. 34.

[f] Marc. 16, 18. [g] c. 14, 10. [h] Marc. 16, 18. Jac. 5, 14. sqq.

Cap. XXVII. 36. adsumpserunt. 40. abstulissent; *ibid.* flatum aurae; *ibid.* ad litus. 41. bithalassum. 43. mittere se in mare primos et. 44. essent. XXVIII. 1. quia Militene insula vocatur. 2. pruna. 6. *Deest* aliquantam. 4. homo iste; *ibid.* ultio eum non dimisit vivere. 3. sperantibus; *ibid.* in eum fieri. 7. Puplii (*sic etiam infra*).

9. Quo facto omnes, qui in insula habebant infirmitates, accedebant, et curabantur;

10. qui etiam multis honoribus nos honoraverunt, et navigantibus imposuerunt, quae necessaria erant.

11. Post menses autem tres navigavimus in navi Alexandrina, quae in insula hiemaverat, cui erat insigne Castorum.

12. Et cum venissemus Syracusam, mansimus ibi triduo.

13. Inde circumlegentes devenimus Rhegium; et post unum diem flante Austro, secunda die venimus Puteolos.

14. Ubi inventis fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem; et sic venimus Romam.

15. Et inde cum audissent fratres, occurrerunt nobis usque ad Appii forum, ac tres Tabernas. Quos cum vidisset Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam.

16. Cum autem venissemus Romam, permissum est Paulo, manere sibimet cum custodiente se milite[i].

17. Post tertium autem diem convocavit primos Judaeorum. Cumque convenissent, dicebat eis: Ego, viri fratres! nihil adversus plebem faciens aut morem paternum[k], vinctus ab Ierosolymis traditus sum in manus Romanorum,

18. qui cum interrogationem de me habuissent, voluerunt me dimittere, eo quod nulla esset causa mortis in me.

[i] v. 30. c. 24, 23. [k] c. 24, 12.

19. Contradicentibus autem Judaeis, coactus sum appellare Caesarem[l], non quasi gentem meam habens aliquid accusare.

20. Propter hanc igitur causam rogavi vos videre et alloqui. Propter spem enim Israël catena hac circumdatus sum[m].

21. At illi dixerunt ad eum: Nos neque litteras accepimus de te a Judaea, neque adveniens aliquis fratrum nunciavit aut locutus est quid de te malum.

22. Rogamus autem a te audire, quae sentis; nam de secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur[n].

23. Cum constituissent autem illi diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi, quibus exponebat testificans regnum Dei, suadensque eis de Jesu ex Lege Moysi et Prophetis, a mane usque ad vesperam.

24. Et quidam credebant his, quae dicebantur; quidam vero non credebant.

25. Cumque invicem non essent consentientes, discedebant, dicente Paulo unum verbum: Quia bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad patres nostros,

26. dicens: „Vade ad populum istum, et dic ad eos: Aure „audietis, et non intelligetis; et „videntes videbitis, et non perspicietis.

27. „Incrassatum est enim cor „populi hujus, et auribus graviter audierunt, oculos suos com-

[l] c. 25, 11. [m] c. 26, 6. Eph. 6, 20. [n] Luc. 2, 34.

Cap. XXVIII. 9. et omnes qui in ipsa insula. 11. Castrorum (*sic est correctum*). 12. Syracusas. 13. secundo die; *ibid.* Puteolis. 15. et tribus Tabernis. 16. venissemus autem; *ibid.* sibi cum. 18. causa esset. 21. adnuntiavit. 23. plures; *ibid.* suadensque eos; *ibid.* et lege Mosi.
bi
25. per Esaiam. 26. *Deest* ad eos; *ibid.* videtis et non videbitis (*sic*).

„presserunt, ne forte videant „oculis, et auribus audiant, et „corde intelligant, et convertantur, et sanem eos“[o].

28. Notum ergo sit vobis, quoniam Gentibus missum est hoc salutare Dei, et ipsi audient.

29. Et cum haec dixisset, exierunt ab eo Judaei, multam habentes inter se quaestionem.

30. Mansit autem biennio toto in suo conducto; et suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum,

31. praedicans regnum Dei, et docens, quae sunt de Domino Jesu Christo, cum omni fiducia, sine prohibitione.

[o] Jes. 6, 9. Matth. 13, 14. Joh. 12, 39. sq.

EPISTOLA PAULI
AD
ROMANOS.

CAP. I.

Probatur, exteros a Deo merito fuisse sorti sinistrae relictos.

1. Paulus, servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei,

2. quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis[a],

3. de Filio suo, qui factus est ei ex semine David[b] secundum carnem,

4. qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri,

5. per quem accepimus gratiam, et apostolatum[c] ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus,

6. in quibus estis et vos vocati[d] Jesu Christi,

7. Omnibus, qui sunt Romae, dilectis Dei, vocatis sanctis. Gratia[e] vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.

8. Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur[f] in universo mundo.

9. Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio Filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio,

10. semper in orationibus meis; obsecrans, si quo modo tandem aliquando prosperum iter

[a] Jes. 53. 54. Luc. 24, 25. 27. [b] Matth. 1, 1. Joh. 1, 14. [c] Act. 9, 15.

[d] Joh. 10, 16. [e] 1 Cor. 1, 3. 2 Cor. 1, 2. [f] 1 Thess. 1, 8.

Cap. XXVIII. 27. intellegant; *ibid.* illos. 28. ipsi et audient. 29. *Totus hic abest a codice versiculus.* 30. conductu.

Cap. I. 1. Christi Jesu. 5. oboediendum. 7. in dilectione Dei.

habeam[g] in voluntate Dei veniendi ad vos.

11. Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiae spiritualis ad confirmandos vos;

12. id est, simul consolari in vobis, per eam, quae invicem est, fidem vestram, atque meam.

13. Nolo autem vos ignorare, fratres! quia saepe proposui venire ad vos (et prohibitus[h] sum usque adhuc), ut aliquem fructum habeam, et in vobis, sicut et in caeteris gentibus.

14. Graecis[i] ac Barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum;

15. ita (quod in me) promptum est et vobis, qui Romae estis, evangelizare.

16. Non enim erubesco[k] Evangelium. Virtus[l] enim Dei est in salutem omni credenti, Judaeo[m] primum, et Graeco.

17. Justitia[n] enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem; sicut scriptum est: „Justus autem ex „fide vivit"[o].

18. Revelatur enim ira Dei de coelo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent;

19. quia quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit.

20. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas; ita, ut sint inexcusabiles[p].

21. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum;

22. dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt;

23. et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis[q] corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium.

24. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semet ipsis.

25. Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium; et coluerunt, et servierunt creaturae potius quam Creatori, qui est benedictus in saecula. Amen.

26. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae. Nam feminae eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum, qui est contra naturam.

27. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminae, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem, quam oportuit, erroris sui in semet ipsis recipientes.

28. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quae non conveniunt.

29. Repletos omni iniquitate,

[g] infr. c. 15, 23. sqq. Act. 19, 21. [h] Act. 16, 6—9. [i] infra. c. 15, 16. [k] 1 Cor. 1, 23. Matth. 10, 32. sqq. [l] 1 Cor. 1, 18. Joh. 17, 3. [m] Act. 13, 46. [n] infr. c. 3, 21—24. [o] Hab. 2, 4.

[p] infr. v. 32. c. 2, 14. sq. [q] Ez. 8, 10.

Cap. I. 11. inpertiar gratiae vobis spiritalis. 12. adque (*errore scribae*). 13. sicut in (*deest* et). 15. et in vobis. 16. in salute; *ibid.* Greco. 18. injustitiam (*sic, altero loco*). 20. ac divinitas. 25. mendacio. 28. in notitiam; *ibid.* non convenit.

malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones,

30. detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes,

31. insipientes, incompositos, sine affectione, absque foedere, sine misericordia.

32. Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

CAP. II.

Judaei et exteri redarguuntur. Exteri ea, quae legis sunt, natura praestantes pares circumcisis habendi sunt.

1. Propter quod inexcusabilis es, o homo! omnis, qui judicas. In quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas; eadem enim agis, quae judicas.

2. Scimus enim, quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia agunt.

3. Existimas autem hoc, o homo! qui judicas eos, qui talia agunt, et facis ea, quia tu effugies judicium Dei?

4. An divitias bonitatis ejus, et patientiae, et longanimitatis contemnis? ignoras[r], quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit?

5. Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae, et revelationis justi judicii Dei,

6. qui reddet unicuique secundum opera ejus;

7. iis quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam, et honorem, et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam;

8. iis autem, qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio.

9. Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judaei[s] primum, et Graeci;

10. gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum, Judaeo primum, et Graeco.

11. Non enim est acceptio personarum apud Deum.

12. Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt; et quicumque[t] in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.

13. Non[u] enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.

14. Cum enim Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex;

15. qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus,

16. in die, cum judicabit Deus occulta hominum, secundum Evangelium meum, per[v] Jesum Christum.

[r] Luc. 13, 6—9. 2 Petr. 3, 15.

[s] infr. v. 12. Matth. 11, 21. sqq. [t] Luc. 12, 47. sq. [u] Matth. 7, 21. [v] Act. 17, 31. Joh. 5, 22.

Cap. I. 32. sed et qui consentiunt. II. 4. ignorans. 5. duritiam autem tuam. 7. quaerentibus. 8 his autem. 11. personarum acceptio. 14. naturaliter quae legis sunt; *ibid.* non habentes leges. 15. cogitationum accusantium aut etiam defendentium. 16. judicavit.

17. Si autem tu Judaeus cognominaris, et requiescis in lege, et gloriaris[w] in Deo,
18. et nosti voluntatem ejus, et probas utiliora, instructus per legem,
19. confidis te ipsum esse ducem[x] coecorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt,
20. eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiae et veritatis in lege.
21. Qui ergo alium doces, te ipsum non doces; qui praedicas non furandum, furaris;
22. qui dicis non moechandum, moecharis; qui abominaris idola, sacrilegium facis;
23. qui in lege gloriaris, per praevaricationem legis Deum inhonoras.
24. (Nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes, sicut[y] scriptum est.)
25. Circumcisio quidem prodest, si legem observes; si autem praevaricator legis sis, circumcisio tua praeputium facta est.
26. Si igitur praeputium justitias legis custodiat; nonne praeputium illius in circumcisionem reputabitur?
27. Et judicabit id, quod ex natura est praeputium, legem consummans, te, qui per litteram et circumcisionem praevaricator legis es?
28. Non enim qui in manifesto, Judaeus est; neque quae in manifesto, in carne, est circumcisio;

[w] Joh. 8, 41. [x] Matth. 15, 14. [y] Jes. 52, 5. Ez. 36, 20. 23.

29. sed qui[z] in abscondito, Judaeus est; et circumcisio[a] cordis in spiritu, non littera; cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

CAP. III.

Qua in re praestent Judaei exteris. Et Judaei et exteri obnoxii sunt peccato, a quo liberat sola fides in Christo posita.

1. Quid ergo amplius Judaeo est? aut quae utilitas circumcisionis?
2. Multum per omnem modum. Primum quidem, quia[b] credita sunt illis eloquia Dei.
3. Quid enim, si quidam illorum non crediderunt? Numquid[c] incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit.
4. Est[d] autem Deus verax; omnis autem homo mendax, sicut scriptum est: „Ut justificeris in „sermonibus tuis: et vincas, cum „judicaris"[e].
5. Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid[f] iniquus est Deus, qui infert iram?
6. (Secundum hominem dico.) Absit. Alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum?
7. Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc et ego tamquam peccator judicor?
8. Et non[g] (sicut blasphemamur, et sicut ajunt quidam nos

[z] Deut. 10, 16. 30, 6. [a] 1 Cor. 7, 19. sq. Phil. 3, 3. [b] infr. c. 9, 4. [c] infr. c. 11, 19—31. 2 Tim. 2, 13. [d] infr. c. 11, 7. 23. [e] Ps. 50, 6. [f] cf. v. 7. 8. [g] infr. c. 6, 1.

Cap. II. 19. ducem esse caecorum. 27. quod ex natura est (*deest* id). 28. in carne circumcisio (*deest* est). 29. Judaeus (*deest* est). III. 1. amplius est Judaeo. 5. iniquus Deus (*deest* est). 6. Deus mundum (*deest* hunc). 7. quid at huc (*sic*). 8. nos quidam.

dicere) faciamus mala, ut veniant bona? quorum damnatio justa est.

9. Quid ergo? praecellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus Judaeos et Graecos omnes sub peccato esse,

10. sicut scriptum est: „Quia „non est justus quisquam [h].

11. „Non est intelligens, non „est requirens Deum.

12. „Omnes declinaverunt, si- „mul inutiles facti sunt", non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.

13. „Sepulchrum patens est „guttur eorum [i], linguis suis do- „lose agebant: Venenum aspi- „dum sub labiis eorum [k];

14. „quorum os maledictione „et amaritudine plenum est [l].

15. „Veloces pedes eorum ad „effundendum sanguinem [m];

16. „contritio, et infelicitas in „viis eorum;

17. „et viam pacis non cogno- „verunt;

18. „non est timor Dei ante „oculos eorum" [n].

19. Scimus autem, quoniam quaecumque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur; ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo.

20. Quia [o] ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Per [p] legem enim cognitio peccati;

21. nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata [q] a lege et Prophetis.

22. Justitia autem Dei per fidem [r] Jesu Christi, in omnes et super omnes, qui credunt in eum; non enim [s] est distinctio.

23. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei.

24. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Jesu,

25. quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine [t] ipsius, ad ostensionem justitiae suae, propter [u] remissionem praecedentium delictorum,

26. in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiae ejus in hoc tempore; ut sit ipse justus, et justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi.

27. Ubi est ergo gloriatio [v] tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum [w]? Non; sed per legem fidei.

28. Arbitramur enim justificari [x] hominem per fidem sine operibus legis.

29. An Judaeorum Deus tantum? nonne et gentium? immo et gentium.

30. Quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, et praeputium per fidem.

31. Legem [y] ergo destruimus per fidem? Absit; sed legem statuimus.

CAP. IV.

Justificatio sensu christiano non fit ex operibus legis, sed ex fide in Deum, quae Abrahae imputata est in justitiam ante circumcisionem.

[h] Ps. 13, 3. [i] Ps. 5, 10. [k] Ps. 139, 4. [l] Ps 9, 29. [m] Jes. 59, 7. [n] Ps. 35, 2. [o] infr. v. 28. [p] infr. c. 7, 7. [q] supr. c. 1, 2. Exod 34, 6. Ps. 31, 1. sq. Dan. 9, 18.

[r] infr. c. 4, 5. 10, 4. sq. Gal. 3, 11. [s] infr. c. 10, 12. [t] Joh. 3, 14—16. [u] infr. c. 5, 9. Ebr. 9, 15. [v] supr. c. 2, 17. [w] infr. c. 10, 5. [x] infr. c. 9, 32. Gal. 2, 16. Eph. 2, 8. 9. [y] infr. c. 6, 1. sqq Matth. 5, 17.

Cap. III. 19. his qui. 21. justificata, a lege. 22. *Desunt verba* in omnes et. 23. egent gloriam (*sic*). 26. qui ex fide est Jesu (*deest* Christi). 30. unus deus qui justificavit (*deest* est).

1. Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem?

2. Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam; sed[z] non apud Deum.

3. Quid enim dicit Scriptura? „Credidit Abraham Deo: et re„putatum est illi ad justitiam."[a]

4. Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.

5. Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur[b] fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiae Dei.

6. Sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus:

7. „Beati, quorum remissae „sunt iniquitates, et quorum te„cta sunt peccata.

8. „Beatus vir, cui non impu„tavit Dominus peccatum"[c].

9. Beatitudo ergo haec in circumcisione tantum manet? an etiam in praeputio? Dicimus enim, quia reputata est Abrahae fides ad justitiam.

10. Quomodo ergo reputata est? in circumcisione? an in praeputio? Non[d] in circumcisione, sed in praeputio.

11. Et signum accepit[e] circumcisionis, signaculum justitiae fidei, quae est in praeputio; ut sit pater omnium credentium per praeputium, ut reputetur et illis ad justitiam;

12. et sit pater circumcisionis, non iis tantum, qui sunt ex circumcisione, sed et iis, qui sectantur vestigia fidei, quae est in praeputio patris nostri Abrahae.

13. Non[f] enim per legem promissio Abrahae aut semini ejus, ut haeres esset mundi; sed per justitiam fidei.

14. Si enim qui ex lege, haeredes sunt; exinanita est fides, abolita est promissio[g];

15. lex enim iram operatur. Ubi[h] enim non est lex; nec praevaricatio.

16. Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei, qui ex lege est solum; sed et ei, qui ex fide est Abrahae, qui pater est omnium[i] nostrum,

17. (Sicut scriptum est: „Quia „patrem multarum gentium po„suit te"[k]) ante Deum, cui credidit, qui vivificat mortuos, et vocat ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt.

18. Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei: „Sic erit semen tuum"[l].

19. Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam fere centum [m] esset annorum; et emortuam vulvam Sarae;

20. in repromissione etiam

[z] supr. c. 3, 20. [a] Genes. 15, 6. Gal. 3, 6. Jac. 2, 23. [b] supr. c. 3, 24. [c] Ps. 31, 1. sq. [d] Gen. 12, 3. sqq. 17, 24. [e] Gen. 17, 7. sqq.

[f] Gen. 17, 8. [g] Gal. 3, 18. [h] infr. 5, 13. 7, 7. sqq. [i] cf. v. 11. 12. [k] Gen. 17, 5. [l] Gen. 15, 5. [m] Gen. 17, 17.

Cap. IV. 3. Scriptura dicit. 5. ei autem; *ibid. desunt verba* secundum propositum gratiae Dei. 8. imputabit. 9. beatitudo haec (*deest* ergo); *ibid. desunt verba* tantum manet. 10. an etiam in praeputio. 12. non his tantum — sed et his; *ibid.* in praeputio fidei patris (*desunt* nostri Abrahae). 16. ut firma sit — sed ut ei; *ibid.* qui est pater. 17. vocat quae non sunt. 18. dictum est (*deest* ei). 19. infirmatus (*deest* est); *ibid.* consideravit (*deest* nec); *ibid.* cum fere centum annorum esset; *ibid.* Sarrae.

Dei non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo;

21. plenissime sciens, quia quaecumque promisit, potens est et facere.

22. Ideo et reputatum est illi ad justitiam.

23. Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad justitiam;

24. sed et propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum a mortuis,

25. qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.

CAP. V.

Fide justificati spe gloriamur rebus adversis. Christi obedientia justificamur. De Adamo antitypo.

1. Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum,

2. per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei.

3. Non solum autem; sed et gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur;

4. patientia autem probationem, probatio vero spem,

5. spes autem non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum[n], qui datus est nobis.

6. Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est?

7. Vix enim pro justo quis moritur; nam pro bono forsitan quis audeat mori.

8. Commendat[o] autem charitatem suam Deus in nobis; quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus,

9. Christus pro nobis mortuus est; multo igitur magis nunc, justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.

10. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus; multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.

11. Non solum autem; sed et gloriamur[p] in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.

12. Propterea sicut[q] per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors[r]; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

13. Usque ad legem enim peccatum erat in mundo; peccatum[s] autem non imputabatur, cum lex non esset.

14. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, qui est forma[t] futuri.

15. Sed non sicut delictum, ita et donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt; multo

[n] infr. c. 8, 15.

[o] Joh. 3, 16. 10, 17. [p] Ps. 5, 12. sq. [q] infr. v. 18. [r] 1 Cor. 15, 21. sq. Gen 3, 19. [s] supr. c. 4, 15. [t] v. 19. 1 Cor. 15, 45. 47.

Cap. IV. 23. *Desunt verba* ad justitiam. V. 1. Justificati igitur 2. accessum habemus fide. 8. suam caritatem; *ibid.* Deus in nos; *ibid deest* secundum tempus. 9. multo magis igitur justificati nunc. 12. in hunc mundum peccatum intravit. 13. non imputatur cum lex non est.

magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.

16. Et non sicut per unum peccatum, ita et donum. Nam judicium quidem ex uno in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in justificationem.

17. Si enim unius delicto mors regnavit per unum; multo magis abundantiam gratiae, et donationis, et justitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.

18. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae.

19. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita et per unius obeditionem justi constituentur multi.

20. Lex autem subintravit, ut abundaret delictum[u]. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.

21. Ut, sicut regnavit peccatum in mortem[v], ita et gratia regnet per justitiam in vitam aeternam[w], per Jesum Christum Dominum nostrum.

CAP. VI.

In Christo baptizati sumus. Servi facti justitiae, tradamus membra nostra obsequio justitiae ad vitam vitalem impetrandam.

1. Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato, ut[x] gratia abundet?

2. Absit. Qui enim mortui[y] sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?

3. An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius[z] baptizati sumus?

4. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem; ut, quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae[a] ambulemus?

5. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus,

6. hoc scientes, quia vetus homo[b] noster simul crucifixus[c] est, ut destruatur corpus peccati[d], et ultra non serviamus peccato.

7. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato.

8. Si autem mortui sumus cum Christo; credimus, quia simul etiam vivemus cum Christo;

9. scientes, quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra[e] non dominabitur.

10. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel[f]; quod autem vivit, vivit Deo.

11. Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato; viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro.

12. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.

13. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis pec-

[u] supr. 3, 20. 7, 7. sq. [v] supr. v. 12. [w] supr. v. 1. 2. [x] supr. 3, 8.

[y] infr. v. 6. 12. [z] infr. v. 6. Col. 2, 12. [a] 2 Cor. 5, 15. [b] Eph. 4, 22. [c] Gal. 5, 24. [d] infr. 7, 18. 23. [e] Apoc. 1, 18. [f] Ebr. 9, 25 — 28.

Cap. V. 15. in gratiam unius. 16. per unum peccantem (*sic*); *ibid.* nam judicium ex uno. 17. in vitam. 19. oboeditionem. 21. peccatum in morte. VI. 4. surrexit Christus. 9. surgens; *ibid.* et mors illi. 11. *Deest* Domino nostro.

cato; sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viventes; et membra vestra arma justitiae Deo.

14. Peccatum enim vobis non dominabitur; non enim sub lege estis, sed sub gratia[g].

15. Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit.

16. Nescitis, quoniam, cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam?

17. Gratias autem Deo, quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinae, in quam traditi estis.

18. Liberati autem a peccato, servi facti estis justitiae.

19. Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestrae; sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiae et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiae in sanctificationem.

20. Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiae.

21. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est.

22. Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam.

23. Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita aeterna, in Christo Jesu Domino nostro.

[g] infr. c. 7, 4. 6. 8, 2. sq.

CAP. VII.

Christo serviendum est novo spiritu. Per praesentiam legis, quamvis sanctae, crebrius peccatum se exseruit.

1. An ignoratis, fratres! (scientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit?

2. Nam quae sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri.

3. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri; *ut* non sit adultera, si fuerit cum alio viro.

4. Itaque, fratres mei, et *vos* mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo.

5. Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quae per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti.

6. Nunc[h] autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur; ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litterae.

7. Quid ergo dicemus? lex peccatum est[i]? Absit. Sed peccatum non cognovi[k], nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: „Non „concupisces"[l].

8. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum opera-

[h] infr. c. 8, 1—12. [i] cf. v. 5. [k] c. 3, 20. [l] Exod. 20, 17.

Cap. VI. 15. peccavimus. 16. oboedistis. 17. oboedistis; *ibid.* in qua. 19. inmunditiae. 21. tunc in quibus. VII. 3. soluta est a. 4. fructificaremus. 6. morientes (*at obeliscis haec notata sunt et sic in voc.* mortis *mutata*). 7. dicimus.

[tu]um est in me omnem concupiscentiam. Sine[m] lege enim peccatum mortuum erat.

9. Ego autem vivebam sine lege aliquando; sed cum venisset mandatum, peccatum revixit.

10. Ego autem mortuus sum; et inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem.

11. Nam peccatum, occasione accepta, per mandatum seduxit me, et per illud occidit.

12. Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum.

13. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem; ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.

14. Scimus enim, quia lex spiritualis[n] est; ego autem carnalis[o] sum, venumdatus sub peccato.

15. Quod enim operor, non intelligo. Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio.

16. Si autem, quod nolo, illud facio; consentio legi, quoniam bona est.

17. Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum[p].

18. Scio enim, quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle, adjacet mihi; perficere autem bonum, non invenio.

19. Non enim, quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago.

20. Si autem quod nolo, illud facio; jam non ego operor illud; sed quod habitat in me, peccatum.

21. Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet.

22. Condelector enim legi Dei secundum interiorem[q] hominem;

23. video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis.

24. Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus!

25. Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum[r]. Igitur ego ipse mente servio legi Dei; carne autem, legi peccati.

CAP. VIII.

Christo dediti per baptismum a damnatione liberati sunt; vis adoptionis nos Christo cohaeredes facit. Quid orandum sit, docet spiritus sacer.

1. Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant.

2. Lex enim spiritus vitae[s] in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis[t].

3. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem[u]; Deus Filium suum mittens in similitudinem[v] carnis peccati,

[m] cf. 4, 15. [n] cf. v. 12. [o] cf. v. 19. [p] cf. v. 20.

[q] c. 2, 15. [r] Eph. 2, 4. sqq. [s] cf. v. 9—11. 16. [t] c. 7, 5. 10. sq. [u] c. 7, 9—13. [v] Phil. 2, 7. 2 Cor. 5, 21.

Cap. VII. 11. occasionem (*sic per errorem*). 13. mihi operatum est. 14. quod lex spiritalis est; *ibid.* venundatus. 15. bonum quod volo hoc ago, sed malum, quod odi, illud facio. 16. bona (*deest* est). 20. non ego (*deest* jam). VIII. 1. his qui. 3. inpossibile erat legis.

et de peccato damnavit peccatum in carne,

4. ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.

5. Qui enim secundum carnem sunt, quae carnis sunt, sapiunt; qui vero secundum spiritum sunt, quae sunt spiritus, sentiunt.

6. Nam[w] prudentia carnis, mors est; prudentia autem spiritus, vita et pax.

7. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo; legi enim Dei non est subjecta; nec enim potest[x].

8. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.

9. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu; si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.

10. Si autem Christus in vobis est; corpus quidem mortuum est propter peccatum[y], spiritus vero vivit propter justificationem.

11. Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit[z] et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.

12. Ergo, fratres! debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus.

13. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

14. Quicumque[a] enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.

15. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum[b] adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater)!

16. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.

17. Si autem filii, et haeredes; haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi; si[c] tamen compatimur, ut et conglorificemur[d].

18. Existimo[e] enim, quod non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.

19. Nam exspectatio creaturae revelationem filiorum Dei exspectat.

20. Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe,

21. quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis[f], in libertatem gloriae filiorum Dei.

22. Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc.

23. Non solum autem illa, sed et nos ipsi, primitias spiritus[g] habentes, et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei

[w] Gal. 6, 8. [x] 1 Cor. 2, 14. Jac. 4, 4. [y] supr. c. 5, 12. [z] 1 Cor. 6, 14. 2 Cor. 5, 5.

[a] Joh. 1, 12. 1 Joh. 3, 1. sqq. [b] c. 5, 5. Gal. 4, 5. 6. [c] Col. 3, 3. sq. 2 Thess. 1, 4—10. [d] Joh. 17, 22. 24. 2 Tim. 2, 11. sq. [e] 2 Cor. 4, 17. [f] 2 Petr. 3, 10—13. Apoc. 7, 16. sqq. 21, 1. sqq. [g] supr. v. 11. 2 Cor. 5, 5. Eph. 1, 14.

Cap. VIII. 3. et propter peccatum. 5. *Desunt verba* secundum spiritum; *ibid.* sapiunt (*verbum versus ultimum*). 7. inimicitia est in Deum; *ibid.* legi autem Dei non subicitur. 10. spiritus vero vita. 11. vivificavit. 13. mortificatis. 14. hi fili sunt Dei. 16. ipse Spiritus. 17. conpatimur. 20. subjecit in spe (*deest* eam).

exspectantes[h], redemptionem corporis nostri[i].

24. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quae videtur, non est spes; nam quod videt quis, quid sperat?

25. Si autem quod non videmus, speramus; per patientiam exspectamus.

26. Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

27. Qui autem scrutatur corda, scit, quid desideret Spiritus; quia secundum Deum postulat pro sanctis.

28. Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum[k], iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti.

29. Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.

30. Quos autem praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit.

31. Quid ergo dicemus ad haec? si Deus pro nobis, quis contra nos?

32. Qui[l] etiam proprio Filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?

33. Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat.

34. Quis est, qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, immo[m] qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat[n] pro nobis.

35. Quis ergo nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?

36. (Sicut scriptum est: „Quia „propter te mortificamur tota „die; aestimati sumus sicut oves „occisionis[o]“.)

37. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.

38. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli[p], neque principatus[q], neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo,

39. neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae[r] est in Christo Jesu Domino nostro.

CAP. IX.

Judaearum rerum interitus irritas non facit promissiones. At Deus, cujus vult, miseretur, et quem lubet, salute excludit.

1. Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto:

2. quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo.

1 Joh. 3, 2. [i] 2 Cor. 5, 2. [k] c. 5, 3. sqq. [l] Joh. 3, 16.

[m] supr. 4, 25. [n] Ebr. 7, 25. [o] Ps. 43, 23. 24. [p] Eph. 6, 12. [q] Matth. 10, 28. [r] Joh. 10, 28.

Cap. VIII. 28. his qui. 30. magnificavit (*verbum versiculi ultimum*). 32. filio suo (*deest* proprio). 33. accusavit electos. 34. qui et est ad dexteram Dei. 35. quis nos separavit; *ibid.* an persecutio an fames an nuditas an periculum an gladius. 36. ut oves. 38. *Desunt verba* neque virtutes. IX. 2. est mihi magna.

3. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis[s], qui sunt cognati mei secundum carnem,

4. qui sunt Israëlitae[t], quorum adoptio est filiorum[u], et gloria, et testamentum[v], et legislatio[w], et obsequium, et promissa[x].

5. Quorum patres[y], et ex quibus est Christus secundum carnem[z], qui est super omnia Deus[a] benedictus in saecula. Amen.

6. Non autem quod exciderit verbum Dei. Non enim omnes, qui ex Israël sunt, ii sunt Israëlitae;

7. neque qui semen sunt Abrahae, omnes filii; „sed, in Isaac „vocabitur tibi semen"[b].

8. Id est, non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, aestimantur in semine.

9. Promissionis enim verbum hoc est: „Secundum hoc tempus „veniam; et erit Sarae filius"[c].

10. Non solum autem illa; sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri.

11. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret),

12. non ex operibus, sed ex vocante dictum[d] est ei:

13. „Quia major serviet mi„nori," sicut scriptum est: „Ja„cob dilexi, Esau autem odio „habui"[e].

14. Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Absit.

15. Moysi enim dicit: „Mise„rebor, cujus misereor: et mise„ricordiam praestabo, cujus mi„serebor"[f].

16. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.

17. Dicit enim Scriptura Pharaoni: „Quia in hoc ipsum exci„tavi te, ut ostendam in te virtu„tem meam: et ut annuncietur „nomen meum in universa ter„ra"[g].

18. Ergo cujus vult, miseretur, et quem vult, indurat.

19. Dicis itaque mihi: Quid adhuc quaeritur? voluntati enim ejus quis resistit?

20. O homo! tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid[h] dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic?

21. An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?

22. Quod si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa irae, apta in interitum,

23. ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam.

24. Quos et vocavit nos non solum ex Judaeis, sed etiam ex Gentibus;

[s] 2 Cor. 12, 15. [t] 2 Cor. 11, 22. [u] Exod. 4, 22. sq. [v] Gen. 17, 7. Exod. 19, 5. Deut. 29, 1. [w] Ps. 47, 8. [x] supr. c. 3, 2. [y] Exod. 3, 15. [z] supr. c. 1, 3. [a] Joh. 1, 1. [b] Genes. 21, 12. [c] Genes. 18, 10. [d] Genes. 25, 23.

[e] Mal. 1, 2. sq. [f] Exod. 33, 19. [g] Exod. 9, 16. [h] Jes. 45, 9.

Cap. IX. 6. quo exciderit; *ibid.* qui ex Israel sunt hi sunt. 7. neque quia semen. 8. hii (*sic*). 9. promissionis autem; *ibid.* Sarrae. 10. *Deest* illa; *ibid.* Isaac patre nostro. 11. aut aliquid egissent bonum aut malum. 17. dicit Scriptura (*deest* enim); *ibid.* et adnuntietur (*deest* ut) 22. quod si volens Deus; *ibid.* aptata (*sic*).

25. sicut in Osee dicit: „Vo„cabo non plebem meam, plebem „meam: et non dilectam, dile„ctam: et non misericordiam „consecutam, misericordiam „consecutam.

26. „Et erit, in loco, ubi di„ctum est eis: Non plebs mea vos“[i]: ibi vocabuntur filii Dei vivi.

27. Isaias autem clamat pro Israël: „Si fuerit numerus filio„rum Israël, tamquam arena ma„ris, reliquiae salvae fient.

28. „Verbum enim consum„mans, et abbrevians in aequi„tate: quia verbum breviatum fa„ciet Dominus super terram“[k].

29. Et sicut praedixit Isaias: „Nisi Dominus Sabaoth reliquis„set nobis semen, sicut Sodoma „facti essemus, et sicut Gomor„rha similes fuissemus“[l].

30. Quid ergo dicemus? Quod gentes, quae non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam; justitiam autem, quae ex fide est.

31. Israël vero sectando legem justitiae, in legem justitiae non pervenit.

32. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus; offenderunt enim in lapidem offensionis[m],

33. sicut scriptum est: „Ecce! „pono in Sion lapidem offen„sionis, et petram scandali; et „omnis, qui credit in eum, non „confundetur“[n].

[i] Hos. 2, 1. 23. 1 Petr. 2, 10. [k] Jes. 10, 22. sq. [l] Jes. 1, 9. [m] Luc. 2, 34. [n] Jes. 8, 14. 28, 16.

CAP. X.

Precatur deum apostolus pro Judaeis Christum finem legis ignorantibus. Justitia ex operibus legis, ab ea quae est ex fide, diversa est.

1. Fratres! voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem.

2. Testimonium enim perhibeo illis, quod aemulationem Dei habent, sed non secundum scientiam[o].

3. Ignorantes enim justitiam Dei, et suam quaerentes statuere[p], justitiae Dei non sunt subjecti.

4. Finis enim legis Christus, ad justitiam omni credenti[q].

5. Moyses enim scripsit: quoniam justitiam, quae ex lege est, „qui fecerit homo, vivet in ea“[r].

6. Quae autem ex fide est justitia, sic dicit: „Ne dixeris in „corde tuo: Quis ascendet in „coelum? id est, Christum de„ducere;

7. „aut quis descendet in abys„sum? hoc est, Christum a mor„tuis revocare“[s].

8. Sed quid dicit Scriptura? „Prope est verbum in ore tuo, et „in corde tuo“[t]; hoc est verbum fidei, quod praedicamus.

9. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.

10. Corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem.

[o] Joh. 16, 2. sq. [p] supr. 9, 31. Phil. 3, 9. [q] c. 3, 21. sq. Gal. 3, 13. Eph. 2, 15. [r] Levit. 18, 5. [s] Deut. 30, 12—14. [t] Deut. 30, 14.

Cap. IX. 25. vocavi; *ibid.* non dilectam dilectam (*deest* et). 26. dictum est (*deest* eis). 28. et brevians. 29. Esaias; *ibid.* Gomorra. 30. adpraehenderunt. 31. sectans legem. 32. offenderunt in (*deest* enim). X. 3. Dei justitiam. 7. descendit; *ibid.* ex mortuis. 9. excitavit. 10. in salutem.

11. Dicit enim Scriptura: „Omnis, qui credit in illum, non „confundetur“[u].

12. Non enim est distinctio Judaei et Graeci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum.

13. „Omnis enim, quicumque „invocaverit nomen Domini, sal„vus erit“[v].

14. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?

15. Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est: „Quam speciosi pedes „evangelizantium pacem, evan„gelizantium bona“[w]!

16. Sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit: „Domine, quis credidit auditui „nostro“[x]?

17. Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.

18. Sed dico: Numquid non audierunt? Et quidem „in omnem „terram exivit sonus eorum, et „in fines orbis terrae verba eo„rum“[y].

19. Sed dico: Numquid Israël non cognovit? Primus Moyses dicit: „Ego ad aemulationem „vos adducam in non gentem: in „gentem insipientem, in iram „vos mittam“[z].

20. Isaias autem audet, et di„cit: Inventus sum a non quae„rentibus me: palam apparui iis, „qui me non interrogabant“[a].

21. Ad Israël autem dicit: „Tota die expandi manus meas „ad populum non credentem et „contradicentem.“

CAP. XI.

Quidam Judaei gratuita electione servati sunt. Exteris in salutem admissis gratuita bonitate gloriari non licet erga Judaeos.

1. Dico ergo: Numquid Deus repulit populum suum? Absit. Nam et ego Israëlita sum ex semine Abraham, de tribu Benjamin.

2. Non repulit Deus plebem suam, quam praescivit. An nescitis in Elia quid dicit Scriptura: quemadmodum interpellat Deum adversum Israël?

3. „Domine, Prophetas tuos „occiderunt, altaria tua suffode„runt et ego relictus sum solus, „et quaerunt animam meam“[b].

4. Sed quid dicit illi divinum responsum? „Reliqui mihi septem „millia virorum, qui non curva„verunt genua ante Baal.“

5. Sic ergo et in hoc tempore reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt.

6. Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.

7. Quid ergo? quod quaerebat Israël, hoc non est consecutus[c]; electio autem consecuta est; caeteri vero excaecati sunt.

8. Sicut scriptum est: „Dedit „illis Deus spiritum compunctio-

[u] Jes. 28, 16. [v] Joël 3, 5. Act. 2, 16. 21. [w] Jes. 52, 7. [x] Jes. 53, 1. [y] Ps. 18, 5. [z] Deut. 32, 21.

[a] Jes. 65, 1. 2. [b] 3 Reg. 19, 10. 18. [c] supr. c. 9, 31. sq.

Cap. X. 16. oboedierunt. 20. audit; *ibid.* sum non quaerentibus, *ibid.* his qui. XI. 1. reppulit Deus; *ibid.* tribu (*deest* de). 2. reppulit; *ibid.* praesciit. 4. responsum divinum; *ibid.* milia; *ibid.* genu Bahal. 5. factae sunt (*deest* salvae). 6. non ex (*deest* jam). 7. ex cecatis (*pro* excaecati sunt). 8. conpunctionis.

„nis, oculos, ut non videant, et „aures, ut non audiant“ [d], usque in hodiernum diem.

9. Et David dicit: „Fiat mensa „eorum in laqueum, et in captionem, et in scandalum, et in „retributionem illis.

10. „Obscurentur oculi eorum, „ne videant; et dorsum eorum „semper incurva“ [e].

11. Dico ergo: Numquid sic offenderunt, ut caderent? Absit; sed illorum delicto salus est Gentibus [f], ut illos aemulentur.

12. Quod si delictum illorum divitiae sunt mundi, et diminutio eorum divitiae Gentium; quanto magis plenitudo eorum?

13. Vobis enim dico Gentibus: Quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus [g], ministerium meum honorificabo,

14. si quomodo ad aemulandum provocem carnem meam, et salvos faciam aliquos ex illis.

15. Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi; quae assumptio [h], nisi vita ex mortuis?

16. Quod si delibatio sancta est, et massa; et si radix sancta, et rami.

17. Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis et pinguedinis olivae factus es [i],

18. noli gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris; non tu radicem portas, sed radix te.

19. Dices ergo: Fracti sunt rami, ut ego inserar.

[d] Jes. 6, 9. 29, 10. Matth. 13, 14. [e] Ps. 68, 23. sq. [f] Act. 13, 46. [g] infr. c. 15, 16. Act. 9, 15. Eph. 3, 8. [h] cf. v. 30. 31. [i] infr. v. 24. Eph. 2, 19.

20. Bene! propter incredulitatem fracti sunt; tu autem fide stas; noli altum sapere, sed time.

21. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit; ne forte nec tibi parcat.

22. Vide ergo bonitatem et severitatem Dei; in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin et tu excideris.

23. Sed et illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur; potens est enim Deus iterum inserere illos.

24. Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam; quanto magis ii, qui secundum naturam, inserentur suae olivae?

25. Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc (ut non sitis vobis ipsis sapientes): quia caecitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo Gentium intraret [k],

26. et sic omnis Israël salvus fieret, sicut scriptum est: „Veniet „ex Sion, qui eripiat, et avertat „impietatem a Jacob.

27. „Et hoc illis a me testa„mentum, cum abstulero peccata „eorum“ [l].

28. Secundum Evangelium quidem, inimici propter vos; secundum electionem autem, charissimi propter patres [m].

29. Sine poenitentia enim sunt dona et vocatio Dei.

30. Sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo, nunc

[k] Luc. 21, 24. [l] Jes. 59, 20. sq. [m] Deut. 4, 31. 37.

Cap. XI. 10. dorsum illorum. 11. salus gentibus (*deest* est). 12. deminutio. 15. adsumtio. 17. pinguidinis. 22. in bonitatem (*verbum indicatur hoc, quod posteriore loco positum est*). 24. quanto magis hi secundum. 26. firet; *ibid.* avertet; *ibid.* impietates Jacob.

autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum[n];

31. ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam; ut et ipsi misericordiam consequantur.

32. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.

33. O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus!

34. Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit[o]?

35. Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei[p]?

36. Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in saecula. Amen.

CAP. XII.

Monentur Romani, ut Deo totos se addicant, ut omnia ad utilitatem mortalium, quibuscum vivunt, instituant, et inimicis benefaciant.

1. Obsecro itaque vos, fratres! per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.

2. Et nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri[q]; ut probetis, quae sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.

3. Dico enim per gratiam, quae data est mihi[r], omnibus, qui sunt inter vos: Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.

4. Sicut[s] enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent;

5. ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.

6. Habentes autem donationes, secundum gratiam, quae data est nobis, differentes[t]; sive prophetiam[u] secundum rationem fidei,

7. sive ministerium[v] in ministrando, sive qui docet in doctrina,

8. qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui praeest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate.

9. Dilectio sine simulatione[w]. Odientes malum, adhaerentes bono.

10. Charitate fraternitatis invicem diligentes; honore invicem praevenientes.

11. Solicitudine non pigri; Spiritu ferventes; Domino servientes;

12. spe[x] gaudentes; in tribulatione patientes; orationi instantes[y];

13. necessitatibus sanctorum communicantes[z]; hospitalitatem sectantes.

14. Benedicite persequentibus

[n] cf. v. 11. [o] Jes. 40, 13. [p] Hiob 41, 2. [q] Eph. 4, 22. sq. [r] Gal. 1, 1.

[s] 1 Cor. 12, 12 sq. [t] 1 Cor. 12, 4. sqq. [u] 1 Cor. 14, 3. [v] Act. 6, 1. sqq. [w] 1 Tim. 1, 5. [x] supr. 5, 2. 8, 24. [y] Luc. 18, 1. sqq. Phil. 4, 6. [z] infr. c. 15, 27.

Cap. XI. 30. illorum incredulitatem. 32. in incredulitatem. 33. in compraehensibilia. 36. in ipso omnia (*deest* sunt). XII. 2. placens et perfecta. 3. divisit Deus. 8. exortatur — exortando; *ibid.* sollicitudine (*deest* in). 9. adherentes. 10. caritatem. 13. memoriis sanctorum (*sic*). 14. persequentibus (*deest* vos).

vos; benedicite, et nolite maledicere[a].

15. Gaudere cum gaudentibus[b], flere cum flentibus.

16. Id ipsum invicem sentientes; non alta sapientes, sed humilibus consentientes; nolite esse prudentes apud vosmet ipsos.

17. Nulli malum pro malo reddentes; providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.

18. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.

19. Non vosmet ipsos defendentes, charissimi! sed date locum irae. Scriptum est enim: „Mihi „vindicta; ego retribuam, dicit „Dominus"[c].

20. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus.

21. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.

CAP. XIII.

Superioribus obtemperandum est. De amore in alios. Conformemus nos ad Christi virtutes.

1. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit[d]; non est enim potestas, nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt[e].

2. Itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.

3. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac! et habebis laudem ex illa;

4. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time! non enim sine causa gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.

5. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.

6. Ideo enim et tributa praestatis; ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes.

7. Reddite ergo omnibus debita[f]; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.

8. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis; qui enim diligit proximum, legem implevit[g].

9. Nam: „Non adulterabis! „Non occides! Non furaberis! „Non falsum testimonium dices! „Non concupisces!" et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: „Diliges proximum „tuum sicut te ipsum"[h].

10. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.

11. Et hoc scientes tempus[i]; quia hora est jam nos de somno surgere[k]. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus.

12. Nox praecessit, dies au-

[a] Matth. 5, 44. [b] 1 Cor. 13, 6. [c] Deut. 32, 35. [d] 1 Petr. 2, 13. Tit. 3, 1. [e] Joh. 19, 11.

[f] Matth. 22, 21. [g] cf. v. 10. 1 Cor. 13. [h] Matth. 22, 39. sq. [i] Luc. 12, 54. sqq. [k] Eph. 5, 14. 1 Thess. 5, 6.

Cap. XII. 19. vindictam (*sic*). XIII. 2. ordinatione (*sic*); *ibid.* dampnationem adquirunt. 4. male feceris. 5. sed et propter. 7. reddite omnibus (*deest* ergo). 9. furaveris.

tem appropinquavit; abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis[l].

13. Sicut in die honeste ambulemus; non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et aemulatione;

14. sed induimini Dominum Jesum Christum; et carnis curam ne feceritis in desideriis[m].

CAP. XIV.

Fortiores foveant infirmos. Nihil faciendum aut cum fratris offensione, aut contra conscientiam.

1. Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum[n].

2. Alius enim credit se manducare omnia; qui autem infirmus est, olus manducet.

3. Is, qui manducat, non manducantem non spernat; et qui non manducat, manducantem non judicet[o]; Deus enim illum assumpsit.

4. Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit[p]; stabit autem; potens est enim Deus statuere illum.

5. Nam alius judicat diem inter diem; alius autem judicat omnem diem; unusquisque in suo sensu abundet[q].

6. Qui sapit diem, Domino sapit; et qui manducat, Domino manducat; gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, et gratias agit Deo.

7. Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur.

8. Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.

9. In hoc enim Christus mortuus est, et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur[r].

10. Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu, quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi[s].

11. Scriptum est enim: „Vivo „ego, dicit Dominus, quoniam „mihi flectetur omne genu, et „omnis lingua confitebitur Deo"[t].

12. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.

13. Non ergo amplius invicem judicemus; sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.

14. Scio, et confido in Domino Jesu[u], quia nihil commune per ipsum, nisi ei, qui existimat, quid commune esse, illi commune est.

15. Si enim propter cibum frater tuus contristatur; jam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est[v].

16. Non ergo blasphemetur bonum nostrum.

17. Non est enim regnum Dei,

[l] 1 Thess. 5, 8. [m] Gal. 5, 16. [n] c. 15, 1. 1 Cor. 8, 9. [o] Col. 2, 16. [p] cf. v. 10. Matth. 7, 1. [q] cf. v. 31.

[r] 2 Cor. 5, 10. 15. [s] Matth. 25, 32. [t] Jes. 45, 23. Phil. 2, 10. [u] Matth. 15. 11. 1 Cor. 10, 15. sq. [v] 1 Cor. 8, 11.

Cap. XIII. 12. adpropinquavit; *ibid.* abiciamus. 13. comesationibus; *ibid.* inpudicitiis. XIV. 1. adsumite. 2. manducare omnia (*deest* se); *ibid.* holus. 3. adsumpsit. 4. judices; *ibid.* suo Domino. 5. alius judicat (*deest* autem). 9. et mortuus est. 10. fratrem tuum in non manducando (*hoc invenitur ad voc.* fratrem tuum *secundo loco positum*). 11. flectet (*at syllaba* ur *erasa est*). 13. judicate hoc. 17. non est regnum Dei (*deest* enim).

esca et potus[w]; sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.

18. Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, et probatus est hominibus.

19. Itaque, quae pacis sunt, sectemur; et quae aedificationis sunt, in invicem custodiamus.

20. Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem sunt munda[x]; sed malum est homini, qui per offendiculum manducat.

21. Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.

22. Tu fidem habes? penes temet ipsum habe coram Deo. Beatus, qui non judicat semet ipsum in eo, quod probat.

23. Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est; quia non ex fide. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.

CAP. XV.

Infirmorum imbecillitas sustinenda est. Judaeis juxta promissiones, Gentibus vero ex misericordia praedicatum est Evangelium. Dicit apostolus, ad Romanos se venturum.

1. Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere[y], et non nobis placere.

2. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad aedificationem.

3. Etenim Christus non sibi placuit[z], sed sicut scriptum est[a]: „Improperia improperantium ti„bi ceciderunt super me"[b].

4. Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt; ut per patientiam, et consolationem Scripturarum spem habeamus.

5. Deus autem patientiae et solatii, det vobis id ipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum;

6. Ut unanimes, uno ore honorificetis Deum et patrem Domini nostri Jesu Christi.

7. Propter quod suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei.

8. Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum[c];

9. gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est: „Propterea confi„tebor tibi in Gentibus, Domine, „et nomini tuo cantabo"[d].

10. Et iterum dicit: „Laetami„ni, Gentes, cum plebe ejus"[e].

11. Et iterum: „Laudate omnes „Gentes Dominum; et magnifi„cate eum, omnes populi"[f].

12. Et rursus Isaias ait: „Erit „radix Jesse, et qui exsurget re„gere Gentes; in eum Gentes „sperabunt"[g].

13. Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo; ut abundetis in spe, et virtute Spiritus sancti.

14. Certus sum autem, fratres mei, et ego ipse de vobis, quoniam et ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita, ut possitis alterutrum monere.

[w] 1 Cor. 8, 8. [x] cf. v. 14. [y] c. 14, 1. 15. [z] Joh. 6, 37. sqq. Phil. 2, 5. sqq. [a] Ps. 68, 10. [b] Joh. 15, 24.

[c] Act. 3, 25. [d] Ps. 17, 50. [e] Ps. 66, 3—5. [f] Ps. 116, 1. [g] Jes. 11, 10.

Cap. XIV. 20. munda sunt; *ibid.* offendicum (*errore scriptum est*). 21. offendit. XV. 3. inproperia inproperantium. 9. super misericordiam; *ibid.* propter hoc; *ibid. deest* Domine. 12. rursum Esaias; *ibid.* in eo.

15. Audacius autem scripsi vobis, fratres! ex parte, tamquam in memoriam vos reducens, propter gratiam, quae data est mihi a Deo,

16. ut sim minister Christi Jesu in Gentibus, sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta, et sanctificata in Spiritu sancto.

17. Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum.

18. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quae per me non efficit Christus[h] in obedientiam Gentium, verbo et factis;

19. in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus sancti[i]; ita ut ab Ierusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi.

20. Sic autem praedicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum aedificarem; sed sicut scriptum est:

21. „Quibus non est annun„ciatum de eo, videbunt: et qui „non audierunt, intelligent"[k].

22. Propter quod et impediebar plurimum venire ad vos; et prohibitus sum usque adhuc.

23. Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam praecedentibus annis;

24. cum in Hispaniam proficisci coepero, spero, quod praeteriens videam vos, et a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero.

25. Nunc igitur proficiscar in Ierusalem ministrare sanctis[l].

26. Probaverunt[m] enim Macedonia, et Achaja, collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Ierusalem.

27. Placuit enim eis; et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles; debent et in carnalibus ministrare illis.

28. Hoc igitur cum consummavero, et assignavero eis fructum hunc; per vos proficiscar in Hispaniam.

29. Scio autem, quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Evangelii Christi veniam.

30. Obsecro[n] ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per charitatem sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum,

31. ut liberer ab infidelibus[o], qui sunt in Judaea, et obsequii mei oblatio accepta fiat in Ierusalem sanctis,

32. ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, et refrigerer vobiscum.

33. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.

CAP. XVI.

Salutationes. Qui fugiendi sint.

1. Commendo autem vobis

[h] 2 Cor. 3, 5. [i] Act. 14, 3. [k] Jes. 52, 15.

[l] Act. 19, 21. 24, 27. sqq. [m] Act. 11, 29. 1 Cor. 16, 1. 2. 2 Cor. 8, 1. 2. [n] 2 Cor. 1, 11. [o] Act. 21, 27. sqq.

Cap. XV. 16. accepta sanctificata. 20. evangelium hoc praedicavi. 21. adnuntiatum. 25. proficiscar Hierusalem. 26. conlationem; *ibid.* qui sunt Hierusalem. 27. spiritalium; *ibid.* eis. 28. proficiscar per vos. 29. benedictionis Christi (*deest* evangelii). 30. caritatem spiritus (*deest* sancti); *ibid.* orationibus (*deest* vestris). 31. Hierusolyma.

Phoeben sororem nostram, quae est in ministerio Ecclesiae, quae est in Cenchris;

2. ut eam suscipiatis in Domino digne sanctis; et assistatis ei in quocumque negotio vestri indiguerit; etenim ipsa quoque astitit multis, et mihi ipsi.

3. Salutate Priscam et Aquilam [p] adjutores meos in Christo Jesu

4. (qui pro anima mea suas cervices supposuerunt[q]; quibus non solus ego gratias ago, sed et cunctae ecclesiae Gentium),

5. et domesticam Ecclesiam eorum[r]. Salutate Epaenetum dilectum mihi, qui est primitivus Asiae in Christo.

6. Salutate Mariam, quae multum laboravit in vobis.

7. Salutate Andronicum et Juniam cognatos et concaptivos meos, qui sunt nobiles in Apostolis, qui et ante me fuerunt in Christo.

8. Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino.

9. Salutate Urbanum, adjutorem nostrum in Christo Jesu, et Stachyn, dilectum meum.

10. Salutate Apellen probum in Christo.

11. Salutate eos, qui sunt ex Aristobuli domo. Salutate Herodionem, cognatum meum. Salutate eos, qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino.

12. Salutate Tryphaenam, et Tryphosam, quae laborant in Domino. Salutate Persidem charissimam, quae multum laboravit in Domino.

13. Salutate Rufum[s] electum in Domino, et matrem ejus, et meam.

14. Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen; et qui cum eis sunt, fratres.

15. Salutate Philologum et Juliam, Nereum et sororem ejus, et Olympiadem, et omnes, qui cum eis sunt, sanctos.

16. Salutate invicem in osculo sancto[t]. Salutant vos omnes Ecclesiae Christi.

17. Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula praeter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt; et declinate ab illis[u].

18 Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri; et per dulces sermones, et benedictiones, seducunt corda innocentium.

19. Vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo.

20. Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter[v]! Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum.

21. Salutat vos Timotheus[w] adjutor meus, et Lucius, et Jason[x], et Sosipater[y], cognati mei.

22. Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam, in Domino.

[p] Act. 18, 2. [q] Act. 18, 12. sqq. [r] 1 Cor. 16, 19.

[s] Marc. 15, 21. [t] 1 Cor. 16, 20. 2 Cor. 13, 12. [u] 2 Thess. 3, 6. 14. 2 Joh. 10. [v] 2 Cor. 11, 14. 15. Joh. 12, 31. [w] Act. 16, 1. sqq. [x] Act. 17, 7. [y] Act. 20, 4.

Cap. XVI. 1. Phoebem; *ibid.* Cenchris (*deest* in). 2. adsistitit (*sic*). 4. subposuerunt. 5. eorum ecclesiam; *ibid.* Ephaenetum. 7. Juliam. 9. in Christo (*deest* Jesu). 11. ex Arestoboli (*deest* domo); *ibid.* ex Narcissi (*deest* domo). 12. Thryfenam; *ibid.* Tryfosam; *ibid.* Persidam. 14. Phleganta; *ibid.* Hermam (*pro* Hermen). 20. Satanan. 22. scribsi epistulam.

23. Salutat vos Cajus[z], hospes meus, et universa Ecclesia. Salutat vos Erastus[a], arcarius civitatis, et Quartus, frater.

24. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

25. Ei autem, qui potens est vos confirmare juxta Evangelium meum, et praedicationem Jesu Christi, secundum revelationem mysterii temporibus aeternis taciti,

26. (quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum[b] secundum praeceptum aeterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis Gentibus cogniti.

27. Soli sapienti Deo, per Jesum Christum, cui honor et gloria in saecula saeculorum[c]. Amen.

[z] Act. 20, 4. 3 Joh. 1. [a] Act. 19, 22.

[b] c. 1, 2. [c] Eph. 3, 20. sq. Jud. 24. sq. 1 Tim. 1, 17.

EPISTOLA PAULI
AD
CORINTHIOS I.

CAP. I.

Baptizantium schismata. Rejicienda est mundi sapientia. Contemti mortales a deo benevole eliguntur, ne quis de se glorietur.

1. Paulus vocatus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei[a], et Sosthenes[b] frater,

2. ecclesiae Dei, quae est Corinthi, sanctificatis[c] in Christo Jesu, vocatis sanctis, cum omnibus, qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, in omni loco ipsorum, et nostro.

3. Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo[d].

4. Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quae data est vobis in Christo Jesu;

5. quod in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia[e].

6. Sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis;

7. ita ut nihil vobis desit in ulla gratia[f], exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi,

8. qui et confirmabit vos usque in finem sine crimine, in die adventus Domini nostri Jesu Christi.

9. Fidelis Deus, per quem vo-

[a] Gal. 1, 1. [b] Act. 18, 17. [c] Joh. 17, 19. [d] Rom. 1, 7.

[e] c. 12, 8. [f] c. 12, 8.

Cap. XVI. 23. Gajus; *ibid.* universae ecclesiae; *ibid.* salutat Erastus (*deest* vos). 24. *Deest totus versiculus.* 25. vos vos (*errore*). 26. cognito (*sic*). 27. solo (*sic*); *ibid.* honor in saecula (*deest* et gloria).

Cap. I. 1. Christi Jesu; *ibid.* Sostenens. 5. quia. 8. confirmavit.

cati estis in societatem[g] filii ejus Jesu Christi Domini nostri.

10. Obsecro autem vos, fratres! per nomen Domini nostri Jesu Christi; ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia.

11. Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis, qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos.

12. Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli; ego autem Apollo[h]; ego vero Cephae[i]; ego autem Christi[k].

13. Divisus est Christus? numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?

14. Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum[l] et Cajum[m],

15. ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati estis.

16. Baptizavi autem et Stephanae[n] domum; ceterum nescio, si quem alium baptizaverim.

17. Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare; non in sapientia verbi[o], ut non evacuetur crux Christi.

18. Verbum enim crucis, pereuntibus quidem stultitia[p] est; iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus[q] est.

19. Scriptum est enim: „Perdam sapientiam sapientium, et „prudentiam prudentium reprobabo[r]“.

20. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus saeculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi[s]?

21. Nam, quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum; placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes[t].

22. Quoniam et Judaei signa[u] petunt, et Graeci sapientiam[v] quaerunt;

23. nos autem praedicamus Christum crucifixum; Judaeis quidem scandalum[w], Gentibus autem stultitiam[x];

24. ipsis autem vocatis, Judaeis atque Graecis, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.

25. Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.

26. Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles[y].

27. Sed quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia;

28. et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea, quae non sunt, ut ea, quae sunt, destrueret;

29. ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.

30. Ex ipso autem vos estis in

[g] Joh. 12, 26. [h] c. 16, 12. Act. 18, 24. 19, 1. [i] c. 3, 4. [k] 2 Cor. 5, 16. 10, 7. [l] Act. 18, 8. [m] Act. 19, 29. Rom. 16, 23. [n] c. 16, 17. [o] c. 2, 1. [p] v. 23. 24. 2 Cor. 4, 3. [q] Rom. 1, 16.

[r] Jes. 29, 14. [s] Rom. 1, 22. sq. [t] Matth. 11, 25. [u] Matth. 12, 38. sqq. [v] Act. 17, 18. sqq. [w] Luc. 2, 34. Joh. 12, 34. Act. 4, 2. [x] Act. 17, 32. 26, 23. sq. [y] Joh. 7, 48. Jac. 2, 5.

Cap. I. 10. ut non sint; *ibid.* scismata. 11. ab his qui sunt Cloes; *ibid.* inter vos sunt. 14. Gajum. 18. his autem qui; *ibid.* virtus Dei. 20. inquisitor. 21. in Dei sapientiam. 28. et quae non sunt.

Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio;

31. ut quemadmodum scriptum est: „Qui gloriatur, in Domino glorietur[z]!“

CAP. II.

Affirmat Paulus, se Christum crucifixum verbis simplicibus praedicasse Corinthiis.

1. Et ego, cum venissem ad vos, fratres! veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiae[a], annuncians vobis testimonium Christi.

2. Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.

3. Et ego in infirmitate[b], et timore, et tremore[c] multo fui apud vos.

4. Et sermo meus, et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis; sed in ostensione spiritus[d], et virtutis;

5. ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei[e].

6. Sapientiam autem loquimur inter perfectos; sapientiam vero non hujus saeculi, neque principum hujus saeculi, qui destruuntur[f];

7. sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita[g] est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram,

8. quam nemo principum hujus saeculi cognovit; si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent[h].

9. Sed sicut scriptum est: „Quod oculus non vidit, nec „auris audivit, nec in cor homi„nis ascendit, quae praeparavit „Deus iis, qui diligunt illum[i]“.

10. Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum; Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei[k].

11. Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quae Dei sunt, nemo[l] cognovit, nisi Spiritus Dei.

12. Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis.

13. Quae et loquimur non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes.

14. Animalis autem homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi, et non potest intelligere[m]; quia spiritualiter[n] examinatur.

15. Spiritualis autem judicat omnia; et ipse a nemine judicatur.

16. Quis enim cognovit sensum Domini[o], qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus.

[z] Jer. 9, 23. 24. [a] v. 4. 13. c. 1, 17. [b] Gal. 4, 13. [c] Act. 18, 9. [d] v. 10. 13. [e] 2 Cor. 4, 7. 1 Thess. 1, 5. [f] c. 1, 18. [g] Eph. 3, 5.

[h] Act. 3, 15—17. [i] Jes. 64, 4. [k] Matth. 16, 17. Joh. 16, 13. [l] Matth. 11, 27. [m] 2 Cor. 4, 3. sq. [n] c. 12, 3. Joh. 14, 17. [o] Jes. 40, 13.

Cap. I. 30. sapientia nobis. II. 1. per sublimitatem. 4. non in persuasione sapientiae verbi. 9. his qui diligunt. 11. scit hominum; *ibid.* quae sint. 13. in doctrina spiritus et virtutis, spiritalibus spiritalia conparantes. 14. est enim; *ibid.* spiritaliter.

CAP. III.

Corinthiis adhuc carnalibus praedicari non poterant recondita fidei mysteria. Solus Christus fidei fundamentum est. De non violando Dei templo in nobis.

1. Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tamquam parvulis in Christo.

2. lac[p] vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis; sed nec nunc quidem potestis; adhuc enim carnales estis.

3. Cum enim sit inter vos zelus et contentio[q]; nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?

4. Cum enim quis dicat: Ego quidem sum Pauli. Alius autem: Ego Apollo. Nonne homines estis? quid igitur est Apollo? quid vero Paulus[r]?

5. Ministri ejus, cui credidistis, et unicuique sicut Dominus dedit.

6. Ego plantavi[s], Apollo rigavit[t]; sed Deus incrementum dedit[u].

7. Itaque, neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed, qui incrementum dat, Deus.

8. Qui autem plantat, et qui rigat, unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.

9. Dei enim sumus adjutores; Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis.

10. Secundum gratiam Dei, quae data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui; alius autem superaedificat. Unusquisque autem videat, quomodo superaedificet.

11. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus[v].

12. Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam;

13. uniuscujusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur; et uniuscujusque opus quale sit, ignis[w] probabit.

14. Si cujus opus manserit, quod superaedificavit, mercedem accipiet.

15. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.

16. Nescitis, quia templum Dei[x] estis, et Spiritus Dei habitat[y] in vobis?

17. Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

18. Nemo se seducat! si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc saeculo, stultus[z] fiat, ut sit sapiens.

19. Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: „Comprehendam „sapientes in astutia eorum"[a].

20. Et iterum: „Dominus no-

[p] Hebr. 5, 12. sq. [q] c. 1, 11. sqq. 11, 18. [r] c. 1, 12. [s] Act. 18, 1. sqq. [t] Act. 18, 24. 27. [u] Phil. 2, 13.

[v] Eph. 2, 20. [w] c. 7, 26. [x] 2 Cor. 6, 16. Eph. 2, 21. sq. [y] c. 6, 19. [z] c. 1, 18. [a] Hiob 5, 13.

Cap. III. 1. spiritalibus; *ibid.* in Christo parvulis. 2. estis carnales. 4. dicit. 7. incrimentum. 8. qui plantat autem. 11. aliut. 12. supra fundamentum; *ibid.* faenum. 13. dies enim declaravit (*deest* Domini). 17. disperdit. 18. nemo vos. 19. aput; *ibid.* conpraehendam.

„vit cogitationes sapientium, „quoniam vanae sunt“[b].

21. Nemo itaque glorietur in hominibus.

22. Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura; omnia enim vestra sunt[c];

23. vos autem Christi; Christus autem Dei[d].

CAP. IV.

Non temere judicandum est de ministris Dei. Arguuntur Corinthii, qui de donis acceptis gloriabantur. Addit apostolus, Corinthum se brevi venturum.

1. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi[e], et dispensatores mysteriorum Dei.

2. Hic jam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis[f] quis inveniatur.

3. Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die; sed neque me ipsum judico.

4. Nihil enim mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum[g]; qui autem judicat me, Dominus est.

5. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita[h] tenebrarum, et manifestabit consilia cordium; et tunc laus erit unicuique a Deo.

6. Haec autem, fratres! transfiguravi in me et Apollo[i], propter vos; ut in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio.

7. Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

8. Jam saturati estis, jam divites facti estis; sine nobis regnatis; et utinam regnetis, ut et nos vobiscum regnemus.

9. Puto enim, quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos; quia spectaculum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus.

10. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo; nos infirmi, vos autem fortes; vos nobiles, nos autem ignobiles.

11. Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis caedimur, et instabiles sumus[k],

12. et laboramus operantes manibus nostris[l]; maledicimur, et benedicimus[m]; persecutionem patimur, et sustinemus;

13. blasphemamur, et obsecramus; tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.

14. Non ut confundam vos, haec scribo; sed ut filios meos charissimos moneo.

15. Nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui[n].

16. Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut et ego Christi.

[b] Ps. 93, 11. [c] Rom. 8, 28. 38. sq. [d] c. 11, 3. [e] c. 3, 5. [f] Luc. 12, 42. sqq. [g] Ps. 18, 13. [h] Rom. 2, 16. [i] c. 3, 4. 5.

[k] 2 Cor. 11, 27. [l] c. 9, 6. sqq. Act. 18, 3. [m] Matth. 5, 44. sqq. [n] Gal. 4, 19. Act. 18, 1—11.

Cap. III. 20. cogitationes hominum. 21. itaque nemo. IV. 3. neque ego me ipsum. 5. manifestavit (*sic*). 7. acciperis. 8. regnaretis — regnaremus. 9. nos Deus. 11. cedimur. 13. peripsima. 15. milia. 16. *Desunt verba* sicut et ego Christi.

17. Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, et fidelis in Domino; qui vos commonefaciet vias meas, quae sunt in Christo Jesu, sicut ubique in omni Ecclesia doceo.

18. Tamquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam;

19. veniam autem ad vos cito, si Dominus voluerit; et cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt, sed virtutem.

20. Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute[o].

21. Quid vultis? in virga veniam ad vos? an in charitate, et spiritu mansuetudinis[p]?

CAP. V.

Reprehenduntur Corinthii, quod tolerent virum in incestu publice viventem, quem apostolus absens tradit Satanae.

1. Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita, ut uxorem patris sui aliquis habeat.

2. Et vos inflati estis; et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.

3. Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, jam judicavi, ut praesens, eum, qui sic operatus est:

4. in nomine Domini nostri Jesu Christi[q], congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu,

5. tradere hujusmodi satanae in interitum carnis[r], ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.

6. Non est bona gloriatio vestra! Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit?

7. Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi; etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.

8. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis.

9. Scripsi vobis in epistola: Ne commisceamini fornicariis!

10. Non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus; alioquin debueratis de hoc mundo exiisse.

11. Nunc autem scripsi vobis, non commisceri; si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax; cum ejusmodi nec cibum sumere.

12. Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare? Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis?

13. Nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipsis!

CAP. VI.

Corripiuntur Corinthii, quod judicio contendant coram judice extero. Sunt, quae licent, sed non expediunt.

1. Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, et non apud sanctos?

[o] c. 2, 4. 9, 2. sq. [p] 2 Cor. 13, 10. [q] Matth. 18, 17. [r] 2 Cor. 12, 8. Luc. 13, 16. Eph. 2, 2. 6, 12.

Cap. IV. 17. commonefaciat; *ibid.* in Christo (*deest* Jesu). 19. cito ad vos. 21. aut in. V. 1. patris (*deest* sui). 2. tolleretur. 4. Domini Jesu (*deest* nostri *et* Christi). 5. Domini Jesu (*deest* nostri *et* Christi). 6. non bona (*deest* est). 7. consparsio. 9. epistula. 10. exisse. 12. de his qui (*bis*). VI. 1. aput.

2. An nescitis, quoniam sancti de hoc mundo[s] judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis?

3. Nescitis, quoniam angelos judicabimus? quanto magis saecularia?

4. Saecularia igitur judicia si habueritis; contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.

5. Ad verecundiam vestram dico: Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum?

6. Sed frater cum fratre judicio contendit, et hoc apud infideles?

7. Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis[t]? quare non magis fraudem patimini?

8. Sed vos injuriam facitis, et fraudatis; et hoc fratribus.

9. An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare! Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri,

10. neque molles, neque masculorum concubitores[u], neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.

11. Et haec quidam fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.

12. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt; omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.

13. Esca ventri, et venter escis Deus autem et hunc et has destruet; corpus autem non fornicationi, sed Domino; et Dominus corpori.

14. Deus vero et Dominum suscitavit; et nos suscitabit per virtutem suam.

15. Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit!

16. An nescitis, quoniam, qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur? „Erunt enim (inquit) „duo in carne una"[v].

17. Qui autem adhaeret Domino, unus spiritus est.

18. Fugite fornicationem! Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.

19. An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti[w], qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri?

20. Empti enim estis pretio magno[x]; glorificate et portate Deum in corpore vestro.

CAP. VII.

De matrimonio et caelibatu.

1. De quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere;

2. propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem

[s] Matth. 19, 27. sqq. [t] Matth. 5, 39. [u] Rom. 1, 26. sqq.

[v] Gen. 2, 24. [w] c. 3, 16. Rom. 8, 11. [x] 1 Petr. 1, 18. sq.

Cap. VI. 2. de mundo (*deest* hoc). 7. delectum; *ibid.* accepitis (*sic*). 13. et hunc et haec. 14. suscitavit — suscitavit. 15. Christi sunt. 16. adheret; *ibid.* inquid. 18. omne enim. 19. templum est. VII. 1. scribsistis mihi.

habeat, et unaquaeque suum virum habeat.

3. Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro.

4. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

5. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.

6. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.

7. Volo enim omnes vos esse, sicut me ipsum; sed unusquisque proprium donum habet ex Deo; alius quidem sic, alius vero sic.

8. Dico autem non nuptis, et viduis: bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego.

9. Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri.

10. Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus[y], uxorem a viro non discedere.

11. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.

12. Nam caeteris ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam.

13. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.

14. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.

15. Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi; in pace autem vocavit nos Deus.

16. Unde enim scis, mulier! si virum salvum facies? aut unde scis, vir! si mulierem salvam facies?

17. Nisi unicuique sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet; et sicut in omnibus Ecclesiis doceo.

18. Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat praeputium! In praeputio aliquis vocatus est? non circumcidatur!

19. Circumcisio nihil est, et praeputium nihil est; sed observatio mandatorum Dei[z].

20. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.

21. Servus vocatus es? non sit tibi curae; sed et si potes fieri liber, magis utere.

22. Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini; similiter, qui liber vocatus est, servus est Christi[a].

23. Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum.

[y] Matth. 5, 32. 19, 3—9.

[z] Rom. 2, 28. sq. [a] Rom. 6, 18.

Cap. VII. 4. non habeat (*sed hoc tantum prima parte commatis, altera enim parte legitur* non habet). 7. volo autem; *ibid.* proprium habet donum. 8. sic maneant. 10. his enim qui. 11. innubtam; *ibid.* ne demittat. 13. si qua mulier (*deest* fidelis). 14. in muliere fideli. 15. non est enim servituti; *ibid.* in ejusmodi. 17. ubique in omnibus. 21. liber fieri.

24. Unusquisque in quo vocatus est, fratres! in hoc permaneat apud Deum.

25. De virginibus autem praeceptum Domini non habeo; consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis.

26. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse.

27. Alligatus es uxori? noli quaerere solutionem[b]. Solutus es ab uxore? noli quaerere uxorem.

28. Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit; tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco.

29. Hoc itaque dico, fratres! Tempus breve est; reliquum est, ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint;

30. et qui flent, tamquam non flentes; et qui gaudent, tamquam non gaudentes; et qui emunt, tamquam non possidentes;

31. et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur; praeterit enim figura hujus mundi.

32. Volo autem vos sine solicitudine esse. Qui sine uxore est, solicitus est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo;

33. qui autem cum uxore est, solicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.

34. Et mulier innupta, et virgo, cogitat, quae Domini sunt; ut sit sancta corpore et spiritu; quae autem nupta est, cogitat, quae sunt mundi, quomodo placeat viro.

35. Porro hoc ad utilitatem vestram dico; non ut laqueum vobis injiciam; sed ad id, quod honestum est, et quod facultatem praebeat sine impedimento Dominum obsecrandi.

36. Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, et ita oportet fieri; quod vult faciat; non peccat, si nubat.

37. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis; et hoc judicavit in corde suo, servare virginem suam, bene facit.

38. Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit, melius facit.

39. Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult, nubat, tantum in Domino.

40. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium; puto autem, quod et ego[c] Spiritum Dei habeam.

CAP. VIII.

Carnes in cultu idolorum mactatae non sunt edendae, nec repugnante conscientia, nec cum infirmorum offensione.

1. De iis autem, quae idolis sacrificantur, scimus, quia omnes

[b] Matth. 19, 6.

[c] Gal. 2, 8.

Cap. VII. 25. misericordiam suam (*sic*). 26. ergo bonum (*deest* hoc). 28. acciperis (*sic*); *ibid.* peccabit; *ibid.* parcam. 29. ut qui habent (*deest* et). 33. hujus mundi. 34. sancta et corpore; *ibid.* nubta. 35. et facultatem praebeat (*deest* quod); *ibid.* observandi (*sic, correctio tamen adest*). 39. *Deest* legi. 40. habeo. VIII. 1. de his autem; *ibid.* quoniam.

scientiam habemus. Scientia inflat, charitas vero aedificat.

2. Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit, quemadmodum oporteat eum scire.

3. Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo.

4. De escis autem, quae idolis immolantur, scimus, quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus.

5. Nam etsi sunt, qui dicantur dii, sive in coelo, sive in terra (siquidem sunt dii multi, et domini multi):

6. Nobis tamen unus est Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum[d].

7. Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant; et conscientia ipsorum, cum sit infirma[e], polluitur.

8. Esca autem nos non commendat Deo; neque enim si manducaverimus, abundabimus; neque si non manducaverimus, deficiemus.

9. Videte autem, ne forte haec licentia vestra offendiculum fiat infirmis[f].

10. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem, nonne conscientia ejus, cum sit infirma, aedificabitur ad manducandum idolothyta?

11. Et peribit[g] infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est!

12. Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.

13. Quapropter si esca scandalizat[h] fratrem meum; non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.

CAP. IX.

Apostolus Corinthiis praedicans Jesum ne victum quidem gratis a suis accipit; omnis omnibus esse studet, ut plures ad Christum vocet.

1. Non sum liber? non sum Apostolus? nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi? nonne opus meum vos estis in Domino?

2. Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum; nam signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino.

3. Mea defensio apud eos, qui me interrogant, haec est:

4. Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi?

5. Numquid non habemus potestatem, mulierem sororem circumducendi, sicut et caeteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas?

6. Aut ego solus, et Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi?

7. Quis militat suis stipendiis umquam? quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? quis

[d] Joh. 1, 3. Col. 1, 16. sq. [e] c. 10, 25. sqq. Rom. 14, 14. [f] c. 9, 22. 10, 32. sq.

[g] Rom. 14, 15. [h] Rom. 14, 21.

Cap. VIII. 2. *Deest* autem; *ibid.* exhistimat (*sic*). 4. nullus Deus (*deest* est). 6. Deus et pater. 7. autem conscientia (*deest* cum). 8. abundavimus. 10. in idolo. 12. in Christo peccatis. IX. 1. Jesum Dominum nostrum (*deest* Christum). 2. si aliis (*deest* et). 3. aput. 5. sororem mulierem. 6. solus ego. 7. de fructum (*sic*).

pascit gregem, et de lacte gregis non manducat[i]?

8. Numquid secundum hominem haec dico? an et lex haec non dicit?

9. Scriptum est enim in lege Moysi: „Non alligabis os bovi „trituranti[k].“ Numquid de bobus cura est Deo?

10. An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt. Quoniam debet in spe, qui arat, arare; et qui triturat, in spe fructus percipiendi.

11. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus[l]?

12. Si alii potestatis vestrae participes sunt, quare non potius nos? sed non usi sumus hac potestate[m]; sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi[n].

13. Nescitis, quoniam, qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt? et qui altari deserviunt, cum altari participant?

14. Ita et Dominus ordinavit[o] iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.

15. Ego autem nullo horum usus sum. Non autem scripsi haec, ut ita fiant in me; bonum est enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet.

16. Nam si evangelizavero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit; vae enim mihi est, si non evangelizavero.

17. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo; si autem invitus, dispensatio mihi credita est.

18. Quae est ergo merces mea? ut Evangelium praedicans sine sumptu ponam Evangelium; ut non abutar potestate mea in Evangelio.

19. Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem.

20. Et factus sum Judaeis tamquam Judaeus[p], ut Judaeos lucrarer;

21. iis, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem[q] (cum ipse non essem sub lege), ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem; iis, qui sine lege erant, tamquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi), ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant.

22. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.

23. Omnia autem facio propter Evangelium, ut particeps ejus efficiar.

24. Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis.

25. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam.

26. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aërem verberans;

27. sed castigo corpus meum,

[i] Matth. 10, 9. sq. [k] Deut. 25, 4. [l] Rom. 15, 27. Gal. 6, 6. [m] c. 4, 12. [n] Act. 20, 35. [o] Matth. 10, 10. Luc. 10, 7.

[p] Act. 16, 3. 21, 26. [q] Act. 17, 22. sqq.

Cap. IX. 9. de bubus. 11. spiritalia. 12. *Deest* quare; *ibid.* non omnia (*at asteriscis notatum* est non). 13. qui altari (*deest* et); *ibid.* cum altario (*sic*) participantur. 14. his qui. 24. hi qui; *ibid.* brabium; *ibid.* conprehendatis.

et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.

CAP. X.

De tentatione humana, Deique in tentationibus auxilio. Fugienda eorum mensa est, qui idolothytis vescuntur.

1. Nolo enim vos ignorare, fratres! quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt;

2. et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari;

3. et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt;

4. et omnes eumdem potum spiritualem biberunt (bibebant autem de spirituali, consequente eos, petra; petra autem erat Christus);

5. Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo; nam prostrati sunt in deserto[r].

6. Haec autem in figura facta sunt nostri; ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt.

7. Neque idololatrae efficiamini, sicut quidam ex ipsis; quemadmodum scriptum est: „Sedit „populus manducare et bibere, „et surrexerunt ludere[s]".

8. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt; et ceciderunt una die viginti tria millia[t].

9. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt; et a serpentibus perierunt.

10. Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt; et perierunt ab exterminatore[u].

11. Haec autem omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quo fines saeculorum devenerunt.

12. Itaque, qui se existimat stare, videat, ne cadat!

13. Tentatio vos non apprehendat, nisi humana; fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.

14. Propter quod, charissimi mihi! fugite ab idolorum cultura.

15. Ut prudentibus loquor, vos ipsi judicate, quod dico.

16. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?

17. Quoniam unus panis, unum[v] corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.

18. Videte Israël secundum carnem; nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?

19. Quid ergo? dico quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid?

20. Sed quae immolant Gentes, daemoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri daemoniorum; non potestis calicem Domini bibere, et calicem daemoniorum;

21. non potestis mensae Domini participes esse, et mensae daemoniorum.

[r] Num. 14, 28—33. 26, 64. 65. [s] Exod. 32, 6. [t] Num. 25, 1. 9.

[u] Num. 14, 2. 36. [v] c. 12, 12.

Cap. X. 4. consequenti. 6. concupiscentes mala. 8. *Deest* milia (*sic*). 13. super id; *ibid.* faciet cum temptatione etiam. 15. vos judicate (*deest* ipsi). 17. participamur.

22. An aemulamur Dominum? numquid fortiores illo sumus? omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.

23. Omnia mihi licent, sed non omnia aedificant.

24. Nemo, quod suum est, quaerat, sed quod alterius.

25. Omne, quod in macello vaenit, manducate[w], nihil interrogantes propter conscientiam.

26. „Domini est terra, et ple- „nitudo ejus[x]“.

27. Si quis vocat vos infidelium, et vultis ire; omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.

28. Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis! nolite manducare, propter illum, qui indicavit, et propter conscientiam;

29. conscientiam autem dico non tuam, sed alterius. Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia?

30. Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo, quod gratias ago?

31. Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis; omnia in gloriam Dei facite[y].

32. Sine offensione estote Judaeis, et Gentibus, et Ecclesiae Dei;

33. sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quaerens, quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.

CAP. XI.

De modo, quo vir et mulier ad Deum preces fundere debent; de sacrae coenae institutione et de gravitate sceleris indigne ad illam accedentium.

1. Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.

2. Laudo autem vos, fratres! quod per omnia mei memores estis; et sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis.

3. Volo autem vos scire, quod omnis viri caput Christus est; caput autem mulieris, vir; caput vero Christi, Deus.

4. Omnis vir orans aut prophetans[z] velato capite, deturpat caput suum.

5. Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum, unum enim est, ac si decalvetur.

6. Nam si non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe est mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput suum.

7. Vir quidem non debet velare caput suum; quoniam imago et gloria Dei est, mulier autem gloria viri est.

8. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro.

9. Etenim non est creatus vir propter mulierem; sed mulier propter virum[a].

10. Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter Angelos.

11. Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino.

12. Nam sicut mulier de viro, ita et vir per mulierem; omnia autem ex Deo.

[w] c. 8, 8. [x] Ps. 23, 1. [y] c. 8, 9. Rom. 14, 6.

[z] c. 14, 3. [a] Gen. 2, 18.

Cap. X. 22. aemulemur; *ibid.* omnia licent (*deest* mihi). 23. omnia licent (*deest* mihi). 28. immolatium (*sic, deest* est). 29. ab alia. 31. aliut quid. 33. querens. XI. 2. quod omnia (*deest* per). 5. unum est enim. 6. et tondeatur. 7. velare caput (*deest* suum).

13. Vos ipsi judicate; decet mulierem non velatam orare Deum?

14. Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi;

15. mulier vero si comam nutriat, gloria est illi; quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.

16. Si quis autem videtur contentiosus esse; nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei[b].

17. Hoc autem praecipio, non laudans, quod non in melius, sed in deterius convenitis.

18. Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras[c] esse inter vos, et ex parte credo.

19. Nam oportet et haereses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.

20. Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam coenam manducare.

21. Unusquisque enim suam coenam praesumit ad manducandum; et alius quidem esurit, alius autem ebrius est.

22. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? laudo vos? in hoc non laudo.

23. Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis[d]: quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem,

24. et gratias agens fregit, et dixit: Accipite, et manducate; hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem.

25. Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: Hic calix novum testamentum[e] est in meo sanguine; hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.

26. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis; mortem Domini annunciabitis, donec veniat.

27. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne; reus erit corporis, et sanguinis Domini.

28. Probet autem se ipsum[f] homo; et sic de pane illo edat, et de calice bibat.

29. Qui enim manducat et bibit indigne; judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.

30. Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi.

31. Quod si nosmet ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur;

32. dum judicamur autem, a Domino corripimur; ut non cum hoc mundo damnemur.

33. Itaque, fratres mei! cum convenitis ad manducandum, invicem exspectate.

34. Si quis esurit, domi manducet[g]; ut non in judicium con-

[b] 1 Tim. 6, 4. [c] v. 21. sq. c. 1, 11. sq. [d] c. 15, 3. Matth. 26, 26—29.

[e] Act. 7, 8. Exod. 24, 8. [f] 2 Cor. 13, 5. [g] v. 21. sq.

Cap. XI. 13. vos autem (*deest* ipsi). 16. ecclesiae Dei. 18. in ecclesia; *ibid. deest* inter vos. 19. hereses. 23. Dominus noster (*deest* Jesus, *sed vocabulum* noster *insertum est literis minusculis*). 24. *Deest* quod. 25. bibitis. 26. quotienscumque (*sic, sed litera* n *habet obeliscum, qui est signum negligentiae librarii*). 26. adnuntiatis. 30. imbecilles sunt.

veniatis. Caetera autem, cum venero, disponam.

CAP. XII.

Varia Spiritus sancti charismata. Christus providit ecclesiae de variis hominum statibus.

1. De spiritualibus autem nolo vos ignorare, fratres!

2. Scitis, quoniam cum Gentes essetis, ad simulacra muta, prout ducebamini euntes.

3. Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Jesu[h]; et nemo potest dicere: Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto[i].

4. Divisiones vero gratiarum sunt; idem autem Spiritus.

5. Et divisiones ministrationum[k] sunt; idem autem Dominus.

6. Et divisiones operationum sunt; idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.

7. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.

8. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae[l]; alii autem sermo scientiae secundum eumdem Spiritum;

9. alteri fides[m] in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum in uno Spiritu;

10. alii operatio virtutum, alii prophetia[n], alii discretio spirituum[o], alii genera linguarum[p], alii interpretatio sermonum.

11. Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.

12. Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt; ita et Christus[q].

13. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judaei, sive Gentiles, sive servi, sive liberi[r]; et omnes in uno Spiritu potati sumus.

14. Nam et corpus non est unum membrum, sed multa.

15. Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore! num ideo non est de corpore?

16. Et si dixerit auris: Quoniam non sum oculus, non sum de corpore! num ideo non est de corpore?

17. Si totum corpus oculus; ubi auditus? Si totum auditus; ubi odoratus?

18. Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore, sicut voluit.

19. Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus?

20. Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus.

21. Non potest autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo! aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarii!

22. Sed multo magis, quae videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt;

23. et quae putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus; et quae inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent.

h 1 Joh. 4, 1—3. i c. 2, 14. Matth. 16, 17. k v. 28. l c. 2, 6. sqq. m c. 13, 2. n c. 14, 3. o 1 Joh. 4, 1. p Act. 2, 4.

q Rom. 12, 4. 5. Eph. 4, 15. 16. r Gal. 3, 28.

Cap. XII. 2. simulachra. 12. unum corpus sunt (*deest* tamen). 13. unum spiritum potati sumus. 15. non ideo. 16. si dixerit (*deest* et); *ibid.* quia; *ibid.* non ideo. 21. dicere oculus manui. 23. ignorabiliora (*sic*).

24. Honesta autem nostra nullius egent; sed Deus temperavit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem,

25. ut non sit schisma in corpore, sed id ipsum pro invicem solicita sint membra.

26. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.

27. Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro[s].

28. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores[t], deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum[u].

29. Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetae? numquid omnes Doctores?

30. numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?

31. Aemulamini autem charismata meliora[v]! Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.

CAP. XIII.

Charitatis necessitas et praeclara natura.

1. Si linguis hominum loquar, et angelorum; charitatem[w] autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens.

2. Et si habuero prophetiam[x], et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam[y]; charitatem autem non habuero, nihil sum.

3. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita, ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

4. Charitas patiens est, benigna est; charitas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur;

5. non est ambitiosa, non quaerit, quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum;

6. non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati;

7. omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.

8. Charitas numquam excidit: sive prophetiae[z] evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur.

9. Ex parte enim cognoscimus; et ex parte prophetamus;

10. cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est.

11. Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus; quando autem factus sum vir, evacuavi, quae erant parvuli.

12. Videmus nunc per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.

13. Nunc autem manent, fides,

[s] v. 12. [t] Eph. 4, 11. [u] v. 10. [v] c. 13, 1. sqq. [w] Rom. 13, 8. sqq.

[x] c. 14, 3. [y] Matth. 21, 21. [z] c. 14, 3.

Cap. XII. 25. sunt membra (*sic, cum obelisco, sed* sint *literis minusculis insertum est*). 28. *Deest* interpretationes sermonum. 31. charismata majora. XIII. 2. et habuero (*deest* si). 3. meum, ut ardeat (*deest* ita). 6. super iniquitatem. 8. excedit. 11. quando factus sum (*deest* autem).

spes, charitas, tria haec. Major autem horum est charitas.

CAP. XIV.

Donum linguarum prophetiae dono inferius est. Mulieres sileant in ecclesiis.

1. Sectamini charitatem, aemulamini spiritualia; magis autem, ut prophetetis[a].

2. Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo[b]; nemo enim audit. Spiritu autem loquitur mysteria.

3. Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad aedificationem, et exhortationem, et consolationem.

4. Qui loquitur lingua, semet ipsum aedificat; qui autem prophetat, Ecclesiam Dei aedificat.

5. Volo autem omnes vos loqui linguis; magis autem prophetare. Nam major est, qui prophetat, quam qui loquitur linguis; nisi forte interpretetur, ut Ecclesia aedificationem accipiat[c].

6. Nunc autem, fratres! si venero ad vos linguis loquens; quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina?

7. Tamen quae sine anima sunt vocem dantia, sive tibia, sive cithara; nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur id, quod canitur, aut quod citharizatur?

8. Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum?

[a] v. 3. [b] v. 14. [c] v. 26. sqq.

9. Ita et vos per linguam, nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id, quod dicitur? eritis enim in aëra loquentes.

10. Tam multa utputa genera linguarum sunt in hoc mundo; et nihil sine voce est.

11. Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus; et qui loquitur, mihi barbarus.

12. Sic et vos, quoniam aemulatores estis spirituum, ad aedificationem Ecclesiae[d] quaerite, ut abundetis.

13. Et ideo, qui loquitur lingua, oret, ut interpretetur[e].

14. Nam si orem lingua, spiritus meus orat; mens autem mea sine fructu est.

15. Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo et mente; psallam spiritu, psallam et mente.

16. Caeterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotae, quomodo dicet Amen super tuam benedictionem? quoniam, quid dicas, nescit.

17. Nam tu quidem bene gratias agis; sed alter non aedificatur.

18. Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor;

19. sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut et alios instruam; quam decem millia verborum in lingua.

20. Fratres! nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote[f]; sensibus autem perfecti estote.

[d] c. 12, 31. [e] v. 27. [f] Matth. 18, 3. Rom. 16, 19.

Cap. XIII. 13. major autem his. XIV. 3. aedificationem (*deest* ad); *ibid.* consolationes. 4. ecclesiam (*deest* Dei). 5. linguis loqui. 6. in revelationem; *ibid.* aut scientia aut prophetia aut doctrina (*deest* in). 7. scietur quod. 8. quis paravit. 9. in aëre loquentes. 10. in mundo (*deest* hoc). 16. quis supplet. 18. Deo (*deest* meo). 19. decem milia.

21. In lege scriptum est: „Quoniam in aliis linguis et labiis aliis loquar populo huic; „et nec sic exaudient me, dicit „Dominus[g]".

22. Itaque linguae in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus; prophetiae autem non infidelibus, sed fidelibus.

23. Si ergo conveniat universa Ecclesia in unum, et omnes linguis loquantur; intrent autem idiotae, aut infideles, nonne dicent, quod insanitis[h]?

24. Si autem omnes prophetent[i]; intret autem quis infidelis, vel idiota; convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus;

25. occulta cordis ejus manifesta fiunt, et ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians, quod vere Deus in vobis sit.

26. Quid ergo est, fratres? cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet; omnia ad aedificationem fiant.

27. Sive lingua quis loquitur; secundum duos, aut ut multum tres, et per partes, et unus interpretetur.

28. Si autem non fuerit interpres; taceat in Ecclesia, sibi autem loquatur, et Deo[k].

29. Prophetae autem duo, aut tres dicant, et caeteri dijudicent[l].

30. Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat.

31. Potestis enim omnes per singulos prophetare; ut omnes dicant, et omnes exhortentur.

32. Et spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt.

33. Non enim est dissensionis Deus, sed pacis; sicut et in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo.

34. Mulieres in Ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui[m], sed subditas[n] esse, sicut et lex dicit.

35. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.

36. An a vobis verbum Dei processit? aut in vos solos pervenit?

37. Si quis videtur Propheta esse, aut spiritualis, cognoscat, quae scribo vobis, quia Domini sunt mandata.

38. Si quis autem ignorat, ignorabitur.

39. Itaque, fratres! aemulamini prophetare; et loqui linguis nolite prohibere.

40. Omnia autem honeste, et secundum ordinem fiant!

CAP. XV.

De Christi et de nostra resurrectione.

1. Notum autem vobis facio, fratres! Evangelium[o], quod praedicavi vobis, quod et accepistis, in quo et statis,

2. per quod et salvamini; qua ratione praedicaverim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis.

3. Tradidi enim vobis inprimis, quod et accepi[p]: quoniam

[g] Jes. 28, 11. [h] Act. 2, 13. [i] v. 3. [k] v. 2. [l] c. 12, 10. [m] 1 Tim. 2, 11. sqq. [n] Eph. 5, 22. sqq. [o] v. 3, 4. [p] c. 11, 23.

Cap. XIV. 22. in sunt signum (*sic*). 23. omnis linguis; *ibid.* et idiotae aut infideles. 25. adoravit. 26. apocalypsin. 29. prophetae duo aut tres (*deest* autem). 33. sicut in omnibus ecclesiis sanctorum (*deest* doceo).

Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas[q];

4. et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas[r];

5. et quia visus est Cephae[s], et post hoc undecim[t].

6. Deinde visus est plus quam quingentis fratribus[u] simul; ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt;

7. deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus.

8. Novissime autem omnium tamquam abortivo, visus est et mihi[v].

9. Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei[w].

10. Gratia autem Dei sum id, quod sum[x], et gratia ejus in me vacua non fuit; sed abundantius illis omnibus laboravi[y]; non ego autem, sed gratia Dei mecum.

11. Sive enim ego, sive illi; sic praedicamus, et sic credidistis.

12. Si autem Christus praedicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?

13. Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit[z].

14. Si autem Christus non resurrexit; inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra;

15. invenimur autem et falsi testes Dei; quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt.

16. Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit[a];

17. quod si Christus non resurrexit; vana est fides vestra; adhuc enim estis in peccatis[b] vestris.

18. Ergo et qui dormierunt in Christo, perierunt.

19. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus; miserabiliores sumus omnibus hominibus.

20. Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, primitiae[c] dormientium.

21. Quoniam quidem per hominem mors; et per hominem resurrectio mortuorum[d].

22. Et sicut in Adam omnes moriuntur; ita et in Christo omnes vivificabuntur[e].

23. Unusquisque autem in suo ordine, primitiae Christus; deinde ii, qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt.

24. Deinde finis; cum tradiderit regnum[f] Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem.

25. Oportet autem illum regnare „donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus"[g].

[q] Jes. 53, 4. sq. [r] Ps. 15, 10. Jon. 2, 1. [s] Luc. 24, 34. [t] Joh. 20, 19. 26. [u] Matth. 28, 16. sq. [v] Act. 9, 4. sqq. [w] Act. 9, 1—6. [x] Rom. 1, 4. 1 Tim. 1, 13. sqq. [y] 2 Cor. 11, 23. [z] v. 17.

[a] v. 13. [b] Rom. 4, 25. [c] v. 23. Act. 26, 23. [d] Rom. 5, 12. [e] Rom. 8, 11. [f] Matth. 28, 18. Eph. 1, 20. [g] Ps. 109, 1. sq.

Cap. XV. 4. surrexit. 5. quia (*deest* et); *ibid.* post haec. 7. et Jacobo (*deest* est). 10. habundantius. 14. ergo est. 16. *Versiculus totus omissus.* 21. quoniam enim. 22. vivificantur (*sed manifesta est erasio*). 23. hi qui sunt; *ibid.* in adventu ejus (*desunt verba* qui crediderunt). 25. ponat inimicos (*deest* omnes).

26. Novissima autem inimica destruetur mors; „omnia enim „subjecit sub pedibus ejus“[h]. Cum autem dicat:

27. Omnia subjecta sunt ei; sine dubio praeter eum, qui subjecit ei omnia.

28. Cum autem subjecta fuerint illi omnia; tunc et ipse filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia[i], ut sit Deus omnia in omnibus.

29. Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid et baptizantur pro illis?

30. Ut quid et nos periclitamur omni hora[k]?

31. Quotidie morior per vestram gloriam, fratres! quam habeo in Christo Jesu Domino nostro.

32. Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi[l], quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? „Manducemus, et bibamus; cras enim moriemur“[m]!

33. Nolite seduci! Corrumpunt mores bonos colloquia mala.

34. Evigilate justi, et nolite peccare! ignorantiam enim Dei quidam habent; ad reverentiam vobis loquor.

35. Sed dicet aliquis: Quomodo resurgunt mortui? qualive corpore venient?

36. Insipiens! tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur[n].

37. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas; sed nudum granum, utputa tritici, aut alicujus caeterorum;

38. Deus autem dat illi corpus, sicut vult; et unicuique seminum proprium corpus.

39. Non omnis caro, eadem caro; sed alia quidem hominum, alia vero pecorum, alia volucrum, alia autem piscium.

40. Et corpora coelestia, et corpora terrestria; sed alia quidem coelestium gloria, alia autem terrestrium.

41. Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum; stella enim a stella differt in claritate.

42. Sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.

43. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria[o]; seminatur in infirmitate, surget in virtute.

44. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Si est corpus animale, est et spirituale, sicut scriptum est:

45. „Factus est primus homo „Adam in animam viventem“[p], novissimus[q] Adam in spiritum vivificantem.

46. Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale; deinde quod spirituale.

47. Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de coelo, coelestis.

48. Qualis terrenus, tales et terreni; et qualis coelestis, tales et coelestes.

[h] Ps. 8, 8. [i] Matth. 11, 27. [k] Rom. 8, 36. [l] Act. 19, 23. sqq. [m] Jes. 22, 13. [n] Joh. 12, 24.

[o] Phil. 3, 21. [p] Gen. 2, 7. [q] Rom. 5, 14.

Cap. XV. 28. subjecit ei; *ibid.* tunc ipse filius (*deest* et); *ibid.* erit illi; *ibid.* sibi subjecit. 30. pereclitamur. 31. propter vestram. 34. evigilate juste; *ibid.* ignorantiam Dei enim. 35. quali autem. 38. sicut voluit. 39. alia hominum, alia pecorum (*deest* quidem); *ibid.* alia caro volucrum. 41. alia claritas stellae (*deest* et). 44. sic et scriptum est. 46. quod animale est.

49. Igitur, sicut portavimus imaginem terreni; portemus et imaginem coelestis.

50. Hoc autem dico, fratres! quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt; neque corruptio incorruptelam possidebit.

51. Ecce! mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.

52. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba[r], canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti; et nos immutabimur.

53. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem; et mortale hoc induere immortalitatem[s].

54. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem; tunc fiet sermo, qui scriptus est: „Absorpta est mors in victoria[t].

55. „Ubi est, mors! victoria „tua? ubi est, mors! stimulus tu„us“[u]?

56. Stimulus autem mortis peccatum est; virtus vero peccati lex[v].

57. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum[w].

58. Itaque, fratres mei dilecti! stabiles estote et immobiles; abundantes in opere Domini semper; scientes, quod labor vester non est inanis in Domino.

CAP. XVI.

De colligenda eleemosyna. Commendatio Timothei et familiae Stephani.

1. De collectis[x] autem, quae fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiae[y], ita et vos facite!

2. Per unam sabbati unusquisque vestrum apud se seponat, recondens, quod ei bene placuerit; ut non, cum venero, tunc collectae fiant.

3. Cum autem praesens fuero; quos probaveritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Ierusalem.

4. Quod si dignum fuerit, ut et ego eam[z], mecum ibunt.

5. Veniam autem ad vos, cum Macedoniam pertransiero; nam Macedoniam[a] pertransibo.

6. Apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hiemabo; ut vos me deducatis, quocumque iero.

7. Nolo enim vos modo in transitu videre, spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit.

8. Permanebo autem Ephesi[b] usque ad Pentecosten.

9. Ostium enim mihi apertum est magnum et evidens; et adversarii multi.

10. Si autem venerit Timotheus[c], videte! ut sine timore sit apud vos; opus enim Domini operatur, sicut et ego.

11. Ne quis ergo illum spernat[d]! deducite autem illum in pace, ut veniat ad me; exspecto enim illum cum fratribus.

1 Thess. 4, 15. Apoc. 10, 7. 11, 15. [s] 2 Cor. 5, 4. [t] Jes. 25, 8. [u] Hos. 13, 14. [v] Rom. 5, 12. 20. 7, 8. sqq. [w] Rom. 7, 24. sq.

[x] 2 Cor. 8, 9. Rom, 15, 26. [y] Act. 11. 29. 30. [z] Rom. 15, 25. [a] Act. 16, 12. 17, 1. 19, 21. [b] Act. 19, 8—10. [c] c. 4. 17. Act. 19, 22. [d] 1 Tim. 4, 12.

Cap. XV. 50. quoniam. 51. resurgimus. 52. canet enim (*deest* tuba). 53. incorruptelam. 54. absorta. 58. in opera. XVI. 1. in sanctis 2. aput se ponat; *ibid.* quod ei placuerit (*deest* bene). 3. presens; *ibid.* epistulas. 4. ut ego eam (*deest* et). 6. apud vos forsitan (*deest* autem); *ibid.* ut et vos. 7. in transitum; *ibid.* aliquantum.

12. De Apollo[e] autem fratre vobis notum facio; quoniam multum rogavi eum, ut veniret ad vos cum fratribus; et utique non fuit voluntas, ut nunc veniret; veniet autem, cum ei vacuum fuerit.

13. Vigilate, state in fide, viriliter agite, et confortamini!

14. Omnia vestra in charitate fiant!

15. Obsecro autem vos, fratres! nostis domum Stephanae[f], et Fortunati, et Achaici; quoniam sunt primitiae Achaiae, et in ministerium sanctorum ordinaverunt se ipsos;

16. ut et vos subditi sitis ejusmodi, et omni cooperanti et laboranti.

17. Gaudeo autem in praesentia Stephanae, et Fortunati, et Achaici; quoniam id, quod vobis deerat, ipsi suppleverunt;

18. refecerunt enim et meum spiritum, et vestrum. Cognoscite ergo, qui hujusmodi sunt!

19. Salutant vos Ecclesiae Asiae. Salutant vos in Domino multum Aquila et Priscilla[g] cum domestica sua Ecclesia, apud quos et hospitor.

20. Salutant vos omnes fratres. Salutate invicem in osculo sancto!

21. Salutatio, mea manu Pauli[h].

22. Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema; Maran atha.

23. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum[i].

24. Charitas mea cum omnibus vobis in Christo Jesu. Amen.

[e] Act. 18, 24. [f] c. 1, 16.

[g] Act. 18, 2. 18. [h] Col. 4, 18. 2 Thess. 3, 17. [i] Rom. 16, 24.

EPISTOLA PAULI
AD
CORINTHIOS II.

CAP. I.

Ex quot quantisque adversitatibus ereptus sit apostolus, exponitur. Suam explicat sinceritatem. Se minime levem esse probat.

1. Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus[a] frater, ecclesiae Dei, quae est Corinthi, cum omnibus sanctis, qui sunt in universa Achaia.

2. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo!

3. Benedictus Deus et Pater

[a] 1 Cor. 16, 10.

Cap. XVI. 12. de Apollo autem multum rogavi eum. 15. *Desunt verba* et Achaici. 18. qui ejusmodi sunt. 19. Prisca. 20. fratres omnes. 22. Dominum Jesum Christum (*deest* nostrum). 23. Domini Jesu (*deest* nostri).

Cap. I. 1. sanctis omnibus.

Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis,

4. qui consolatur nos in omni tribulatione nostra; ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur et ipsi a Deo.

5. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis; ita et per Christum[b] abundat consolatio nostra.

6. Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione et salute, sive consolamur pro vestra consolatione; sive exhortamur pro vestra exhortatione et salute, quae operatur tolerantiam earumdem passionum, quas et nos patimur.

7. Ut spes nostra firma sit pro vobis; scientes, quod sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis.

8. Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra, quae facta est in Asia[c]; quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem; ita, ut taederet nos etiam vivere.

9. Sed ipsi in nobismet ipsis responsum mortis habuimus; ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos[d],

10. qui de tantis periculis nos eripuit, et eruit; in quem speramus, quoniam et adhuc eripiet,

11. adjuvantibus et vobis in oratione pro nobis; ut ex multorum personis, ejus, quae in nobis est donationis, per multos gratiae agantur pro nobis.

12. Nam gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo; abundantius autem ad vos[e].

13. Non enim alia scribimus vobis, quam quae legistis, et cognovistis. Spero autem, quod usque in finem cognoscetis,

14. sicut et cognovistis nos ex parte, quod gloria vestra sumus, sicut et vos nostra, in die Domini nostri Jesu Christi.

15. Et hac confidentia volui prius venire ad vos, ut secundam gratiam haberetis;

16. et per vos transire in Macedoniam[f]; et iterum a Macedonia venire ad vos, et a vobis deduci in Judaeam.

17. Cum ergo hoc voluissem, numquid levitate usus sum? aut quae cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me Est et Non?

18. Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo Est et Non.

19. Dei enim filius Jesus Christus, qui in vobis per nos praedicatus est, per me, et Silvanum, et Timotheum[g], non fuit Est et Non, sed Est in illo fuit.

[b] c. 12, 9. [c] Act. 19, 23. sqq. [d] 1 Cor. 15, 32.

[e] c. 4, 2. [f] 1 Cor. 16, 5. [g] Act. 18, 5. 2 Thess. 1, 1.

Cap. I. 4. praessura. 6. *Desunt verba* sive exhortamur pro vestra exhortatione et salute; *ibid.* quae operantur (*litera* n *minuta scriptura inserta est*) in tollerantia earundem passionum. 7. Et spes nostra firma pro vobis (*deest* sit); *ibid.* scientes quoniam. 8. vos ignorare. 9. in nobis ipsis. 10. eripuit nos et eruet. 11. ut ex multarum facierum ejus. 12. in simplicitate et sinceritate Dei (*deest* cordis); *ibid.* in mundo (*deest* hoc). 13. cognoscitis. 14. quia gloria. 16. Machedoniam (*ita semper*). 17. cum hoc ergo. 18. qui fit apud vos.

20. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo Est; ideo et per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram.

21. Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus;

22. qui et signavit[h] nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.

23. Ego autem testem Deum invoco in animam meam, quod parcens[i] vobis, non veni ultra Corinthum; non quia dominamur fidei vestrae, sed adjutores sumus gaudii vestri; nam fide statis.

CAP. II.

Non venit apostolus ad Corinthios, ne majoris esset causa tristitiae. Hortatur, ut fornicarius recipiatur in gratiam.

1. Statui autem hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia venirem ad vos.

2. Si enim ego contristo vos; et quis est, qui me laetificet, nisi qui contristatur ex me?

3. Et hoc ipsum scripsi vobis; ut non, cum venero, tristitiam super tristitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere; confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium omnium vestrum est.

4. Nam ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas; non ut contristemini, sed ut sciatis, quam charitatem habeam abundantius in vobis.

5. Si quis autem contristavit[k], non me contristavit; sed ex parte, ut non onerem omnes vos.

6. Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio haec, quae fit a pluribus:

7. ita, ut e contrario magis donetis, et consolemini; ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est.

8. Propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum charitatem.

9. Ideo enim et scripsi, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis.

10. Cui autem aliquid donastis, et ego; nam et ego, quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi[l],

11. ut non circumveniamur a satana; non enim ignoramus cogitationes ejus.

12. Cum venissem autem Troadem[m] propter Evangelium Christi, et ostium mihi apertum esset in Domino,

13. non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Titum[n] fratrem meum; sed valefaciens eis, profectus sum in Macedoniam.

14. Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odorem notitiae suae manifestat per nos in omni loco.

15. Quia Christi bonus odor sumus Deo in iis, qui salvi fiunt, et in iis, qui pereunt.

16. Aliis quidem odor mortis in mortem; aliis autem odor vitae in vitam. Et ad haec quis tam idoneus?

17. Non enim sumus sicut plu-

[h] Eph. 1, 13. [i] c. 2, 3. 12, 20. 13, 2. 10. [k] 1 Cor. 5.

[l] 1 Cor. 5, 4. [m] Act. 16, 8. 20, 6. [n] c. 7, 5. sq.

Cap. I. 21. vobiscum in Christum. 22. et qui signavit. 23. fide stetistis. II. 1. in tristitiam. 3. scripsi (*deest* vobis). 4. lacrimas multas. 9. enim scripsi (*deest* et) 10. donatis. 15. et in his qui pereunt.

rimi, adulterantes[o] verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.

CAP. III.

Non eget apostolus hominum commendatione. De velamine, quod quasi super cor habebant Judaei in lectione Scripturarum.

1. Incipimus iterum nosmet ipsos commendare? aut numquid egemus (sicut quidam) commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis[p]?

2. Epistola nostra[q] vos estis, scripta in cordibus nostris, quae scitur et legitur ab omnibus hominibus.

3. Manifestati quod epistola estis Christi, ministrata a nobis, et scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.

4. Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum;

5. non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo[r] est;

6. qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti, non littera, sed Spiritu; littera[s] enim occidit, Spiritus[t] autem vivificat.

7. Quod si ministratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria; ita, ut non possent intendere filii Israël in faciem Moysi, propter gloriam vultus ejus, quae evacuatur[u];

8. quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria?

9. Nam si ministratio damnationis[v] gloria est; multo magis abundat ministerium justitiae in gloria.

10. Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam.

11. Si enim quod evacuatur, per gloriam est; multo magis, quod manet, in gloria est.

12. Habentes igitur talem spem, multa fiducia utimur.

13. Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israël in faciem ejus, quod evacuatur,

14. sed obtusi sunt sensus eorum; usque in hodiernum enim diem id ipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum (quoniam in Christo evacuatur),

15. sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.

16. Cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.

17. Dominus autem Spiritus[w] est; ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.

18. Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.

[o] c. 4, 2. 6. [p] c. 10, 8. 12. [q] 1 Cor. 9, 2. [r] 1 Cor. 15, 10. [s] Gal. 3, 10. [t] Rom. 8, 2. [u] Exod. 34, 29. sqq. [v] Gal. 3, 10. [w] Joh. 4, 24.

Cap. III. 2. Epistula (*ita semper*). 3. manifestati quoniam. 7. in faciem Mosi. 8. erit in gloriam. 9. ministerio damnationis. 11. in gloriam est. 15. velamen est positum. 16. aufertur velamen. 18. nos vero revelata (*deest* omnes).

CAP. IV.

Verbum Dei omnibus patefactum est. Gloriam aeternam parit praesens afflictio et vexatio.

1. Ideo habentes administrationem, juxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus,

2. sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei; sed in manifestatione veritatis commendantes nosmet ipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo[x].

3. Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum; in iis, qui pereunt, est opertum;

4. in quibus Deus hujus saeculi[y] excaecavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriae Christi, qui est imago Dei.

5. Non enim nosmet ipsos praedicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum; nos autem servos vestros per Jesum[z].

6. Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei, in facie Christi Jesu.

7. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus[a]; ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis[b].

8. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur;

9. persecutionem patimur, sed non derelinquimur; dejicimur, sed non perimus[c].

10. Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.

11. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur[d] propter Jesum; ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali.

12. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis[e].

13. Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est: „Credidi, propter quod locutus „sum[f]"; et nos credimus, propter quod et loquimur;

14. Scientes, quoniam qui suscitavit Jesum, et nos cum Jesu suscitabit, et constituet vobiscum.

15. Omnia enim propter vos; ut gratia abundans, per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei.

16. Propter quod non deficimus; sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur; tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem.

17. Id enim, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus[g] operatur in nobis,

18. non contemplantibus nobis, quae videntur, sed quae non videntur[h]. Quae enim videntur, temporalia sunt; quae autem non videntur, aeterna sunt.

[x] c. 1, 12. [y] Eph. 6, 11. 12. [z] 1 Cor. 1, 13. [a] c. 5, 1. [b] 1 Cor. 2, 4. 5.

[c] c. 1, 5. 8. [d] c. 11, 23. [e] c. 1, 6. 7. [f] Ps. 115. 10. [g] Rom. 8, 18. [h] Rom. 8, 24.

Cap. IV. 1. hanc ministrationem. 3. in his qui pereunt. 4. ut non fulgeat inluminatio (*deest* illis); *ibid.* quae est. 5. Dominum (*deest* nostrum). 6. qui inluxit. 9. persecutionem patimur (*bis scriptum, sed quod primum est, asteriscis notatum est*). 10. in corporibus nostris manifestetur. 14. suscitavit cum Jesu ($v = b$?). 15. per multos gratiarum actione (*deest* in). 16. corrumpitur.

CAP. V.

Desiderant apostoli solvi corpore, legatione pro Christo funguntur.

1. Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis[i].

2. Nam et in hoc ingemiscimus[k], habitationem nostram, quae de coelo est, superindui cupientes.

3. Si tamen vestiti, non nudi inveniamur.

4. Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati; eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri[l]; ut absorbeatur, quod mortale est, a vita.

5. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus[m].

6. Audentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino[n].

7. (Per fidem enim ambulamus, et non per speciem.)

8. Audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum.

9. Et ideo contendimus, sive absentes, sive praesentes, placere illi.

10. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi; ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum.

11. Scientes ergo timorem Domini hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus. Spero autem et in conscientiis vestris manifestos nos esse.

12. Non iterum commendamus nos vobis; sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis; ut habeatis ad eos, qui in facie[o] gloriantur, et non in corde.

13. Sive enim mente excedimus, Deo; sive sobrii sumus, vobis.

14. Charitas enim Christi urget nos; aestimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt[p];

15. et pro omnibus mortuus est Christus; ut, et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit.

16. Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem[q], et si cognovimus secundum carnem Christum; sed nunc jam non novimus.

17. Si qua ergo in Christo, nova creatura, vetera transierunt; „ecce! facta sunt omnia nova."

18. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis.

19. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis.

20. Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhor-

[i] Phil. 3, 21. [k] Rom. 8, 23. [l] 1 Cor. 15, 51. sqq. [m] Rom. 8, 11. [n] Phil. 1, 23.

[o] c. 3, 1. [p] Rom. 6, 2. sqq. [q] v. 12.

Cap. V. 1. ex Deo habeamus. 4. ingemescimus; *ibid.* absorveatur. 6. et scientes. 8. ad Deum. 12. nos commendamus. 15. mortuus est (*deest* Christus); *ibid.* viunt (*per errorem*). 17. nova omnia (*sed voc.* omnia, *quod semel tantum adest, referendum est ad v.* 18.). 18. reconciliavit nos sibi. 20. legationem (*sic*) fungimur.

tante per nos, obsecramus pro Christo: reconciliamini Deo!

21. Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso[r].

CAP. VI.

Hortatur apostolus Corinthios, ne gratiam acceptam negligant, et monet, ut ab infidelium consortio secedant.

1. Adjuvantes[s] autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.

2. Ait enim: „Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te"[t]. Ecce! nunc tempus acceptabile; ecce! nunc dies salutis.

3. Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum;

4. sed in omnibus exhibeamus nosmet ipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis,

5. in plagis[u], in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis,

6. in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta,

7. in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiae, a dextris et a sinistris;

8. per gloriam, et ignobilitatem, per infamiam, et bonam famam; ut seductores, et veraces; sicut qui ignoti, et cogniti;

9. quasi morientes, et ecce! vivimus; ut castigati, et non mortificati;

10. quasi tristes, semper autem gaudentes; sicut egentes, multos autem locupletantes; tamquam nihil habentes, et omnia possidentes[v].

11. Os nostrum patet ad vos, o Corinthii! cor nostrum dilatatum est.

12. Non angustiamini in nobis; angustiamini autem in visceribus vestris.

13. Eamdem autem habentes remunerationem, tamquam filiis dico: dilatamini et vos!

14. Nolite jugum ducere cum infidelibus! Quae enim participatio justitiae cum iniquitate? aut quae societas luci ad tenebras?

15. Quae autem conventio Christi ad Belial? aut quae pars fideli cum infideli[w]?

16. Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum[x] Dei vivi, sicut dicit Deus: „Quoniam inhabitabo „in illis, et inambulabo inter „eos, et ero illorum Deus, et „ipsi erunt mihi populus[y].

17. „Propter quod exite de „medio eorum, et separamini, „dicit Dominus, et immundum „ne tetigeritis[z].

18. „Et ego recipiam vos, et „ero vobis in patrem, et vos eri„tis mihi in filios et filias, dicit „Dominus omnipotens"[a].

CAP. VII.

Quantus sit apostoli amor in Corinthios.

[r] Rom. 3, 24. [s] 1 Cor. 3, 9. [t] Jes. 49, 8. [u] c. 11, 23. sqq.

[v] c. 4, 15—17. [w] 1 Cor. 10, 20. [x] 1 Cor. 3, 16. [y] Lev. 26, 11. 12. [z] Jes. 52, 11. [a] Jer. 31, 9.

Cap. VI. 1. gratia Dei (*sic per errorem*). 2. et die salutis adjuvavi. 16. *Deest* inter eos. (*Ad marginem, quod rarissimum, scriptum legitur* in Esaia).

1. Has ergo habentes promissiones, charissimi! mundemus nos ab omni inquinamento carnis, et spiritus perficientes sanctificationem in timore Dei.

2. Capite nos! Neminem laesimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus.

3. Non ad condemnationem vestram dico; praediximus[b] enim, quod in cordibus nostris estis, ad commoriendum, et ad convivendum.

4. Multa mihi fiducia est apud vos; multa mihi gloriatio pro vobis; repletus sum consolatione; superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.

5. Nam et cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem[c] habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus; foris pugnae, intus timores.

6. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi.

7. Non solum autem in adventu ejus; sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram aemulationem pro me, ita, ut magis gauderem.

8. Quoniam etsi contristavi vos in epistola, non me poenitet; etsi poeniteret, videns quod epistola illa (etsi ad horam) vos contristavit;

9. nunc gaudeo; non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad poenitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis.

10. Quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur[d]; saeculi autem tristitia mortem[e] operatur.

11. Ecce! enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem! sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed aemulationem, sed vindictam! In omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse negotio[f].

12. Igitur, etsi scripsi vobis, non propter eum, qui fecit injuriam, nec propter eum, qui passus est; sed ad manifestandam solicitudinem nostram, quam habemus pro vobis

13. coram Deo; ideo consolati sumus. In consolatione autem nostra abundantius magis gavisi sumus super gaudio Titi; quia refectus est spiritus ejus ab omnibus vobis.

14. Et si quid apud illum de vobis gloriatus sum, non sum confusus; sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus; ita et gloriatio nostra, quae fuit ad Titum, veritas facta est.

15. Et viscera ejus abundantius in vobis sunt, reminiscentis omnium vestrum obedientiam, quomodo cum timore et tremore excepistis illum.

16. Gaudeo, quod in omnibus confido in vobis.

[b] c. 6, 11. sq. [c] c. 2, 12. sq

[d] Matth. 26, 75. [e] Matth. 27, 3. sqq. [f] 1 Cor. 5.

Cap. VII. 1. has igitur. 2. neminem lesimus neminem corrumpimur (*sic*). 3. *Deest* vestram; *ibid.* praedixi enim. 5. passi (*deest* sumus). 7. in solatio quo. 8. paeniteret. 12. scribsi; *ibid.* pro vobis habemus. 13. super gaudium. 15. in vos sunt; *ibid.* eum.

CAP. VIII.

Corinthios hortatur apostolus ad erogandam stipem in usus pauperum, qui Hierosolymis erant.

1. Notam autem facimus vobis, fratres! gratiam Dei, quae data est in Ecclesiis Macedoniae.

2. Quod in multo experimento tribulationis[g] abundantia gaudii ipsorum fuit; et altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum[h].

3. Quia secundum virtutem, testimonium illis reddo, et supra virtutem voluntarii fuerunt,

4. cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam, et communicationem ministerii, quod fit in Sanctos.

5. Et non sicut speravimus, sed semet ipsos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei;

6. ita, ut rogaremus Titum; ut quemadmodum coepit, ita et perficiat in vobis etiam gratiam istam.

7. Sed sicut in omnibus abundatis fide, et sermone, et scientia, et omni solicitudine, insuper et charitate vestra in nos, ut et in hac gratia abundetis.

8. Non quasi imperans dico; sed per aliorum solicitudinem, etiam vestrae charitatis ingenium bonum comprobans.

9. Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus[i] factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.

10. Et consilium in hoc do; hoc enim vobis utile est, qui non solum facere, sed et velle coepistis ab anno priore.

11. Nunc vero et facto perficite; ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit et perficiendi ex eo, quod habetis.

12. Si enim voluntas prompta est, secundum id, quod habet[k], accepta est, non secundum id, quod non habet.

13. Non enim, ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex aequalitate[l].

14. In praesenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat; ut et illorum abundantia vestrae inopiae sit supplementum, ut fiat aequalitas, sicut scriptum est:

15. „Qui multum, non abun„davit: et qui modicum, non mi„noravit[m]".

16. Gratias autem Deo, qui dedit eamdem solicitudinem pro vobis in corde Titi,

17. quoniam exhortationem[n] quidem suscepit; sed cum solicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos.

18. Misimus etiam cum illo fratrem[o], cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias.

19. Non solum autem, sed et ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostrae, in hanc gratiam, quae ministratur a nobis ad Domini gloriam, et destinatam voluntatem nostram.

20. Devitantes hoc, ne quis

[g] 1 Thess. 1, 6. 2, 14. 2 Thess. 1, 4. [h] 1 Cor. 16, 1. sqq. [i] Matth. 8, 20.

[k] Marc. 12, 43. [l] Act. 4, 34. [m] Exod. 16, 18. [n] v. 6. [o] v. 22.

Cap. VIII. 2. gaudi ipsorum (*deest* fuit). 7. *Hic inde a voce* insuper *quaedam erasa sunt aliaque recentius scripta, ita tamen ut cum textu impresso concinant.* 12. secundum quod non habet (*deest* id). 13. sed et ex. 19. in hac gratia.

nos vituperet in hac plenitudine, quae ministratur a nobis.

21. Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.

22. Misimus autem cum illis et fratrem nostrum, quem probavimus in multis saepe solicitum esse; nunc autem multo solicitiorem, confidentia multa in vos,

23. sive pro Tito, qui est socius meus, et in vos adjutor, sive fratres nostri, apostoli Ecclesiarum[p], gloria Christi.

24. Ostensionem ergo, quae est charitatis vestrae, et nostrae gloriae pro vobis, in illos ostendite in faciem Ecclesiarum.

CAP. IX.

Hortatur ad eleemosynam cito et promto animo dandam. Hujus beneficentiae qui sint fructus, ostendit.

1. Nam de ministerio, quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scribere vobis;

2. scio enim promptum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones[q]. Quoniam et Achaia parata est ab anno praeterito, et vestra aemulatio provocavit plurimos.

3. Misi autem fratres, ut ne quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte, ut (quemadmodum dixi) parati sitis;

4. ne cum venerint Macedones mecum, et invenerint vos imparatos, erubescamus nos (ut non dicamus vos) in hac substantia.

5. Necessarium ergo existimavi rogare fratres, ut praeveniant ad vos, et praeparent repromissam benedictionem hanc paratam esse, sic quasi benedictionem, non tamquam avaritiam.

6. Hoc autem dico: Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet[r].

7. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.

8. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis; ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum,

9. sicut scriptum est: „Dispersit, dedit pauperibus; justitia „ejus manet in saeculum sae„culi[s]".

10. Qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum praestabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiae vestrae;

11. ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quae operatur per nos gratiarum actionem Deo.

12. Quoniam ministerium hujus officii non solum supplet ea quae desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino,

13. per probationem ministerii hujus glorificantes Deum in obedientia confessionis vestrae. in Evangelium Christi, et simplici-

p 1 Cor. 16, 3. q c. 8, 2.

r Gal. 6, 9. s Ps. 111, 9.

Cap. VIII. 22. probabimus (b=v). 23. gloriae Christi. 24 in facie. IX. 2. quoniam Achaja (deest et). 4. mecum Machedone[s] 5. non quasi. 6. Deest dico (*per oscitantem librarium*). 7. de cor[de] suo. 9. in aeternum.

tate communicationis in illos, et in omnes;

14. et in ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis.

15. Gratias Deo super inenarrabili dono ejus.

CAP. X.

De apostoli potestate, et in causa Christi exantlato labore.

1. Ipse autem ego Paulus obsecro vos, per mansuetudinem et modestiam Christi, qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis[t].

2. Rogo autem vos, ne praesens audeam, per eam confidentiam, qua existimor audere in quosdam, qui arbitrantur nos tamquam secundum carnem ambulemus.

3. In carne enim ambulantes non secundum carnem militamus.

4. Nam arma militiae nostrae[u] non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes,

5. et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi,

6. et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia.

7. Quae secundum faciem sunt, videte[v]! Si quis confidit sibi Christi[w] se esse, hoc cogitet iterum apud se; quia sicut ipse Christi est, ita et nos.

8. Nam et si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in aedificationem, et non in destructionem vestram; non erubescam.

9. Ut autem non existimer tamquam terrere vos per epistolas;

10. quoniam quidem epistolae, inquiunt, graves sunt et fortes; praesentia autem corporis infirma, et sermo contemptibilis;

11. hoc cogitet, qui ejusmodi est, quia quales sumus verbo per epistolas, absentes, tales et praesentes in facto.

12. Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibusdam, qui se ipsos commendant[x]; sed ipsi in nobis nosmet ipsos metientes, et comparantes nosmet ipsos nobis.

• 13. Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulae, qua mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi usque ad vos.

14. Non enim quasi non pertingentes ad vos, super extendimus nos; usque ad vos enim pervenimus in Evangelio Christi.

15. Non in immensum gloriantes in alienis laboribus; spem autem habentes crescentis fidei vestrae, in vobis magnificari se-

[t] v. 10. 1 Cor. 4, 18. sqq. [u] Eph. 6, 13. [v] c. 5, 16.

[w] 1 Cor. 1, 12. [x] c. 3, 1.

Cap. IX. 14. et ipsorum observatione (*sic*). X. 1. qui in faciem quidem humilis inter vos (*deest* sum). 2. Rogo autem ne (*deest* vos); *ibid.* qui arbitrantur *et* tamquam secundum *car*nem ambulemus (et, car *sunt ab alia manu antiqua. Prior enim scriptura intercidit ob foramen in membrana, favilla forsan lucernae delapsa*). 4. non carnalia sed (*deest* sunt). 7. si quis confidet 9. per epistulas. 10. epistulae; *ibid.* et fortis (*sic*). 11. per epistulas. 13. gloriabimur secundum (*deest* sed); *ibid.* quam mensus est; *ibid.* Deus pertingendi usque (*deest* mensuram).

cundum regulam nostram in abundantiam;

16. etiam in illa, quae ultra vos sunt, evangelizare[y], non in aliena regula, in iis, quae praeparata sunt gloriari.

17. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur[z]!

18. Non enim, qui se ipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat.

CAP. XI.

Cur apostolus nihil doni aut mercedis acceperit a Corinthiis. Quanta perpessus sit, quantum laboraverit.

1. Utinam sustineretis modicum quid insipientiae meae, sed et supportate me!

2. Aemulor enim vos Dei aemulatione; despondi enim vos uni viro virginem[a] castam exhibere Christo.

3. Timeo autem, ne sicut serpens[b] Hevam seduxit astutia sua; ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate, quae est in Christo.

4. Nam si is, qui venit, alium Christum praedicat, quem non praedicavimus; aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis; aut aliud Evangelium[c], quod non recepistis: recte pateremini.

5. Existimo enim nihil me minus fecisse a magnis Apostolis[d].

6. Nam etsi imperitus sermone, sed non scientia; in omnibus autem manifestati sumus vobis.

7. Aut numquid peccatum feci, me ipsum humilians, ut vos exaltemini? quoniam gratis[e] Evangelium Dei evangelizavi vobis.

8. Alias Ecclesias exspoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum.

9. Et cum essem apud vos, et egerem, nulli onerosus fui; nam quod mihi deerat, suppleverunt fratres, qui venerunt a Macedonia[f]; et in omnibus sine onere me vobis servavi, et servabo.

10. Est veritas Christi in me, quoniam haec gloriatio non infringetur[g] in me in regionibus Achaiae.

11. Quare? Quia non diligo vos? Deus scit!

12. Quod autem facio, et faciam; ut amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem, ut, in quo gloriantur, inveniantur sicut et nos.

13. Nam ejusmodi pseudoapostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi.

14. Et non mirum! ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis.

15. Non est ergo magnum, si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiae; quorum finis erit secundum opera ipsorum.

16. Iterum dico (ne quis me putet insipientem esse, alioquin velut insipientem accipite me, ut et ego modicum quid glorier),

17. quod loquor, non loquor

[y] Rom. 15, 18. sqq. [z] 1 Cor. 3, 5. sqq. [a] Eph. 5, 24. sqq. [b] Gen. 3, 4. [c] Gal. 1, 6. sqq. [d] c. 12, 11.

[e] v. 9. 1 Cor. 9, 18. [f] Phil. 4, 15. [g] 1 Cor. 9, 15.

Cap. X. 16. in his quae parata. 18. sed quem Dominus commendat. XI. 2. dispondi. 4. non praedicabimus (*b*=*v*?); *ibid.* aliut Evangelium; *ibid.* recipistis (*sic*). 5. fecisse magnis apostolis etsi (*desunt* a *et* nam). 6. manifestatus sum. 9. a Machedonia; *ibid.* me me vobis servavi. 10. haec gloria. 13. pseudoapostoli operarii subdoli (*deest* sunt). 16. ne quis me putat (*sic*) insipientem alioquin (*deest* esse).

secundum Deum, sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriae.

18. Quoniam multi gloriantur secundum carnem; et ego gloriabor[h].

19. Libenter enim suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes!

20. Sustinetis enim, si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos caedit.

21. Secundum ignobilitatem dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte! In quo quis audet, (in insipientia dico) audeo et ego.

22. Hebraei sunt, et ego[i]; Israelitae sunt, et ego; semen Abrahae sunt, et ego;

23. ministri Christi sunt, [ut minus sapiens dico] plus ego; in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter[k].

24. A Judaeis quinquies quadragenas, una minus, accepi.

25. Ter virgis caesus sum; semel lapidatus[l] sum; ter naufragium[m] feci, nocte et die in profundo maris fui,

26. in itineribus saepe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus;

[h] v. 22. Phil. 3, 4. sqq. [i] Act. 22, 3. Phil. 3, 5. [k] c. 4, 11. 1 Cor. 15, 10. [l] Act. 14, 18. [m] Act. 27, 41.

27. in labore et aerumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate[n].

28. Praeter illa, quae extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum.

29. Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?

30. Si gloriari oportet, quae infirmitatis meae[o] sunt, gloriabor.

31. Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in saecula, scit, quod non mentior.

32. Damasci[p] praepositus Gentis Aretae regis, custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet;

33. et per fenestram in sporta dimissus sum per murum, et sic effugi manus ejus.

CAP. XII.

Quam coelestibus visionibus apostolus beatus fuerit. Is idem carnis stimulo, cujus natura nobis ignota est, vexatur.

1. Si gloriari oportet (non expedit quidem); veniam autem ad visiones et revelationes Domini.

2. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim [sive in corpore, nescio, sive extra corpus, nescio, Deus scit!], raptum[q] hujusmodi usque ad tertium coelum.

3. Et scio hujusmodi hominem

[n] 1 Cor. 4, 11. [o] c. 12, 5. [p] Act. 9, 24. sqq. [q] Act. 22, 17.

Cap. XI. 17. secundum Dominum; *ibid.* quasi in insipientiam. 20. si quis in vos faciem caedit. 21. *Desunt verba* in hac parte; *ibid.* in insipientiam. 25. in profundum maris. 28. cotidiana. 31. et pater domini Jesu scit qui est benedictus in saecula quod non. 33. in sportam dimissus; *ibid.* et effugi manus (*deest* sic). XII. 2. raptum ejusmodi.

(sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit!),

4. quoniam raptus est in Paradisum; et audivit arcana verba, quae non licet homini[r] loqui.

5. Pro hujusmodi gloriabor; pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis[s].

6. Nam, et si voluero gloriari, non ero insipiens, veritatem enim dicam; parco autem, ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me.

7. Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae, angelus satanae[t], qui me colaphizet.

8. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me.

9. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea! nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis; ut inhabitet in me virtus Christi.

10. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo; cum enim infirmor, tunc potens[u] sum.

11. Factus sum insipiens; vos me coëgistis. Ego enim a vobis debui commendari; nihil enim minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli[v], tametsi nihil sum.

12. Signa tamen Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, et prodigiis, et virtutibus[w].

13. Quid est enim, quod minus habuistis prae caeteris Ecclesiis, nisi quod ego ipse non gravavi[x] vos? Donate mihi hanc injuriam!

14. Ecce! tertio hoc paratus sum venire ad vos[y]; et non ero gravis vobis. Non enim quaero, quae vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filii parentibus thesaurizare; sed parentes filiis.

15. Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse[z] pro animabus vestris; licet plus vos diligens, minus diligar.

16. Sed esto! ego vos non gravavi; sed cum essem astutus, dolo vos cepi!

17. Numquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumveni vos?

18. Rogavi Titum, et misi cum illo fratrem[a]. Numquid Titus vos circumvenit? nonne eodem spiritu ambulavimus? nonne iisdem vestigiis?

19. Olim putatis, quod excusemus nos apud vos? Coram Deo in Christo loquimur; omnia autem, charissimi! propter aedificationem vestram.

20. Timeo enim, ne forte cum venero, non quales volo, inveniam vos[b]; et ego inveniar a vobis, qualem non vultis[c]; ne forte contentiones, aemulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos.

[r] 1 Cor. 2, 9. [s] c. 11, 30. [t] v. 10. [u] c. 4, 8. sqq. [v] c, 11, 5.

[w] Rom. 15, 18. 19. [x] c. 11, 9. [y] c. 1. 15. [z] Rom. 9, 3. [a] c. 8, 18. [b] c. 1, 23. [c] c. 10, 2.

Cap. XII. 4. quae non licebat homini. 5. pro ejusmodi. 6. ne quis in me existimet quod videt me aut audit ex me. 7. ut me colafizet. 10 in infirmitatibus, in contumeliis. 11. ab his qui sunt; *ibid.* tamen etsi 12. signa tamen apostoli facta sunt; *ibid.* potentia signis. 15. ego enim libentissime. 18. hisdem vestigiis. 19. propter vestram aedificationem.

21. Ne iterum, cum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, et non egerunt poenitentiam super immunditia, et fornicatione, et impudicitia, quam gesserunt.

CAP. XIII.

Minatur apostolus his, qui peccaverant, ut ad poenitentiam vocet.

1. Ecce! tertio hoc venio ad vos; in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum[d]!

2. Praedixi, et praedico[e], ut praesens et nunc absens iis, qui ante peccaverunt, et caeteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam.

3. An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens[f] est in vobis?

4. Nam etsi crucifixus est ex infirmitate; sed vivit ex virtute Dei[g]. Nam et nos infirmi sumus in illo; sed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis.

5. Vosmet ipsos tentate, si estis in fide; ipsi vos probate! An non cognoscitis vosmet ipsos, quia Christus Jesus in vobis est? nisi forte reprobi estis.

6. Spero autem, quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi[h].

7. Oramus autem Deum, ut nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus, sed ut vos, quod bonum est, faciatis; nos autem, ut reprobi simus.

8. Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate.

9. Gaudemus enim, quoniam nos infirmi sumus, vos autem potentes estis. Hoc et oramus vestram consummationem.

10. Ideo haec absens scribo, ut non praesens durius agam[i] secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem, et non in destructionem.

11. De caetero, fratres! gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete; et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum.

12. Salutate invicem in osculo sancto[k]. Salutant vos omnes sancti.

13. Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

[d] Deut. 19, 15. [e] c. 12, 20. 21. [f] c. 12, 12. [g] Phil. 2, 7. sqq.

[h] v. 2. [i] v. 2. c. 1, 23. [k] Rom. 16, 16.

Cap. XII. 21. multos ex his. XIII. 2. ut praesens vobis et nunc; *ibid.* absens his qui. 3. qui in vos non. 4. sed vivet. 5. vos ipsos. 7. pareamus; *ibid.* reprobi sumus. 9. quando nos. 11. et Deus dilectionis et pacis. 12. sancti omnes. 13 spiritus sancti cum (*deest* sit).

EPISTOLA PAULI
AD
GALATAS.

CAP. I.

Paulus carpit Galatas, quod deduci se passi sint a veritate, quam a Christo habeat derivatam.

1. Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum[a] Patrem, qui suscitavit eum a mortuis;
2. et qui mecum sunt omnes fratres, Ecclesiis Galatiae[b].
3. Gratia vobis et pax a Deo Patre, et Domino nostro Jesu Christo,
4. qui dedit semet ipsum pro peccatis nostris; ut eriperet[c] nos de praesenti saeculo nequam, secundum voluntatem Dei et Patris nostri;
5. cui est gloria in saecula saeculorum, Amen.
6. Miror, quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium;
7. quod non est aliud[d], nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi.
8. Sed licet nos, aut Angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit!
9. Sicut praediximus, et nunc iterum dico. Si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema[e] sit!
10. Modo enim hominibus suadeo, an Deo? an quaero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.
11. Notum enim vobis facio, fratres! Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem[f];
12. neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.
13. Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaismo; quoniam supra modum persequebar[g] Ecclesiam Dei, et expugnabam illam,
14. et proficiebam in Judaismo supra multos coaetaneos meos in genere meo, abundantius aemulator existens paternarum mearum traditionum.
15. Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris

[a] v. 11. sqq. [b] Act. 16, 6. 18, 23. [c] c. 6, 14. Tit. 2, 14. [d] 2 Cor. 11, 4. [e] 1 Cor. 16, 22. [f] v. 17. 1 Cor. 11. 23. Act. 26, 16. [g] Act. 22, 4.

Cap. I. 4. ut eriperent. 6. transferemini; *ibid.* in aliut Evangelium. 7. non est aliut. 10. aut Deo, aut quero; *ibid.* si athuc. 15. de utero.

meae, et vocavit per gratiam suam,

16. ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus[h], continuo non acquievi carni et sanguini;

17. neque veni Ierosolymam ad antecessores meos Apostolos; sed abii in Arabiam; et iterum reversus sum Damascum.

18. Deinde post annos tres veni Ierosolymam[i] videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim.

19. Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.

20. Quae autem scribo vobis, ecce! coram Deo, quia non mentior.

21. Deinde veni in partes Syriae et Ciliciae[k].

22. Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judaeae, quae erant in Christo.

23. Tantum autem auditum habebant; quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat.

24. Et in me clarificabant Deum.

CAP. II.

Apostolus libere semper docuit evangelium; publice reprehendit Cepham.

1. Deinde post annos quatuordecim, iterum ascendi Ierosolymam cum Barnaba[l], assumpto et Tito.

2. Ascendi autem secundum revelationem; et contuli cum illis Evangelium, quod praedico in Gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse[m]; ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem.

3. Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset Gentilis, compulsus est circumcidi.

4. Sed propter subintroductos falsos fratres[n], qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent.

5. Quibus neque ad horam cessimus subjectione[o], ut veritas Evangelii permaneat apud vos.

6. Ab iis autem, qui videbantur esse aliquid (quales aliquando fuerint, nihil mea interest; Deus personam hominis non accipit), mihi enim, qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt;

7. sed e contra cum vidissent, quod creditum est mihi Evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis;

8. (qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter Gentes[p].)

9. Et cum cognovissent gratiam, quae data est mihi, Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnae esse, dextras dederunt mihi et Barnabae societatis; ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem.

10. Tantum ut pauperum me-

[h] Act. 9, 15. [i] Act. 9, 26. 27. [k] Act. 9, 30. [l] Act. 15, 2. 4.

[m] v. 9. [n] Act. 15, 24. [o] v. 14. [p] c. 1, 16. 1 Cor. 7, 40.

Cap. I. 17. Hierusolyma; *ibid.* in Arabia. 18. Hierusolyma. 20. coram Deo quoniam non. II. 2. his qui; *ibid. Desunt verba* aliquid esse. 4. subintroductos autem falsos fratres. 5. subiectioni. 6. Ab his autem; *ibid. desunt verba* esse aliquid. 7. sed e contrario; *ibid.* sicut Petro (*deest* et). 9. Jacobus Cephas (*deest* et).

mores essemus, quod etiam solicitus fui hoc ipsum facere[q].

11. Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti[r], quia reprehensibilis erat.

12. Prius enim, quam venirent quidam a Jacobo, cum Gentibus edebat[s]; cum autem venissent, subtrahebat et segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant.

13. Et simulationi ejus consenserunt caeteri Judaei, ita, ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.

14. Sed cum vidissem, quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephae coram omnibus: Si tu, cum Judaeus sis, gentiliter vivis, et non judaice, quomodo Gentes cogis judaizare?

15. Nos natura Judaei, et non ex Gentibus peccatores.

16. Scientes autem, quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi; et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis; propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro[t].

17. Quod si quaerentes justificari in Christo, inventi sumus et ipsi peccatores[u], numquid Christus peccati minister est? Absit[v]!

18. Si enim, quae destruxi, iterum haec aedifico; praevaricatorem me constituo.

19. Ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam[w]; Christo confixus sum cruci[x].

20. Vivo autem, jam non ego; vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne; in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semet ipsum pro me.

21. Non abjicio gratiam Dei. Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est.

CAP. III.

Fide in Christum venit spiritus sanctus. A maledictione legis Christus nos liberavit. Nam lex non poterat justos reddere mortales.

1. O insensati Galatae! quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos[y] Jesus Christus praescriptus est, in vobis crucifixus?

2. Hoc solum a vobis volo discere: Ex operibus legis Spiritum accepistis[z], an ex auditu fidei?

3. Sic stulti estis, ut cum spiritu coeperitis, nunc carne consummemini?

4. Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa.

5. Qui ergo tribuit vobis Spiritum, et operatur virtutes in vobis; ex operibus legis, an ex auditu fidei?

6. Sicut scriptum est: „Abraham credidit Deo, et reputatum „est illi ad justitiam“[a].

7. Cognoscite ergo, quia, qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahae.

8. Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat Gentes Deus,

[q] Act. 11, 29. 1 Cor. 16, 1. 2 Cor. 8, 1. sqq. [r] Act. 15, 39. [s] Act. 10, 28. 11, 3. [t] Rom. 3, 28. [u] Rom. 3, 9. [v] Rom. 6, 1. sqq.

[w] Rom. 6, 6. 7, 4. 6. [x] c. 5, 24. [y] c. 5, 7. [z] Act. 2, 38. [a] Gen. 15, 6. Rom. 4, 3.

Cap. II. 12. ab Jacobo. 13. in illa simulatione. 14. gentiliter et non judaice vivis. 18. haec iterum reaedifico. 20. vivet vero. 21. ergo Christus gratis. III. 1. veritati non obedire; *ibid. desunt verba* in vobis. 2. volo a vobis. 3. consummamini. 6. *Desunt verba* scriptum est; *ibid.* est ei ad justitiam.

praenunciavit Abrahae: „Quia „benedicentur in te omnes Gen- „tes“ [b].

9. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.

10. Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: „Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus quae scripta sunt in Libro legis, ut faciat „ea“ [c].

11. Quoniam autem in lege nemo justificatur [d] apud Deum, manifestum est: „quia Justus ex „fide vivit“ [e].

12. Lex autem non est ex fide, sed, „qui fecerit ea, vivet in il- „lis“ [f].

13. Christus nos redemit [g] de maledicto legis, factus pro nobis maledictum [h]; quia scriptum est: „Maledictus omnis, qui pendet „in ligno“ [i].

14. Ut in Gentibus benedictio Abrahae fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem [k].

15. Fratres! (secundum hominem dico) tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat.

16. Abrahae dictae sunt promissiones, et semini ejus [l]. Non dicit: „Et seminibus,“ quasi in multis; sed quasi in uno: „Et semini tuo,“ qui est Christus.

17. Hoc autem dico: testamentum confirmatum a Deo, quae post quadringentos et triginta annos [m] facta est lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem.

18. Nam si ex lege haereditas, jam non ex promissione. Abrahae autem per repromissionem [n] donavit Deus.

19. Quid igitur lex? Propter transgressiones [o] posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per angelos [p] in manu mediatoris.

20. Mediator autem unius non est; Deus autem unus est.

21. Lex ergo adversus promissa Dei? Absit! Si enim data esset lex, quae posset vivificare, vere ex lege esset justitia [q].

22. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.

23. Prius autem, quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quae revelanda erat.

24. Itaque lex paedagogus [r] noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur [s].

25. At ubi venit fides, jam non sumus sub paedagogo [t].

26. Omnes enim filii Dei [u] estis per fidem, quae est in Christo Jesu.

27. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis [v].

28. Non est Judaeus, neque Graecus; non est servus, neque liber; non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum [w] estis in Christo Jesu.

[b] Gen. 12, 3. [c] Deut. 27, 26. [d] c. 2, 16. [e] Hab. 2, 4. [f] Lev. 18, 5. [g] Rom. 10, 4. [h] 2 Cor. 5, 21. [i] Deut. 21, 23. [k] Eph. 1, 13. [l] Gen. 22, 18. [m] Act. 7, 6, [n] Rom. 4, 14. [o] 1 Tim. 1, 8—10. [p] Act. 7, 38. 53. Hebr. 2, 2. [q] Rom. 8, 2. sqq. [r] v. 19. [s] Rom. 7, 6. [t] Rom. 6, 14. [u] Rom. 8, 15. sqq. [v] Rom. 6, 3. 4. [w] 1 Cor. 12, 12. 13.

Cap. III. 8. praenuntiavit. 10. qui per manserit (*sic*). 13. nos redimit. (i) 17. quadrigentos; *ibid.* non irritam. 18. ex repromissione. 20. unus non est (*sic alia manu lit.* i *scripta est*). 26. *Desunt verba* quae est.

29. Si autem vos Christi; ergo semen Abrahae[x] estis, secundum promissionem haeredes.

CAP. IV.

Ante Christum Judaei, ad instar parvulorum, lege continebantur. Abrahae uxores duo foedera cum Deo indicant.

1. Dico autem: Quanto tempore haeres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium;
2. sed sub tutoribus et actoribus est usque ad praefinitum tempus a patre.
3. Ita et nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes[y].
4. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege[z];
5. ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus[a].
6. Qnoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater.
7. Itaque jam non est servus, sed filius. Quod si filius; et haeres per Deum.
8. Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis qui natura non sunt dii, serviebatis.
9. Nunc autem cum cognoveritis Deum; immo cogniti sitis a Deo; quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa[b], quibus denuo servire vultis?
10. Dies observatis, et menses, et tempora, et annos[c].
11. Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis.
12. Estote sicut ego, quia et ego sicut vos; fratres! obsecro vos, nihil me laesistis.
13. Scitis autem, quia per infirmitatem[d] carnis evangelizavi vobis jampridem, et tentationem vestram in carne mea.
14. Non sprevistis, neque respuistis; sed sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum.
15. Ubi est ergo beatitudo vestra? Testimonium enim perhibeo vobis; quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis, et dedissetis mihi.
16. Ergo inimicus vobis factus sum, verum[e] dicens vobis?
17. Aemulantur vos non bene; sed excludere vos volunt, ut illos aemulemini.
18. Bonum autem aemulamini in bono semper; et non tantum cum praesens sum apud vos.
19. Filioli mei! quos iterum parturio[f], donec formetur[g] Christus in vobis.
20. Vellem autem esse apud vos modo, et mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis.
21. Dicite mihi qui sub lege vultis esse, legem non legistis?
22. Scriptum est enim: „Quoniam Abraham duos filios habuit: „unum de ancilla, et unum de li„bera"[h].
23. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem.

[x] Rom. 9, 8. [y] c. 3, 23. sq. Col. 2, 17. [z] Matth. 3, 15. [a] Joh. 3, 16. 8, 35. Rom. 8, 15—17. [b] Col. 2, 20. [c] Col. 2, 16.

[d] 1 Cor. 2, 3. Act. 14, 5—7. [e] 2 Tim. 4, 3. [f] 1 Cor. 4, 15. [g] c. 2, 20. [h] Gen. 16, 1. sqq. c. 21, 1. sqq.

Cap. III. 29. Abrahae semen. IV. 2. sed sub tutoribus est et actoribus usque. 6. in corda nostra. 7. non es servus. 8. his qui natura. 12. estote sicut et ego.

t. Quae sunt per allegoriam ic t. Haec enim sunt duo testa- ie ta. Unum quidem in monte in t, in servitutem generans, e est Agar.

25. Sina enim mons est in Ara- a, qui conjunctus est ei, quae nunc est Ierusalem, et servit cum liis suis.

26. Illa autem, quae sursum est Ierusalem, libera est, quae est mater nostra.

27. Scriptum est enim: „Lae- „tare sterilis, quae non paris; „erumpe, et clama, quae non par- „turis; quia multi filii desertae, „magis, quam ejus, quae habet „virum"[i].

28. Nos autem, fratres! se- cundum Isaac promissionis filii sumus[k].

29. Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, rsequebatur[l] eum, qui secun- n spiritum; ita et nunc.

0. Sed quid dicit Scriptura? „E ice ancillam, et filium ejus; „n n enim haeres erit filius an- „ lae cum filio liberae"[m].

1. Itaque, fratres! non sumus cillae filii, sed liberae; qua li- rtate Christus nos liberavit.

CAP. V.

In Christi causa salutaris unice est fides. Hortatur ad mutuum amorem. Carnis opera excludunt a regno coelorum.

1. State, et nolite iterum jugo vitutis[n] contineri.

. Ecce! ego Paulus dico vobis; quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit[o].

3. Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae[p].

4. Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini; a gratia excidistis.

5. Nos enim spiritu ex fide spem justitiae exspectamus.

6. Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium; sed fides, quae per charitatem[q] operatur.

7. Currebatis bene; quis vos impedivit veritati[r] non obedire?

8. Persuasio haec non est ex eo, qui vocat vos[s].

9. Modicum fermentum totam massam corrumpit.

10. Ego confido in vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis; qui autem conturbat vos, portabit judicium[t], quicumque est ille.

11. Ego autem, fratres! si circumcisionem adhuc praedico, quid adhuc persecutionem[u] patior? Ergo evacuatum est scandalum[v] crucis.

12. Utinam et abscindantur, qui vos conturbant!

13. Vos enim in libertatem vocati estis, fratres; tantum ne libertatem in occasionem detis carnis[w], sed per charitatem Spiritus servite invicem.

14. Omnis enim lex in uno

[i] es. 54, 1. [k] Rom. 9, 7. [l] Gen. 21, 9. [m] n. 21, 10—12. [n] Act. 15, 10.

[o] c. 2, 21. [p] Rom. 2, 25. [q] c. 6, 15. 1 Cor. 7, 19. Jac. 2, 14—17. [r] c. 3, 1. [s] c. 1, 6. [t] c. 1, 7—9. [u] 2 Cor. 11, 24. [v] 1 Cor. 1, 23. [w] Rom. 6, 13. 1 Petr. 2, 16.

con

Cap. IV. 24. a monte Sina. 25. qui junctus est (*sic alia manu script. legitur*); *ibid.* cum filiis ejus. 29. tunc qui. 31. nos Christus liberavi V. 3. rursum. 8. persuasio non est. 10. confido in vobis (*sic alia nu vocab.* in *scriptum est*). 13. sed per caritatem servite (*deest* spirit

sermone impletur: „Diliges proximum tuum sicut te ipsum“[x].

15. Quod si invicem mordetis, et comeditis; videte, ne ab invicem consumamini!

16. Dico autem: Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis.

17. Caro enim concupiscit adversus spiritum; spiritus autem adversus carnem; haec enim sibi invicem adversantur, ut non quaecumque vultis, illa faciatis[y].

18. Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege[z].

19. Manifesta sunt autem opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria,

20. idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, sectae,

21. invidiae, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia; quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur[a].

22. Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas,

23. mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversus hujusmodi non est lex[b].

24. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt[c] cum vitiis et concupiscentiis.

[x] Matth. 22, 39. 40. Rom. 13, 8. 9. [y] Rom. 7, 14. 15. 23. [z] Rom. 6, 14. sqq. [a] 1 Cor. 6, 9. 10. Eph. 5, 5. [b] 1 Tim. 1, 9. [c] Rom. 6, 6.

25. Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus.

26. Non efficiamur inanis gloriae cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.

CAP. VI.

Decet adjuvare alios. Bene agendum est. A seductoribus caveas. Paulus Christo crucifixo gloriatur.

1. Fratres! et si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris.

2. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi[d].

3. Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit[e], ipse se seducit.

4. Opus autem suum probet unusquisque, et sic in semet ipso tantum gloriam habebit, et non in altero.

5. Unusquisque enim onus suum portabit[f].

6. Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat, in omnibus bonis[g].

7. Nolite errare; Deus non irridetur.

8. Quae enim seminaverit homo, haec et metet; quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam[h].

[d] c. 5, 14. [e] 1 Cor. 13, 2. [f] Rom. 14 10. 12. [g] Rom. 15, 27. 1 Cor. 9, 11. [h] Rom. 8, 6.

Cap. V. 14. diligis. 16. desiderium carnis. 17. enim invicem (*deest* sibi). 18. ducemini. 19. autem sunt; *ibid. deest* impudicitia. 21. comesationis. 22. 23. pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modestia, continentia. Adversus. 24. carnem ^suam^ crucifixerunt (*sic alia manu suprascriptum exstat*). 25. si vivimus spiritu, spiritu etiam ambulemus. VI. 1 spiritales estis instruite hujusmodi. 3. cum sit nihil. 4. et non altero. verbum ei.

9. Bonum autem facientes, non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes.

10. Ergo dum tempus[i] habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.

11. Videte, qualibus litteris scripsi vobis mea manu[k].

12. Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur.

13. Neque enim, qui circumciduntur, legem custodiunt[l]; sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur.

14. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo[m].

15. In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed nova creatura[n].

16. Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israël Dei.

17. De caetero nemo mihi molestus sit; ego enim stigmata Domini Jesu in corpore[o] meo porto.

18. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, fratres. Amen.

[i] Joh. 9, 4. [k] Rom. 16, 22. 1 Cor. 16, 21. [l] Rom. 2, 23.

[m] c. 2, 19. 20. [n] c. 5, 6. 2 Cor. 5, 17. [o] 2 Cor. 4, 10. 11, 23—25.

EPISTOLA PAULI
AD
EPHESIOS.

CAP. I.

Deo benedicit apostolus ob collatas in praedestinatos gratias; optat Ephesiis sapientiam perfectam. Christus caput ecclesiae datum est.

1. Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, omnibus sanctis, qui sunt Ephesi, et fidelibus in Christo Jesu.

2. Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.

3. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo.

4. Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem[a]; ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate.

[a] c. 3, 11.

Cap. VI. 9. tempore suo enim (suo) metemus (*sic alia manu suprascriptum est*). 13. Ne (que) enim (*sic alia manus suprascripsit*). 17. stigmata Jesu (*deest* Domini).

Cap. I. 1. Christi Jesu; *ibid.* sanctis omnibus. 3. spiritali.

5. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae,

6. in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo;

7. in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae ejus,

8. quae superabundavit in nobis in omni sapientia et prudentia;

9. ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae, secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo,

10. in dispensatione plenitudinis temporum[b], instaurare omnia in Christo[c], quae in coelis, et quae in terra sunt, in ipso.

11. In quo etiam et nos sorte vocati sumus, praedestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae;

12. ut simus in laudem gloriae ejus nos, qui ante speravimus[d] in Christo;

13. in quo et vos[e], cum audissetis verbum veritatis (Evangelium salutis vestrae), in quo et credentes signati[f] estis Spiritu promissionis sancto,

14. qui est pignus[g] haereditatis nostrae, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriae ipsius.

[b] c. 2, 14. Gal. 4, 4. [c] Col. 1, 18—20. [d] Luc. 2, 38. [e] c. 2, 17. [f] 2 Cor. 1, 22. [g] 2 Cor. 5, 5.

15. Propterea et ego audiens fidem vestram, quae est in Domino Jesu, et dilectionem in omnes sanctos,

16. non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis;

17. ut Deus Domini nostri Jesu Christi, pater gloriae, det vobis spiritum sapientiae et revelationis, in agnitione ejus;

18. illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis, quae sit spes vocationis ejus, et quae divitiae gloriae haereditatis ejus in sanctis,

19. et quae sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus secundum operationem potentiae virtutis ejus,

20. quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in coelestibus,

21. supra omnem principatum[h], et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro.

22. Et omnia subjecit sub pedibus ejus[i]; et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam,

23. quae est corpus ipsius, et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.

CAP. II.

Exteri, ante alieni a promissionibus divinis, per Christum facti sunt sanctorum sodales.

[h] Matth. 28, 18. Phil. 2, 9—11. [i] 1 Cor. 15, 24. sqq.

Cap. I. 6. in dilecto filio suo (*sed* filio suo *additum est in margine alia manu et quidem literis* f. s.). 9. bonum placitum. 10. in dispensationem. 11. etiam sorte (*deest* et nos); *ibid.* omnia operatur. 12. ejus qui ante. 13. spiritu promissionis spiritu qui. 14. gloriae ejus. 18. quae divitiae (*deest* et). 19. qui credidimus. 21. sed et in futuro. 22. omnia sub subsubiecit sub (*sic*); *ibid.* supra omnia ecclesiae. 23. plenitudo (*deest* et).

1. Et vos, cum essetis mortui[k] delictis et peccatis vestris,

2. in quibus aliquando ambulastis secundum saeculum mundi hujus, secundum principem[l] potestatis aëris hujus, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiae;

3. in quibus et nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostrae facientes voluntatem carnis et cogitationum; et eramus natura[m] filii irae, sicut et caeteri.

4. Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos,

5. et cum essemus mortui peccatis, convivificavit[n] nos in Christo (cujus gratia estis salvati),

6. et conresuscitavit, et consedere fecit in coelestibus in Christo Jesu[o];

7. ut ostenderet in saeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae in bonitate super nos in Christo Jesu.

8. Gratia enim estis salvati per fidem[p]; et hoc non ex vobis, Dei enim donum est;

9. non ex operibus, ut ne quis glorietur.

10. Ipsius enim sumus factura, creati[q] in Christo Jesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus.

11. Propter quod memores estote, quod aliquando vos Gentes in carne, qui dicimini praeputium ab ea, quae dicitur circumcisio in carne, manu facta;

[k] Col. 2, 13. [l] c. 6, 11. 12. [m] 1 Cor. 2, 14. [n] Rom. 8, 2. [o] Rom. 6, 6. sqq. Hebr. 12, 22. sqq. Phil. 3, 20. [p] Rom. 3, 24. 28. [q] 2 Cor. 5, 17. 21.

12. quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israël[r], et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo[s], in hoc mundo.

13. Nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi.

14. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriae solvens, inimicitias in carne sua;

15. legem mandatorum decretis evacuans; ut duos condat in semet ipso in unum novum hominem, faciens pacem,

16. et reconciliet[t] ambos in uno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semet ipso.

17. Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis, qui prope.

18. Quoniam per ipsum habemus accessum[u] ambo in uno Spiritu ad Patrem.

19. Ergo jam non estis hospites et advenae; sed estis cives sanctorum et domestici[v] Dei;

20. superaedificati super fundamentum Apostolorum[w] et Prophetarum, ipso summo angulari lapide[x] Christo Jesu;

21. in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino[y],

22. in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu.

[r] Rom. 9, 4. 25. 26. [s] 1 Thess. 4, 5. [t] 1 Tim. 2, 5. 6. Col. 1, 20. sqq. [u] Rom. 5, 2. [v] c. 3, 6. [w] Matth. 16, 18. [x] 1 Cor. 3, 11. 1 Petr. 2, 4—6. [y] 1 Cor. 3, 16. 17.

Cap. II. 1. delictis peccatis (*deest* et). 3. et cogitationem. 4. in misericordiam. 5. nos Christo gratia estis (*deest* in *et* cujus). 12. a conversione; *ibid.* in mundo (*deest* hoc). 14. macheriae. 15. in semet ipsum. 16. inimicitiam. 17. his qui prope.

CAP. III.

Exteri participes facti sunt promissionum Dei.

1. Hujus rei gratia, ego Paulus vinctus[z] Christi Jesu, pro vobis Gentibus,

2. si tamen audistis dispensationem gratiae Dei, quae data est mihi in vobis;

3. quoniam secundum revelationem notum mihi factum est sacramentum, sicut supra[a] scripsi in brevi;

4. prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi;

5. quod aliis generationibus non est agnitum[b] filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus et Prophetis, in Spiritu,

6. gentes esse cohaeredes[c], et concorporales, et comparticipes promissionis ejus in Christo Jesu per Evangelium;

7. cujus factus sum minister, secundum donum gratiae Dei[d], quae data est mihi secundum operationem virtutis ejus.

8. Mihi omnium sanctorum minimo[e] data est gratia haec, in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi,

9. et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo, qui omnia creavit;

10. ut innotescat principatibus et potestatibus in coelestibus[f] per Ecclesiam multiformis sapientia Dei,

11. secundum praefinitionem saeculorum[g], quam fecit in Christo Jesu Domino nostro;

12. in quo habemus fiduciam, et accessum[h] in confidentia per fidem ejus.

13. Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quae est gloria vestra[i].

14. Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi,

15. ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur,

16. ut det vobis secundum divitias gloriae suae, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem[k].

17. Christum habitare per fidem in cordibus vestris[l]; in charitate radicati et fundati,

18. ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum;

19. scire etiam supereminentem scientiae charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.

20. Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter[m], quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem, quae operatur in nobis;

21. ipsi gloria in Ecclesia, et in Christo Jesu, in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen.

CAP. IV.

Hortatur ad unitatem et concordiam. De diversis donis spiritualibus, et

[z] Act. 21, 33. 28, 16. [a] c. 1, 9. 10. [b] 1 Cor. 2, 7. sqq. [c] c. 2, 11—22. [d] 1 Cor. 15, 10. [e] 1 Cor. 15, 9. [f] 1 Petr. 1, 12.

[g] c. 1, 4. 5. 11. [h] c. 2, 18. [i] Phil. 1. 12. 14. [k] Act. 20, 32. [l] Joh. 14, 23. [m] Rom. 11, 33. sqq.

Cap. III. 6. esse gentes; *ibid.* promissionis in Christo (*deest* ejus). 10. principibus. 16. in interiore homine. 17. habitare Christum. 20. intellegimus; *ibid.* virtutem quam (*sic*). 21. saeculis saeculorum (*sic*).

in ecclesia ordinibus. De exuenda veteri natura ethica et nova induenda.

1. Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis,
2. cum omni humilitate, et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate,
3. soliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.
4. Unum corpus, et unus Spiritus[n], sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae.
5. Unus Dominus, una fides, unum baptisma.
6. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis.
7. Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi[o].
8. Propter quod dicit: „Ascen-„dens in altum captivam duxit „captivitatem; dedit dona homi-„nibus“[p].
9. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae?
10. Qui descendit, ipse est, et qui ascendit super omnes coelos, ut impleret omnia[q].
11. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas[r], alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores,
12. ad consummationem[s] sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis[t] Christi;
13. donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei, in virum perfectum[u], in mensuram aetatis plenitudinis Christi[v].
14. Ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.
15. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus,
16. ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam subministrationis[w], secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitate.
17. Hoc igitur dico et testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut et Gentes ambulant in vanitate sensus sui,
18. tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei, per ignorantiam, quae est in illis, propter coecitatem cordis ipsorum,
19. qui desperantes semet ipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunditiae omnis, in avaritiam.
20. Vos autem non ita didicistis Christum,
21. si tamen illum audistis, et in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu,
22. deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem[x], qui corrumpitur secundum desideria erroris;

[n] 1 Cor. 12, 12—27. [o] 1 Cor. 12, 11. [p] Ps. 67, 19. [q] c. 1, 19. sqq. [r] Act. 11, 27. 1 Cor. 12, 28. [s] 1 Cor. 14, 3—5. [t] c. 2, 20—22.

[u] 1 Cor. 14, 20. [v] Phil. 2, 5. [w] 1 Cor. 12, 12. 15—27. [x] Rom. 12, 2. Col. 3, 9.

Cap. IV. 6. qui super omnes (*deest* est). 9. nisi quod et. 11. quosdam quidem prophetas, quosdam quidem Apostolos, alios evangelistas (*haec antiqua lectio, sed alia manus itidem antiqua reposuit in margine, ut est in textu recepto*). 17. sicut gentes (*deest* et). 19. in avaritia.

23. renovamini[y] autem spiritu mentis vestrae,

24. et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.

25. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo; quoniam sumus invicem membra.

26. Irascimini, et nolite peccare[z]; sol non occidat super iracundiam vestram.

27. Nolite locum dare diabolo[a]!

28. Qui furabatur, jam non furetur; magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti[b].

29. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat[c]; sed si quis bonus ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus.

30. Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati[d] estis in diem redemptionis.

31. Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia[e].

32. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.

CAP. V.

Hortatur ad exemplum Christi recte imitandum. Tempus redimere decet. Uxores subditae sint maritis, mariti autem ament uxores.

1. Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi,

[y] Joh. 3, 3. 5. 6. [z] Ps. 4, 5. [a] Rom. 14, 16. 1 Petr. 2, 12. [b] Luc. 19, 8. 9. [c] Matth. 12, 36. [d] c. 1, 13. 14. [e] Col. 3, 8.

2. et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos[f], et tradidit semet ipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.

3. Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos;

4. aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quae ad rem non pertinet; sed magis gratiarum actio.

5. Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus[g], non habet haereditatem in regno Christi et Dei.

6. Nemo vos seducat inanibus verbis; propter haec enim venit ira Dei in filios diffidentiae[h].

7. Nolite ergo effici participes eorum.

8. Eratis enim aliquando tenebrae; nunc autem lux in Domino[i]; ut filii lucis ambulate!

9. Fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate;

10. probantes, quid sit beneplacitum Deo;

11. et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.

12. Quae enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere.

13. Omnia autem, quae arguuntur, a lumine manifestantur; omne enim, quod manifestatur, lumen est.

14. Propter quod dicit: „Sur-

[f] Joh. 13, 34. 15, 13. [g] Col. 3, 5. [h] Rom. 1, 18. [i] 1 Petr. 2, 9.

Cap. IV. 27. diabulo. 28. manibus quod (*deest* suis). 29. ad aedificationem oportunitatis ut. 30. in die. V. 2. in dilectionem (*sic sed m habet obolum*); *ibid.* se ipsum. 4. pertinent. 5. intellegentes. 10. quod sit beneplacitum. 11. autem et redarguite.

„ge, qui dormis, et exsurge a „mortuis, et illuminabit te Chri„stus“[k].

15. Videte itaque, fratres! quomodo caute ambuletis; non quasi insipientes,

16. sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

17. Propterea nolite fieri imprudentes; sed intelligentes, quae sit voluntas Dei.

18. Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu sancto,

19. loquentes vobismet ipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino[l].

20. Gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri.

21. Subjecti invicem in timore Christi[m]!

22. Mulieres viris suis subditae sint[n], sicut Domino!

23. Quoniam vir caput est mulieris; sicut Christus caput est Ecclesiae; ipse, salvator corporis ejus.

24. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo; ita et mulieres viris suis in omnibus.

25. Viri! diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea,

26. ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae[o] in verbo vitae,

27. ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata[p].

28. Ita et viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit.

29. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam.

30. Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus.

31. „Propter hoc relinquet „homo patrem et matrem suam, „et adhaerebit uxori suae; et „erunt duo in carne una“[q].

32. Sacramentum hoc magnum est! ego autem dico in Christo et in Ecclesia.

33. Verumtamen et vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut se ipsum diligat; uxor autem timeat virum suum.

CAP. VI.

Liberi parentibus, servi heris obsequium praestent. Parentes erga liberos, heri erga servos sui sint officii memores.

1. Filii! obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim justum est.

2. „Honora patrem tuum et „matrem tuam“[r], quod est mandatum primum in promissione;

[k] Jes. 60, 1. [l] Col. 3, 16. [m] Joh. 13, 14. sqq. [n] Gen. 3, 16. 1 Cor. 14, 34. Col. 3, 18. 1 Petr. 3, 1.

[o] Tit. 3, 5. Marc. 16, 16. [p] Col. 1, 22. Tit. 2, 14. [q] Gen. 2, 24. [r] Exod. 20, 12.

Cap. V. 14. et illuminavit tibi. 17. intellegentes; *ibid.* voluntas Domini. 18. est omnis luxuria. 19. spiritu loquentis vosmet ipsis (*sic*); *ibid.* spiritalibus. 22. subjectae sint. 23. et 24. corporis. Sed ut ecclesia. 26. in verbo ut (*deest* vitae). 27. ejusmodi. 31. adherebit. 33. suam uxorem; *ibid.* autem ut timeat; *ibid.* virum (*deest* suum). VI. 2. et matrem quod est (*deest* tuam).

3. „ut bene sit tibi, et sis longaevus super terram“.

4. Et vos, patres! nolite[s] ad iracundiam provocare filios vestros; sed educate[t] illos in disciplina, et correptione Domini.

5. Servi! obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo;

6. non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes; sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo,

7. cum bona voluntate servientes, sicut Domino, et non hominibus;

8. scientes, quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber.

9. Et vos, domini! eadem facite illis, remittentes minas; scientes, quia et illorum et vester Dominus est in coelis; et personarum acceptio non est apud eum.

10. De caetero, fratres! confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus.

11. Induite vos armaturam[u] Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.

12. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem; sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in coelestibus[v].

[s] Col. 3, 21. Prov. 19, 19. [t] Deut. 6, 7. [u] Rom. 13, 12. [v] c. 2, 2.

13. Propterea accipite armaturam[w] Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare.

14. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiae,

15. et calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis.

16. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere[x];

17. et galeam salutis assumite, et gladium spiritus (quod est verbum Dei[y]).

18. Per omnem orationem et obsecrationem orantes[z] omni tempore in spiritu; et in ipso vigilantes in omni instantia et obsecratione pro omnibus sanctis,

19. et pro me[a], ut detur[b] mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Evangelii,

20. pro quo legatione fungor in catena[c], ita ut in ipso audeam, prout oportet me loqui.

21. Ut autem et vos sciatis, quae circa me sunt, quid agam; omnia vobis nota faciet Tychicus[d], charissimus frater et fidelis minister in Domino.

22. Quem misi ad vos in hoc ipsum; ut cognoscatis, quae circa nos sunt, et consoletur corda vestra.

[w] 2 Cor. 10, 4. [x] 1 Joh. 5, 4. [y] Ebr. 4, 12. [z] Matth. 26, 41. Luc. 18, 1. s|. [a] Rom. 15, 30. Col. 4, 3. 2 Thess. 3, 1. [b] Act. 4, 29. 31. 12, 5. [c] Act. 28, 20. [d] Act. 20, 4. Col. 4, 7.

Cap. VI. 3. longevus. 4. et patres (*deest* vos). 6. hominibus placeatis. 8. hoc percipiet. 9. et domini (*deest* vos). 11. arma Dei. 12. quia non est; *ibid.* spiritalia. 13. arma Dei; *ibid.* et omnibus (*deest* in). 14. lorica. 15. calciati. 21. et sciatis vos (*haec antiqua lectio est, sed alia manus reposuit, ut in textu recepto.*); *ibid.* nota vobis.

23. Pax fratribus, et charitas cum fide, a Deo Patre, et Domino Jesu Christo.

24. Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in incorruptione. Amen.

EPISTOLA PAULI
AD
PHILIPPENSES.

CAP. I.

Nisi Philippensium bonis providendum apostolo esset, solvi corpore vellet Paulus et junctus Christo vivere.

1. Paulus et Timotheus, servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis[a], cum episcopis et diaconibus.

2. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.

3. Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri,

4. semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens,

5. super communicatione vestra in Evangelio Christi a prima die usque nunc.

6. Confidens hoc ipsum, quia, qui coepit in vobis opus bonum, perficiet[b] usque in diem[c] Christi Jesu.

7. Sicut est mihi justum hoc sentire pro omnibus vobis; eo quod habeam vos in corde, et in vinculis meis[d], et in defensione et confirmatione Evangelii, socios gaudii mei omnes vos esse.

8. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi.

9. Et hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, et in omni sensu;

10. ut probetis potiora, ut sitis sinceri et sine offensa in diem Christi,

11. repleti fructu justitiae per Jesum Christum, in gloriam et laudem Dei.

12. Scire autem vos volo, fratres! quia quae circa me sunt[e], magis ad profectum venerunt Evangelii;

13. ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni praetorio, et in caeteris omnibus;

14. et plures e fratribus in Domino confidentes vinculis meis,

[a] Act. 16, 12. sq. [b] Act. 20, 32. 1 Petr. 1, 5. [c] 2 Tim. 4, 7. 8.

[d] Act. 28, 16. 30. [e] Act. 28, 16. 30.

Cap. VI. 24. dominum Jesum (*sic alia manus scripsit*: nostrum); *ibid.* in incorruptionem.

Cap. I. 5. in evangelio (*deest* Christi). 7. in corde vos. 8. Christi Jesu. 10. sinceres (*sic*). 11. per Christum Jesum.

abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui.

15. Quidam quidem et propter invidiam et contentionem[f]; quidam autem et propter bonam voluntatem Christum praedicant;

16. quidam ex charitate, scientes, quoniam in defensionem Evangelii positus sum.

17. Quidam autem ex contentione Christum annunciant non sincere[g], existimantes pressuram se suscitare vinculis meis[h].

18. Quid enim? dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuncietur; et in hoc gaudeo, sed et gaudebo.

19. Scio enim, quia hoc mihi proveniet ad salutem, per vestram orationem[i], et subministrationem Spiritus Jesu Christi.

20. Secundum exspectationem et spem meam, quia in nullo confundar; sed in omni fiducia, sicut semper, et nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam[k], sive per mortem[l].

21. Mihi enim vivere Christus est[m], et mori lucrum[n].

22. Quod si vivere in carne hic mihi fructus operis est, et quid eligam, ignoro.

23. Coarctor autem e duobus; desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius;

24. permanere autem in carne necessarium propter vos.

25. Et hoc confidens scio, quia manebo et permanebo omnibus vobis, ad profectum vestrum, et gaudium fidei;

26. ut gratulatio vestra abundet in Christo Jesu in me, per meum adventum iterum ad vos.

27. Tantum digne Evangelio Christi conversamini; ut sive cum venero et videro vos, sive absens, audiam de vobis, quia statis in uno spiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii,

28. et in nullo terreamini ab adversariis; quae illis est causa perditionis, vobis autem salutis, et hoc a Deo;

29. quia vobis donatum est pro Christo, non solum, ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini;

30. idem certamen habentes, quale et vidistis in me[o], et nunc audistis de me.

CAP. II.

Hortatur ad mutuum amorem. Christi nomine flectitur omne genu. Non sine timore salus curanda est. Timothei et Epaphroditi laudes adjunguntur.

1. Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis;

2. implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, id ipsum sentientes,

3. nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes[p],

4. non quae sua sunt singuli considerantes, sed ea, quae aliorum.

[f] Act. 28, 29. Rom. 16, 17. [g] Gal. 6, 12. [h] Act. 21, 27. sqq. 22, 22. [i] 2 Cor. 1, 10. 11. [k] 2 Cor. 4, 10. 11. [l] Act. 7, 55. 58. 59. [m] Gal. 2, 20. [n] cf. v. 23.

[o] Act. 16, 19. sqq. [p] Matth. 20, 26. 27.

Cap. I. 17. praessuram. 21. mihi vivere enim. 23. et cum Christo esse. 24. necessarium est propter vos. 27. evangelium (*sic pro* evangelio). 28. quae est illis. II. 1. si quid viscera et miserationes. 2. unianimes. 4 sed et ea.

5. Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu[q],

6. qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo;

7. sed semet ipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo[r].

8. Humiliavit semet ipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

9. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen,

10. ut in nomine Jesu omne genu flectatur[s] coelestium, terrestrium, et infernorum;

11. et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

12. Itaque charissimi mei! (sicut semper obedistis) non ut in praesentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu et tremore vestram salutem operamini.

13. Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate[t].

14. Omnia autem facite sine murmurationibus et haesitationibus;

15. ut sitis sine querela, et simplices filii Dei, sine reprehensione, in medio nationis pravae et perversae, inter quos lucetis[u] sicut luminaria in mundo,

16. verbum vitae continentes ad gloriam meam[v] in die Christi, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi.

17. Sed et si immolor supra sacrificium, et obsequium fidei vestrae, gaudeo, et congratulor omnibus vobis[w].

18. Id ipsum autem et vos gaudete, et congratulamini mihi.

19. Spero autem in Domino Jesu, Timotheum[x] me cito mittere ad vos; ut et ego bono animo sim, cognitis quae circa vos sunt.

20. Neminem enim habeo tam unanimem, qui sincera affectione pro vobis solicitus sit.

21. Omnes enim quae sua sunt quaerunt, non quae sunt Jesu Christi.

22. Experimentum autem ejus cognoscite, quia sicut patri filius, mecum servivit in Evangelio[y].

23. Hunc igitur spero me mittere ad vos, mox ut videro, quae circa me sunt.

24. Confido autem in Domino, quoniam et ipse veniam ad vos cito.

25. Necessarium autem existimavi Epaphroditum[z] fratrem et cooperatorem, et commilitonem meum, vestrum autem apostolum, et ministrum necessitatis meae, mittere ad vos;

26. quoniam quidem omnes vos desiderabat, et moestus erat, propterea quod audieratis illum infirmatum.

27. Nam et infirmatus est usque ad mortem; sed Deus misertus est ejus; non solum autem ejus,

[q] Joh. 13, 34. [r] Matth. 20, 28. Joh. 13, 14 — 17. Rom. 8, 3. [s] Rom. 14, 11. [t] 2 Cor. 3, 5. [u] Matth. 5, 16. [v] 1 Thess. 2, 19.

[w] cf. c. 1, 14. [x] Act. 16, 1. [y] Act. 16, 3. 12. [z] cf. c. 4, 18.

Cap. II. 9. illum exaltavit. 14. hesitationibus. 15. querella. 19. cito me. 21. sua quaerunt (*deest* sunt). 22. quoniam. 23. me mittere mox (*deest* ad vos). 25. vestrum apostolum (*deest* autem). 26. maestus.

verum etiam et mei, ne tristitiam super tristitiam haberem.

28. Festinantius ergo misi illum, ut viso eo iterum gaudeatis, et ego sine tristitia sim.

29. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, et ejusmodi cum honore habetote;

30. quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam, ut impleret id, quod ex vobis deerat erga meum obsequium[a].

CAP. III.

Nemo rebus legis gloriari potest. Philippenses hortatur apostolus, ne inimicos crucis Christi imitentur.

1. De caetero, fratres mei, gaudete in Domino. Eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.

2. Videte canes[b], videte malos operarios, videte concisionem[c].

3. Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo, et gloriamur in Christo Jesu, et non in carne fiduciam habentes[d].

4. Quamquam ego habeam confidentiam et in carne; si quis alius videtur confidere in carne, ego magis[e].

5. Circumcisus octavo die, ex genere Israël, de tribu Benjamin, Hebraeus ex Hebraeis, secundum legem Pharisaeus[f],

6. secundum aemulationem persequens[g] Ecclesiam Dei, secundum justitiam, quae in lege est, conversatus sine querela.

7. Sed quae mihi fuerunt lucra, haec arbitratus sum propter Christum detrimenta.

8. Verumtamen existimo omnia detrimentum[h] esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci et arbitror, ut stercora, ut Christum lucrifaciam,

9. et inveniar in illo, non habens meam justitiam, quae ex lege est, sed illam, quae ex fide[i] est Christi Jesu; quae ex Deo est justitia in fide,

10. ad cognoscendum illum, et virtutem resurrectionis ejus, et societatem[k] passionum illius configuratus morti ejus;

11. si quo modo occurram ad resurrectionem[l], quae est ex mortuis.

12. Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim; sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo Jesu[m].

13. Fratres! ego me non arbitror comprehendisse; unum autem, quae quidem retro sunt[n] obliviscens, ad ea vero, quae sunt priora, extendens me ipsum,

14. ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Jesu.

15. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus; et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelabit.

[a] 1 Cor. 16, 17. [b] Jes. 56, 10. 11. [c] Gal. 5, 12. Rom. 16, 17. [d] Rom. 2, 28. sq. Gal. 6, 15. 16. Deut. 30, 6. [e] 2 Cor. 11, 18. [f] Act. 22, 3. sqq. [g] Act. 8, 3. 26, 3—11.

[h] Matth. 16, 26. 27. [i] Rom. 3, 21—24 [k] Rom. 8, 17. 2 Cor. 4, 10. [l] 2 Tim. 2 11. [m] Act. 26, 13. sqq. [n] cf. v. 4—6.

Cap. II. 29. habitote. III. 3. Deo servimus. 5. Hebreus ex Hebraeis. 6. quaerella. 8. verumtamen et. 9. ex fide est Christi (*deest* Jesu). 10. ad agnoscendum illum. 12. si conprehendam in quo et conprehensus. 13. conpraehendisse; *ibid.* extendens me (*deest* ipsum). 14. brabium. 15. revelavit.

16. Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus, et in eadem permaneamus regula.

17. Imitatores mei estote, fratres! et observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.

18. Multi enim ambulant, quos saepe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi[o],

19. quorum finis interitus, quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.

20. Nostra autem conversatio in coelis est[p], unde etiam salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum,

21. qui reformabit[q] corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae, secundum operationem, qua etiam possit subjicere sibi omnia[r].

CAP. IV.

Ad perseverantiam Philippenses excitantur; optat eis Dei pacem, eosque laudat, quod sibi necessaria ad victum miserint.

1. Itaque, fratres mei charissimi, et desideratissimi! gaudium meum, et còrona[s] mea! sic state in Domino, charissimi!

2. Evodiam rogo, et Syntychen deprecor idipsum sapere in Domino.

3. Etiam rogo et te, germane compar[t]! adjuva illas, quae mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, et caeteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitae[u].

4. Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete!

5. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus; Dominus prope est.

6. Nihil soliciti sitis; sed in omni oratione, et obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestrae innotescant apud Deum[v].

7. Et pax Dei, quae exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Jesu.

8. De caetero, fratres, quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate!

9. Quae et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, haec agite; et Deus pacis erit vobiscum!

10. Gavisus sum autem in Domino vehementer; quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire, sicut et sentiebatis; occupati autem eratis.

11. Non quasi propter penuriam dico; ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse[w].

12. Scio et humiliari, scio et abundare (ubique et in omnibus institutus sum); et satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati.

13. Omnia possum in eo, qui me confortat[x].

[o] 2 Petr. 2, 1. 1 Cor. 1, 23. [p] 2 Cor. 4, 18. Ebr. 13, 14. 12, 22—24. [q] 1 Cor. 15, 43. sqq. [r] Joh. 5, 21. [s] cf. 2, 16. 1 Thess. 2, 19. [t] Act. 16, 19.

[u] Apoc. 3, 5. [v] Luc. 18, 1. sqq. Eph. 6, 18. [w] 1 Tim. 6, 6. [x] Eph. 6, 10.

• Cap. III. 17. formam nos. 19. Deus venter (*deest* est); *ibid.* confusione eorum. 20. Dominum Jesum Christum (*deest* nostrum). 21. reformavit; *ibid.* qua possit etiam subicere. IV. 1. desiderantissimi. 2. Evhodiam; *ibid.* depraecor.

14. Verumtamen bene fecistis, communicantes tribulationi meae.

15. Scitis autem et vos, Philippenses! quod in principio Evangelii, quando profectus sum a Macedonia[y], nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli[z];

16. quia et Thessalonicam[a] semel et bis in usum mihi misistis.

17. Non quia quaero datum, sed requiro fructum abundantem[b] in ratione vestra.

18. Habeo autem omnia, et abundo; repletus sum, acceptis ab Epaphrodito[c] quae misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.

19. Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum, secundum divitias suas, in gloria in Christo Jesu.

20. Deo autem et Patri nostro gloria in saecula saeculorum. Amen.

21. Salutate omnem sanctum in Christo Jesu.

22. Salutant vos, qui mecum sunt[d], fratres. Salutant vos omnes sancti, maxime autem, qui de Caesaris domo sunt.

23. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro[e] Amen.

y Act. 16, 10. z 2 Cor. 11, 8. a Act. 17, 1. b 2 Cor. 9, 6. 12. c c. 2, 25.

d c. 1, 13. e Rom. 16, 24.

EPISTOLA PAULI
AD
COLOSSENSES.

CAP. I.

Omnia creata sunt per imaginem Dei Christum, qui caput est ecclesiae. Mysterium ante occultum nunc manifestum est.

1. Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus frater,

2. eis, qui sunt Colossis, sanctis et fidelibus fratribus in Christo Jesu.

3. Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Gratias agimus Deo, et Patri Domini nostri Jesu Christi, semper pro vobis orantes[a];

4. audientes fidem vestram in Christo Jesu, et dilectionem, quam habetis in sanctos omnes,

5. propter spem, quae reposita est vobis in coelis, quam audistis[b] in verbo veritatis Evangelii,

a Eph. 1, 15. 16. Phil. 1, 3. sqq. b v. 7.

Cap. IV. 17. in rationem vestram (*scriptum est in codice* o rationes *sed litera* o *est cum obelisco*).
Cap. I. 1. Christi Jesu. 3. *Desunt verba* et Domino Jesu Christo.

6. quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat, et crescit, sicut in vobis, ex ea die, qua audistis, et cognovistis gratiam Dei in veritate;

7. sicut didicistis ab Epaphra charissimo conservo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Jesu,

8. qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu.

9. Ideo et nos, ex qua die audivimus, non cessamus pro vobis orantes, et postulantes[c], ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia, et intellectu spirituali,

10. ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei,

11. in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus, in omni patientia et longanimitate cum gaudio,

12. gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine[d],

13. qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suae,

14. in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum;

15. qui est imago[e] Dei invisibilis, primogenitus[f] omnis creaturae[g].

16. Quoniam in ipso condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates; omnia per ipsum et in ipso creata sunt[h];

17. et ipse est ante omnes[i], et omnia in ipso constant.

18. Et ipse est caput corporis Ecclesiae[k], qui est principium, primogenitus[l] ex mortuis; ut sit in omnibus ipse primatum tenens.

19. Quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem[m] inhabitare,

20. et per eum reconciliare omnia[n] in ipsum, pacificans[o] per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt.

21. Et vos cum essetis aliquando alienati[p], et inimici sensu in operibus malis:

22. nunc autem reconciliavit[q] in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles coram ipso;

23. si tamen permanetis[r] in fide fundati, et stabiles, et immobiles a spe Evangelii, quod audistis, quod praedicatum est in universa creatura, quae sub coelo est, cujus factus sum ego Paulus minister.

24. Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea, quae desunt passionum Chri-

[c] Eph. 1, 17. 18. [d] Act. 26, 18. [e] Joh. 14, 9. [f] Ps. 88, 28. [g] Apoc. 1, 17.

[h] Joh. 1, 3. Act. 17, 28. [i] Joh. 1, 1. 17, 5. [k] Eph. 1, 22. 23. [l] 1 Cor. 15, 20. [m] cf. 2, 9. [n] 1 Joh. 2, 2. [o] Eph. 2, 14. 15. [p] Eph. 2, 12. 13. [q] Eph. 2, 16. [r] cf. c. 2, 4. sqq.

Cap. I. 6. ex ea qua audistis die. 9. in agnitione. 10. crescentes scientia (*deest* in). 12. agentes Patri qui dignos vos fecit (*deest* Deo). 14. *Desunt verba* per sanguinem ejus (*quod haec absunt a Codice nostro, nullam habet vim dogmaticam, si quidem non uno hoc loco ea doctrina superstructa est in N. T.*). 15. primogenitus omni creatura (*eleganter*). 16. quia. 19. habitare. 20. reconciliari (*aliquantum dubiae tamen est scripturae illud* i *finale*).

sti in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia,

25. cujus factus sum ego minister secundum dispensationem Dei[s], quae data est mihi in vos, ut impleam verbum Dei;

26. mysterium[t], quod absconditum fuit a saeculis et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus,

27. quibus voluit Deus notas facere divitias gloriae sacramenti hujus in Gentibus, quod est Christus in vobis spes gloriae,

28. quem nos annunciamus, corripientes omnem hominem, et docentes omnem hominem, in omni sapientia; ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu.

29. In quo et laboro, certando secundum operationem ejus, quam operatur in me in virtute[u].

CAP. II.

Cavete a corruptoribus et impostoribus. Per Christum ab infesto eis chirographo liberati sunt fideles.

1. Volo enim vos scire, qualem solicitudinem habeam pro vobis, et pro iis, qui sunt Laodiciae[v], et quicumque non viderunt faciem meam in carne;

2. ut consolentur corda ipsorum, instructi in charitate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris et Christi Jesu;

3. in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi.

4. Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat[w] in sublimitate sermonum.

5. Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum; gaudens, et videns ordinem vestrum, et firmamentum ejus, quae in Christo est, fidei vestrae.

6. Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dominum, in ipso ambulate,

7. radicati et superaedificati in ipso, et confirmati fide, sicut et didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione.

8. Videte! ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi[x], et non secundum Christum.

9. Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter[y];

10. et estis in illo repleti[z], qui est caput[a] omnis principatus et potestatis;

11. in quo et circumcisi[b] estis circumcisione non manu facta in exspoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi[c],

12. consepulti ei in baptismo[d], in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis.

13. Et vos, cum mortui essetis in delictis[e], et praeputio carnis vestrae, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta;

14. delens, quod adversus nos erat chirographum decreti, quod

[s] Act. 26, 17. 18. [t] Eph. 3, 5. 9. [u] 1 Cor. 15, 10. [v] cf. c. 4, 15. 16.

[w] cf. v. 23. [x] Gal. 4, 3. 9. 10. [y] Col. 1, 15. Joh. 14, 9. [z] Joh. 1, 16. [a] Eph. 1, 21. [b] Rom. 2, 28. 29. [c] Eph. 5. 26. 27. [d] Rom. 6, 3. sqq. [e] Eph. 2, 1.

Cap. II. 1. et pro his qui sunt Laudiciae. 2. in agnitione; *ibid.* Patris Christi Jesu (*deest* et). 4. in suptilitate (*sic*). 6. Christum Jesum Dominum. 7. abundantes in gratiarum actione (*deest* in illo). 8. philosofiam. 11. expoliatione; *ibid.* in circumcisione Christi (*deest* sed). 14 adversum nos; *ibid.* chirografum decretis.

erat contrarium nobis[f], et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci[g];

15. et exspolians[h] principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semet ipso[i].

16. Nemo ergo vos judicet[k] in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniae, aut sabbatorum;

17. quae sunt umbra[l] futurorum; corpus autem Christi.

18. Nemo vos seducat, volens in humilitate, et religione angelorum, quae non vidit, ambulans, frustra inflatus sensu carnis suae;

19. et non tenens caput, ex quo totum corpus, per nexus et conjunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei.

20. Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi[m], quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis?

21. Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis!

22. Quae sunt omnia in interitum ipso usu, secundum praecepta et doctrinas hominum[n];

23. quae sunt rationem quidem habentia sapientiae in superstitione et humilitate, et non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis[o].

f Gal. 3, 10. g Eph. 2, 15. Gal. 3, 13. h Ebr. 2, 14. i 1 Cor. 6, 3. k Rom. 14, 3. Gal. 4, 10. l Ebr. 10, 1. m Gal. 4, 9. 10. n Matth. 15, 9. o Rom. 13, 14.

CAP. III.

De induenda nova indole ethica, de adoptandis virtutibus, de laudando Deo, ad quem omnia sunt referenda.

1. Igitur, si consurrexistis cum Christo, quae sursum[p] sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens;

2. quae sursum sunt, sapite, non quae super terram[q].

3. Mortui[r] enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo[s].

4. Cum Christus apparuerit, vita[t] vestra; tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.

5. Mortificate[u] ergo membra[v] vestra, quae sunt super terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quae est simulacrorum servitus[w];

6. propter quae venit ira Dei super filios incredulitatis;

7. in quibus et vos ambulastis aliquando, cum vixeritis in illis.

8. Nunc autem deponite et vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro.

9. Nolite mentiri invicem, exspoliantes vos veterem[x] hominem cum actibus suis,

10. et induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum.

p Matth. 6, 33. q Matth. 6, 19—21. r Rom. 6, 2. s 1 Joh. 3, 2. t Joh. 6, 58. Rom. 8, 17. u Rom. 8, 13. Matth. 18, 8. 9. v Rom. 7, 23. w Eph. 5, 5. x Eph. 4, 22. sq.

Cap. II. 15. expolians (*deest* et). 16. nominiae (*sic*). 18. in humilitatem; *ibid.* religiones (*sed litera* s *asterisco supra damnata est*). 20. si mortui (*deest* ergo); *ibid.* elementis mundi (*deest* hujus). 21. ne tetigeris neque gustaveris neque contrectaveris. 22. in interitu; *ibid.* secum praecepta (*sic*, *errore*). III. 1. consurrexistis Christo (*deest* cum). 3. abscondita est. 9. cum actibus ejus. 10. creavit eum.

11. Ubi non est Gentilis, et Judaeus, circumcisio et praeputium, Barbarus et Scytha, servus et liber; sed omnia et in omnibus Christus[y].

12. Induite vos ergo sicut electi[z] Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam,

13. supportantes invicem, et donantes vobismet ipsis, si quis adversus aliquem habet querelam; sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos.

14. Super omnia autem haec, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.

15. Et pax[a] Christi exultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore; et grati estote.

16. Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia, docentes, et commonentes vosmet ipsos, psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.

17. Omne, quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum[b].

18. Mulieres! subditae[c] estote viris, sicut oportet, in Domino.

19. Viri! diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas[d].

20. Filii! obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum est in Domino.

21. Patres! nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant[e].

22. Servi! obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum[f].

23. Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus;

24. scientes, quod a Domino accipietis retributionem haereditatis. Domino Christo servite.

25. Qui enim injuriam facit, recipiet id quod inique gessit; et non est personarum acceptio apud Deum.

CAP. IV.

Pro se vult eos precari, et caute versari cum infidelibus; tum et hae et ad Laodicenses literae in utraque legantur ecclesia.

1. Domini, quod justum est et aequum, servis praestate; scientes, quod et vos Dominum habetis in coelo[g].

2. Orationi instate[h], vigilantes in ea in gratiarum actione.

3. Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vinctus sum[i]),

4. ut manifestem illud, ita, ut oportet me loqui.

5. In sapientia ambulate ad

[y] Gal. 3, 27. 28. 1 Cor. 7, 22. [z] Joh. 15, 19. [a] Rom. 5, 1. 5. [b] Eph. 5, 20. [c] Genes. 3, 16. Eph. 5, 22. [d] Eph. 5, 28. 1 Petr. 3, 7.

[e] Eph. 6, 4. Prov. 19, 19. [f] Eph. 6, 5—7. [g] Eph. 6, 9. [h] Luc. 18, 1. 7. [i] Act 28, 16.

Cap. III. 13. subportantes; *ibid.* vobis ipsis; *ibid.* quaerellam. 14. *Deest* habete. 15. in quo. 16. canticis (*deest* et). 17. Domini Jesu (*deest* Christi). 22. timentes Dominum 24. scientis (*sic*). 25. personarum acceptio (*deest* apud Deum). IV. 1. quoniam. 3. ad loquendum mysteria. 5. in sapientiam (*sic, sed litera* m *habet / cum puncto superne*).

eos, qui foris sunt[k]; tempus redimentes[l].

6. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus[m], ut sciatis, quomodo oporteat vos unicuique respondere.

7. Quae circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus[n] charissimus frater, et fidelis minister, et conservus in Domino;

8. quem misi ad vos ad hoc ipsum, ut cognoscat, quae circa vos sunt, et consoletur corda vestra,

9. cum Onesimo[o] charissimo et fideli fratre, qui ex vobis est. Omnia, quae hic aguntur, nota facient vobis.

10. Salutat vos Aristarchus[p] concaptivus meus, et Marcus[q] consobrinus Barnabae[r], de quo accepistis mandata; si venerit ad vos, excipite illum.

11. Et Jesus, qui dicitur Justus; qui sunt ex circumcisione; hi soli sunt adjutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio.

12. Salutat vos Epaphras[s], qui ex vobis est, servus Christi Jesu, semper solicitus pro vobis in orationibus; ut stetis perfecti, et pleni in omni voluntate Dei.

13. Testimonium enim illi perhibeo, quod habet multum laborem pro vobis, et pro iis, qui sunt Laodiciae[t], et qui Hierapoli.

14. Salutat vos Lucas medicus charissimus et Demas.

15. Salutate fratres, qui sunt Laodiciae, et Nympham, et quae in domo ejus est, Ecclesiam.

16. Et cum lecta fuerit apud vos epistola haec, facite, ut et in Laodicensium Ecclesia legatur; et eam, quae Laodicensium est, vos legatis.

17. Et dicite Archippo[u]: Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas.

18. Salutatio, mea manu Pauli[v]. Memores estote vinculorum meorum. Gratia vobiscum. Amen.

[k] Matth. 7, 6. Eph. 5, 15. [l] Eph. 5, 16. [m] Eph. 4, 29. Luc. 4, 22. [n] Act. 20, 4. [o] Philem. 10. [p] Act. 19, 29. Philem. 24. Act. 27, 2. [q] Act. 12, 12. 15, 37. [r] Act. 15, 35—39.

[s] cf. c. 1, 7. [t] cf. c. 2, 1. [u] Philem. 2. [v] 1 Cor. 16, 21.

EPISTOLA PAULI
AD
THESSALONICENSES I.

CAP. I.

Publice vita sua indicant Thessalonicenses, quales sint inter eos fructus praedicationis Paulinae.

1. Paulus, et Silvanus[a], et Timotheus[b], Ecclesiae Thessa-

[a] Act. 15, 40. [b] Act. 18, 5.

Cap. IV. 7. Thycicus. 9. qui est ex vobis; *ibid.* nota faciet. 11. adjutores (*deest* mei). 13. pro his qui sunt Laodiciae. 15. ecclesia (*sic*). 16. epistula (*deest* haec); *ibid.* Laudicensium.

lonicensium in Deo Patre, et Domino Jesu Christo.

2. Gratia vobis, et pax. Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione,

3. memores operis fidei vestrae, et laboris, et charitatis, et sustinentiae spei Domini nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem nostrum.

4. Scientes, fratres dilecti a Deo, electionem vestram[c];

5. quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu sancto, et in plenitudine multa[d], sicut scitis, quales fuerimus in vobis propter vos[e].

6. Et vos imitatores nostri facti estis, et Domini, excipientes verbum in tribulatione multa[f], cum gaudio Spiritus sancti;

7. ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia, et in Achaia.

8. A vobis enim diffamatus est sermo Domini, non solum in Macedonia et in Achaia, sed et in omni loco fides vestra, quae est ad Deum, profecta est, ita, ut non sit nobis necesse quidquam loqui.

9. Ipsi enim de nobis annunciant, qualem introitum habuerimus ad vos, et quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo et vero,

10. et exspectare Filium ejus de coelis (quem suscitavit ex mortuis) Jesum, qui eripuit nos ab ira ventura[g].

[c] Act. 17, 4. [d] 1 Cor. 2, 4. [e] Act. 17, 5. sqq [f] cf. c. 2, 14. [g] Rom. 5, 9. Phil. 3, 20. 1 Cor. 1, 7.

CAP. II.

Deo gratias agit, quod verbum Dei exempla sua servaverint, multa quamvis passi a popularibus; asserit, quantum diligat eos.

1. Nam ipsi scitis, fratres! introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit;

2. sed ante passi, et contumeliis affecti (sicut scitis) in Philippis[h], fiduciam habuimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangelium Dei in multa solicitudine[i].

3. Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo;

4. sed sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis Evangelium; ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra.

5. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis; neque in occasione avaritiae; Deus testis est!

6. Nec quaerentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis.

7. Cum possemus vobis oneri esse ut Christi Apostoli[k]; sed facti sumus parvuli in medio vestrum, tamquam si nutrix foveat filios suos.

8. Ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras; quoniam charissimi nobis facti estis.

9. Memores enim estis, fratres! laboris nostri, et fatigationis; nocte ac die operantes[l], ne

[h] Act. 16, 19. sqq. [i] Act. 17, 5. sqq. [k] Luc. 10, 7. 1 Cor. 9, 14. [l] Act. 18, 3. 20, 33. 34.

Cap. I. 5. sed in virtute (*deest* et); *ibid.* fuerimus vobis (*deest* in). II. 7. cum possimus oneri esse (*deest* vobis). 9. laborem nostrum et fatigationem.

quem vestrum gravaremus, praedicavimus in vobis Evangelium Dei.

10. Vos testes estis, et Deus, quam sancte, et juste, et sine querela, vobis, qui credidistis, fuimus;

11. sicut scitis, qualiter unumquemque vestrum (sicut pater filios suos)

12. deprecantes vos et consolantes, testificati sumus, ut ambularetis digne Deo, qui vocavit vos in suum regnum et gloriam.

13. Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione; quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis[m], qui credidistis.

14. Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei, quae sunt in Judaea in Christo Jesu; quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris[n], sicut et ipsi a Judaeis;

15. qui et Dominum occiderunt Jesum, et Prophetas, et nos persecuti sunt, et Deo non placent, et omnibus hominibus adversantur,

16. prohibentes nos Gentibus loqui, ut salvae fiant, ut impleant peccata sua semper; pervenit enim ira Dei super illos usque in finem.

17. Nos autem, fratres! desolati a vobis ad tempus horae, aspectu, non corde, abundantius festinavimus faciem vestram videre cum multo desiderio.

18. Quoniam voluimus venire ad vos; ego quidem Paulus, et semel et iterum, sed impedivit nos satanas.

19. Quae est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriae? nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum estis in adventu ejus?

20. Vos enim estis gloria nostra et gaudium.

CAP. III.

Ne propter mala a fide desciscerent, miserat ad eos Timotheum, quo reduce gratias Deo agit, quod fide firmi steterint.

1. Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis, solis.

2. Et misimus Timotheum[o] fratrem nostrum, et ministrum Dei in Evangelio Christi ad confirmandos vos, et exhortandos pro fide vestra;

3. ut nemo moveatur in tribulationibus istis; ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus.

4. Nam et cum apud vos essemus, praedicebamus vobis passuros nos tribulationes, sicut et factum est, et scitis.

5. Propterea et ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram; ne forte tentaverit vos is, qui tentat, et inanis fiat labor noster.

6. Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis, et annunciante nobis fidem et charitatem vestram, et quia memoriam nostri habetis bonam semper, desiderantes nos videre, sicut et nos quoque vos.

[m] cf. 1, 5. Eph. 3, 20. [n] Act. 17, 5.

[o] Act. 17, 15. sqq. Rom. 16, 21.

Cap. II. 9. praedicavimus vobis (*deest* in). 10. vos testis (*sic*). 11. tamquam pater. 13. accepistis non ut (*deest* illud). 19. Jesum (*deest* Christum); *ibid.* estis in adventum ejus.

7. Ideo consolati sumus, fratres! in vobis in omni necessitate et tribulatione nostra per fidem vestram;

8. quoniam nunc vivimus, si vos statis in Domino.

9. Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum,

10. nocte ac die abundantius orantes, ut videamus faciem vestram, et compleamus ea, quae desunt fidei vestrae?

11. Ipse autem Deus, et Pater noster, et Dominus noster Jesus Christus dirigat viam nostram ad vos.

12. Vos autem Dominus multiplicet, et abundare faciat charitatem vestram in invicem, et in omnes, quemadmodum et nos in vobis;

13. ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate, ante Deum et Patrem nostrum, in adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis ejus[p]. Amen.

CAP. IV.

Hortatur, ut tradita colant praecepta, exponit modum resurrectionis nostrae. Non cedendum est plus aequo moerori ob mortuorum jacturam.

1. De caetero ergo, fratres! rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu[q], ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare, et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis.

2. Scitis enim, quae praecepta dederim vobis per Dominum Jesum.

3. Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra; ut abstineatis vos a fornicatione,

4. ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore;

5. non in passione desiderii, sicut et Gentes, quae ignorant Deum;

6. et ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum; quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut praediximus vobis, et testificati sumus.

7. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.

8. Itaque, qui haec spernit, non hominem spernit, sed Deum[r]; qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis.

9. De charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis; ipsi enim vos a Deo didicistis[s], ut diligatis invicem.

10. Etenim illud facitis in omnes fratres in universa Macedonia. Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis,

11. et operam detis, ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris, sicut praecepimus[t] vobis; et ut honeste ambuletis ad eos,

p c. 5, 23. 1 Cor. 1, 7. sq. Phil. 1, 10.
q 2 Thess. 3, 12.

r c. 2, 13. Luc. 10, 16. s Joh. 6, 45.
t Act. 20, 33. sqq.

Cap. III. 7. per vestram fidem. 11. et Dominus Jesus (*deest* noster). 12. caritatem (*deest* vestram). 13. in adventum Domini nostri. IV. 1. vos oporteat; *ibid.* sic ut et ambulatis; *ibid.* ut et abundetis (*deest* magis). 2. dederimus. 4. suum vas. 7. in inmunditia, sed in sanctificatione. 8. in vobis. 9. necesse habuimus. 10. facitis illud. 11. et vestrum (*deest* ut).

qui foris sunt; et nullius aliquid desideretis.

12. Nolumus autem vos ignorare, fratres! de dormientibus[u], ut non contristemini, sicut et caeteri, qui spem non habent.

13. Si enim credimus, quod Jesus mortuus est, et resurrexit; ita et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo[v].

14. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non praeveniemus[w] eos, qui dormierunt.

15. Quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de coelo[x]; et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.

16. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra, et sic semper cum Domino erimus[y].

17. Itaque consolamini invicem in verbis istis.

CAP. V.

Est incertus et repentinus dies judicii. De officiis erga praesides, fratres, Deum.

1. De temporibus autem, et momentis[z], fratres, non indigetis, ut scribamus vobis.

2. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet[a].

3. Cum enim dixerint: pax, et securitas! tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient[b].

4. Vos autem, fratres! non estis in tenebris, ut vos dies illa, tamquam fur[c], comprehendat.

5. Omnes enim vos filii lucis estis, et filii diei[d]; non sumus noctis, neque tenebrarum.

6. Igitur non dormiamus sicut et caeteri, sed vigilemus, et sobrii simus.

7. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt; et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt.

8. Nos autem, qui diei sumus, sobrii simus, induti[e] loricam fidei et charitatis, et galeam spem salutis;

9. quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum,

10. qui mortuus est pro nobis; ut sive vigilemus, sive dormiamus[f], simul cum illo vivamus[g].

11. Propter quod consolamini invicem; et aedificate alterutrum, sicut et facitis.

12. Rogamus autem vos, fratres! ut noveritis eos, qui laborant inter vos, et praesunt vobis in Domino, et monent vos;

13. ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum[h]; pacem habete cum eis.

14. Rogamus autem vos, fratres! corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.

[u] 1 Cor. 15, 18. [v] 1 Cor. 6, 14. 15, 23. Rom. 8, 11. [w] 1 Cor. 15, 51. [x] Matth. 25, 31. 1 Cor. 15, 51. sqq. Apoc. 10, 7. [y] c. 5, 10. Joh. 12, 26. 14, 3. Rom. 8, 17. [z] Matth. 24, 36. Act. 1, 7. [a] Matth. 24, 43. 44. 50.

[b] Matth. 24, 37. 38. [c] Matth. 24, 43. [d] Rom. 13, 12. [e] Eph. 6, 14. sqq. [f] cf. c. 4, 14. Rom. 14, 7. sq. [g] cf. c. 4, 16. et l. c. [h] 1 Tim. 5, 17.

Cap. IV. 11. desideritis (*sic*). 16. obviam Domino. 17. verbis istis (*deest* in). V. 4. dies ille; *ibid.* compraehendat. 5. omnes vos (*deest* enim). 6. sicut ceteri (*deest* et). 14 pusillianimes; *ibid.* suscipite infirmus (*sic*).

15. Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat; sed semper quod bonum est sectamini in invicem, et in omnes.

16. Semper gaudete[i]!

17. Sine intermissione orate!

18. In omnibus gratias agite! haec est enim voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vobis.

19. Spiritum nolite extinguere!

20. Prophetias nolite spernere!

21. Omnia autem probate[k]; quod bonum est, tenete!

22. Ab omni specie mala abstinete vos!

[i] Phil. 4, 4. [k] 1 Joh. 4, 1.

23. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia; ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.

24. Fidelis est, qui vocavit vos; qui etiam faciet[l].

25. Fratres, orate pro nobis!

26. Salutate fratres omnes in osculo sancto[m]!

27. Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola haec omnibus sanctis fratribus.

28. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum[n]. Amen.

[l] Phil. 1, 6. [m] Rom. 16, 16. [n] Rom. 16, 24.

EPISTOLA PAULI
AD
THESSALONICENSES II.

CAP. I.

Paulus laudat Thessalonicenses ob fidem et constantiam; precatur, ut digni habeantur vocatione Dei.

1. Paulus et Silvanus, et Timotheus[a], Ecclesiae Thessalonicensium in Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.

2. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.

3. Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, fratres! ita ut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, et abundat charitas uniuscujusque vestrum in invicem;

4. ita ut et nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra, et fide et in omnibus persecutionibus vestris, et tribulationibus, quas sustinetis[b],

5. in exemplum justi judicii

[a] Act. 18, 5. 1 Thess. 1, 1—8. 2 Cor. 1, 19.

[b] Matth. 5, 12. Act. 17, 5. sqq. Rom. 8, 17—23.

Cap. V. 18. haec enim voluntas Dei est. 27. epistula.

Cap. I. 3. Deo semper. 4. ut nos ipsi (*deest* et).

Dei[c], ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini.

6. Si tamen justum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant;

7. et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de coelo cum angelis virtutis ejus[d],

8. in flamma ignis[e] dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi,

9. qui poenas dabunt[f] in interitu aeternas a facie Domini, et a gloria virtutis ejus;

10. cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt, quia creditum est testimonium nostrum super vos in die illo.

11. In quo etiam oramus semper pro vobis; ut dignetur vos vocatione sua Deus noster, et impleat omnem voluntatem bonitatis, et opus fidei in virtute,

12. ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in illo secundum gratiam Dei nostri, et Domini Jesu Christi.

CAP. II.

Quaedam de die Domini, et de filio, qui obscure vocatur, interitus.

1. Rogamus autem vos, fratres! per adventum Domini nostri Jesu Christi, et nostrae congregationis in ipsum[g];

2. ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam tamquam per nos missam[h], quasi instet dies Domini.

3. Ne quis vos seducat ullo modo; quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis[i],

4. qui adversatur, et extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur; ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus.

5. Non retinetis quod cum adhuc essem apud vos, haec dicebam vobis[k]?

6. Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore.

7. Nam mysterium jam operatur iniquitatis[l], tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.

8. Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui[m], et destruet illustratione adventus sui eum.

9. Cujus est adventus secundum operationem satanae, in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus,

10. et in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt; eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Ideo mittet[n] illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio;

11. ut judicentur omnes, qui

[c] Phil. 1, 28. 29. [d] Matth. 25, 31. 1 Thess. 4, 16. [e] 2 Petr. 3, 7. [f] Matth. 25, 41. 7, 23. [g] 1 Thess. 4, 12. sqq.

[h] cf. c. 3, 17. [i] Matth. 24, 4. sqq. 1 Joh. 2, 18. [k] Act. 17, 1. [l] 1 Joh. 2, 18. [m] Jes. 11, 4. [n] Rom. 1, 21. 22. 24. 25.

Cap. I. 5. habeamini regno Dei (*deest* in). 6. his qui vos tribulant. 8. his qui non. 9. in interitum. 11. Deus (*deest* noster). II. 2. per epistolam tanquam per nos (*deest* missam). 5. cum essemus (*deest* adhuc); *ibid.* dicebamus. 9. virtute, signis (*deest* et). 10. in omni seductione (*deest* et); *ibid.* his qui.

non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati [o].

12. Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti a Deo, quod elegerit [p] vos Deus primitias in salutem, in sanctificatione spiritus, et in fide veritatis;

13. in qua et vocavit vos per Evangelium nostrum, in acquisitionem gloriae Domini nostri Jesu Christi.

14. Itaque, fratres, state! et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram [q].

15. Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, et Deus et Pater noster, qui dilexit nos, et dedit consolationem aeternam et spem bonam in gratia,

16. exhortetur corda vestra, et confirmet in omni opere et sermone bono.

CAP. III.

Flagitat, ut pro se preces fundant, hortatur, ut fugiant Christianos nolentes servare, quae instituerat.

1. De caetero, fratres! orate pro nobis [r]; ut sermo Dei currat et clarificetur, sicut et apud vos;

2. et ut liberemur ab importunis et malis hominibus [s]; non enim omnium est fides.

3. Fidelis autem Deus est, qui confirmabit vos, et custodiet a malo [t].

4. Confidimus autem de vobis in Domino, quoniam quae praecipimus, et facitis, et facietis.

5. Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, et patientia Christi.

6. Denunciamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis [u] vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis.

7. Ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos; quoniam non inquieti fuimus inter vos;

8. neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore, et in fatigatione, nocte et die operantes [v], ne quem vestrum gravaremus.

9. Non quasi non habuerimus potestatem [w]; sed ut nosmet ipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.

10. Nam et cum essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis; quoniam si quis non vult operari, nec manducet [x].

11. Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes.

12. Iis autem, qui ejusmodi sunt, denunciamus et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes suum panem manducent [y].

13. Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes [z].

14. Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo [a], ut confundatur;

[o] Joh. 3, 19. 20. [p] Eph. 1, 4. [q] 1 Thess. 4, 1. 2 Tim. 3, 14. [r] Col. 4, 3. [s] cf. c. 2, 2. 3. 1, 4. [t] 1 Thess. 5, 24. Phil. 1, 6.

[u] v. 14. Rom. 16, 17. [v] 1 Thess. 2, 9 10. [w] 1 Cor. 9, 14. Luc. 10, 7. [x] Gen. 3, 19. [y] 1 Thess. 4, 11. [z] Gal. 6, 9 [a] v. 6.

Cap. II. 12. et fide veritatis (*deest* in). 13. in quisitionem. 14 traditionis (*sic*). III. 3. Dominus; *ibid.* confirmavit. 7. ipsi scitis (*deest* enim). 8. in labore et fatigatione (*deest* in, *altero loco*). 12. his autem qui. 14. notate et non.

15. et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem[b].

16. Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco. Dominus sit cum omnibus vobis.

[b] 1 Thess. 5, 14.

17. Salutatio, mea manu Pauli; quod est signum in omni epistola[c]. Ita scribo.

18. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

[c] 1 Cor. 16, 21.

EPISTOLA PAULI AD TIMOTHEUM I.

CAP. I.

In memoriam revocat, quae Timotheum docuerat. Lex injustorum causa data est. Monet Timotheum, ut strenuo similis fiat militi.

1. Paulus Apostolus Jesu Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri, et Christi Jesu spei nostrae.

2. Timotheo[a] dilecto filio[b] in fide gratia, misericordia, et pax a Deo Patre, et Christo Jesu Domino nostro.

3. Sicut rogavi te, ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam[c], ut denunciares quibusdam, ne aliter docerent,

4. neque intenderent fabulis[d], et genealogiis[e] interminatis; quae quaestiones praestant magis, quam aedificationem Dei, quae est in fide.

5. Finis autem praecepti est charitas[f] de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta;

6. a quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium,

7. volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant.

8. Scimus autem, quia bona est lex[g], si quis ea legitime utatur;

9. sciens hoc, quia lex justo non est posita[h], sed injustis, et non subditis, impiis, et peccatoribus, sceleratis, et contaminatis, parricidis, et matricidis, homicidis,

10. fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, et perjuris, et si quid aliud sanae doctrinae adversatur,

11. quae est secundum Evan-

[a] Act. 16, 1. [b] Phil. 2, 22. [c] Act. 20, 1. [d] 2 Tim. 4, 4. Tit. 1, 14. [e] Tit. 3, 9. 2 Cor. 11, 22.

[f] Joh. 13, 34. 35. [g] Rom. 7, 12. 14. [h] Gal. 3, 19.

Cap. III. 16. Dominus cum (*deest* sit).
Cap. I. 3. remaneris (*sic*); *ibid.* et denuntiares (*deest altero loco* ut). 9. patricidis. 10. perjuris (*deest* et).

gelium gloriae beati Dei, quod creditum est mihi.

12. Gratias ago ei, qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio.

13. Qui prius[i] blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus; sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.

14. Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide, et dilectione, quae est in Christo Jesu.

15. Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere[k], quorum primus ego sum.

16. Sed ideo misericordiam consecutus sum: ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi, in vitam aeternam.

17. Regi autem saeculorum immortali, invisibili, soli Deo honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

18. Hoc praeceptum commendo tibi, fili Timothee! secundum praecedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam,

19. habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt;

20. ex quibus est Hymenaeus, et Alexander, quos tradidi satanae[l], ut discant non blasphemare.

[i] Act. 22, 4. 26, 9—11. [k] Matth. 9, 13. 18, 11. Joh. 3, 17. Rom. 3, 25. [l] 1 Cor. 5, 5.

CAP. II.

Pro regibus et magistratibus precandum est. Unus Deus, unus mediator est. Quomodo preces fundere debeant vir et mulier.

1. Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus,

2. pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt[m], ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate.

3. Hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo,

4. qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire[n].

5. Unus enim Deus, unus et mediator[o] Dei et hominum, homo Christus Jesus,

6. qui dedit redemptionem semet ipsum pro omnibus[p], testimonium temporibus suis,

7. in quo positus sum ego praedicator et Apostolus (veritatem dico, non mentior) doctor Gentium in fide et veritate[q].

8. Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione.

9. Similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa;

10. sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.

[m] Rom. 13, 1—3. [n] 2 Petr. 3, 9. [o] Gal. 3, 20. Ebr. 4, 15. [p] Matth. 20, 28. 1 Joh. 2, 1. 2. [q] Act. 9, 15. 26, 16—18.

Cap. I. 13. *Deest* fui; *ibid.* misericordiam (*deest* Dei). 14. superabundavit haec gratia (*deest* autem). 15. quia. 16. ad deformationem (*sic*). 20. Hymenius. II. 1. primo omnium. 3. Salvatore nostro (*voc. Deo in Codice a recenti manu adjectum est*). 10. promittentes pudicitiam (*sic*).

11. Mulier in silentio discat cum omni subjectione[r];

12. docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum[s]; sed esse in silentio.

13. Adam enim primus formatus est; deinde Heva[t].

14. Et Adam non est seductus; mulier autem seducta in praevaricatione fuit[u].

15. Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, et dilectione, et sanctificatione cum sobrietate.

CAP. III.

Quales esse oporteat episcopos, diaconos, diaconissas. Ecclesia veritatis columna est.

1. Fidelis sermo: Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat[v].

2. Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem[w], doctorem,

3. non vinolentum, non percussorem, sed modestum; non litigiosum, non cupidum, sed

4. suae domui bene praepositum; filios habentem subditos cum omni castitate.

5. Si quis autem domui suae praeesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit?

6. Non neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli;

7. oportet autem illum et testimonium habere bonum[x] ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli.

8. Diaconos[y] similiter, pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes;

9. habentes mysterium fidei in conscientia pura.

10. Et hi autem probentur primum; et sic ministrent, nullum crimen habentes.

11. Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus.

12. Diaconi sint unius uxoris viri; qui filiis suis bene praesint, et suis domibus.

13. Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent[z], et multam fiduciam in fide, quae est in Christo Jesu.

14. Haec tibi scribo, sperans me ad te venire cito.

15. Si autem tardavero, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae et Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.

16. Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne[a], justificatum[b] est in spiritu, apparuit angelis[c], praedicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.

CAP. IV.

Praedicit, tradituros esse nonnullos doctrinam falsam; monet discipulum, ut exerceat se pietate, exemplo aliis.

[r] 1 Cor. 14, 34. 35. [s] Eph. 5, 22. [t] Gen. 2, 7. 22. [u] Gen. 3, 6. [v] Act. 20, 17. 28. 1 Cor. 7, 25. [w] 3 Joh. 5, 8.

[x] 1 Petr. 2, 12. [y] Act. 6, 3. [z] 1 Petr. 5, 4. [a] Joh. 1, 14. [b] Joh. 16, 10. Rom. 1, 4. [c] Act. 10, 41.

Cap. II. 13. prior figuratus; *ibid.* Eva. III. 2. inrepraehensibilem (*ita semper ex antiquiore scriptura*); *ibid. deest* pudicum. 3. *Deest* sed. 6. in superbia elatus. 7. ab his qui; *ibid.* et laqueum (*deest* in). 12. Diaconos (*sic per errorem aut per accusativum absolutum*). 13. gradum sibi bonum adquirent. 14. sperans venire ad te (*deest* me).

1. Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent[d] quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis daemoniorum,

2. in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam[e],

3. prohibentium nubere[f], abstinere a cibis[g], quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et iis, qui cognoverunt veritatem.

4. Quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum[h], quod cum gratiarum actione percipitur.

5. Sanctificatur[i] enim per verbum Dei, et orationem[k].

6. Haec proponens fratribus, bonus eris minister Christi Jesu, enutritus verbis fidei, et bonae doctrinae, quam assecutus es[l].

7. Ineptas autem et aniles fabulas[m] devita; exerce autem te ipsum ad pietatem.

8. Nam corporalis[n] exercitatio, ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae.

9. Fidelis sermo, et omni acceptione dignus.

10. In hoc enim laboramus, et maledicimur, quia speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium[o].

[d] Act. 20, 29. 30. 2 Tim. 3, 1—4. [e] Tit. 3, 11. [f] Col. 2, 8. 18. [g] Rom. 14, 2. Col. 2, 16. 23. [h] Matth. 15, 11. [i] Act. 10, 11. sqq. [k] Rom. 14, 6. [l] 2 Tim. 3, 14. [m] cf. c. 1, 4. [n] cf. v. 3. [o] Luc. 18, 7. 8.

11. Praecipe haec, et doce!

12. Nemo adolescentiam tuam contemnat[p]; sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.

13. Dum venio, attende lectioni[q], exhortationi, et doctrinae.

14. Noli negligere gratiam[r], quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum[s] presbyterii.

15. Haec meditare, in his esto; ut profectus tuus manifestus sit omnibus.

16. Attende tibi, et doctrinae, insta in illis! Hoc enim faciens et te ipsum salvum facies, et eos, qui te audiunt.

CAP. V.

Quomodo seniores et juniores gubernandi sint. De viduis. De presbyteris bonis praemio duplici afficiendis. Non facile adversus presbyterum accusatio dirigenda est. Nemini sunt facile manus imponendae.

1. Seniorem ne increpaveris, sed obsecra, ut patrem; juvenes, ut fratres;

2. Anus, ut matres; juvenculas, ut sorores, in omni castitate.

3. Viduas honora, quae vere[t] viduae sunt.

4. Si qua autem vidua filios aut nepotes habet; discat primum domum suam regere, et mutuam vicem reddere[u] parentibus, hoc enim acceptum est coram Deo.

5. Quae autem vere vidua est,

[p] 1 Cor. 16, 11. [q] Act. 17, 11. 2 Tim. 3, 16. [r] 1 Cor. 12, 7. [s] Act. 6, 6. 8, 17. sq. 9, 17. [t] cf. v. 5. [u] Sir. 3, 13. 14.

Cap. IV. 1. descendent (*sic, erasa in codice una litera post* ce). 2. in hypochrisi; *ibid.* conscientiam suam. 3. civis (*v*=*b*). 4. reiciendum. 6. Jesu Christi. 7. exerce te (*deest* autem). 12. adulescentiam; *ibid.* caritate (*ita semper*). 13. exortationi. 14. neglegere (*ita semper*); *ibid.* praesbyterii (*ita constanter*). 16. et qui te audiunt (*deest* eos).

et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus et orationibus nocte ac die.

6. Nam quae in deliciis est, vivens mortua[v] est.

7. Et hoc praecipe, ut irreprehensibiles sint.

8. Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.

9. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quae fuerit unius viri uxor,

10. in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit[w], si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.

11. Adolescentiores autem viduas devita; cum enim luxuriatae fuerint in Christo, nubere volunt;

12. habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt;

13. simul autem et otiosae discunt circuire domos; non solum otiosae, sed et verbosae, et curiosae, loquentes, quae non oportet.

14. Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia.

15. Jam enim quaedam conversae sunt retro satanam[x].

16. Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, et non gravetur Ecclesia; ut iis, quae vere viduae sunt, sufficiat.

[v] Eph. 2, 1. [w] 2 Joh. 4. [x] c. 1, 6.

17. Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur; maxime, qui laborant in verbo et doctrina.

18. Dicit enim Scriptura: „Non alligabis os bovi triturau„ti[y]", et: „Dignus est operarius „mercede sua"[z].

19. Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus[a].

20. Peccantes coram omnibus[b] argue; ut et caeteri timorem habeant.

21. Testor coram Deo et Christo Jesu, et electis angelis[c], ut haec custodias sine praejudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.

22. Manus cito nemini imposueris[d], neque communicaveris peccatis alienis. Te ipsum castum custodi!

23. Noli adhuc aquam bibere; sed modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates.

24. Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, praecedentia ad judicium; quosdam autem et subsequuntur.

25. Similiter et facta bona manifesta sunt; et quae aliter se habent, abscondi non possunt.

CAP. VI.

Servi heris obediant. De damno avaritiae et habendi cupiditatis. Timotheum hortatur apostolus ad virtutes christianas amplectendas.

[y] Deut. 25, 4. 1 Cor. 9, 9. [z] Matth. 10, 10. [a] Deut. 19, 15. [b] Matth. 18, 17. [c] Matth. 25, 31. [d] c. 4, 14.

Cap. V. 5. speravit (*i. q.* sperabit, *cum litera* v *saepe ponatur pro litera* b) in Deum; *ibid.* et instat. 10. edocavit (*sic*). 13. circumire. 14. juveniores. 16. si qua fidelis (*sic*); *ibid.* sumministret; *ibid.* ut non gravetur; *ibid.* his qui (*sic*). 17. et in doctrina. 18. non infrenabis; *ibid.* mercedem suam (*sic*). 19. sub duobus et tribus. 20. peccantem. 23. vino modico.

1. Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini et doctrina blasphemetur.

2. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt; sed magis serviant, quia fideles sunt et dilecti, qui beneficii participes sunt. Haec doce, et exhortare!

3. Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei, quae secundum pietatem est, doctrinae,

4. superbus est, nihil sciens[e], sed languens circa quaestiones, et pugnas verborum; ex quibus oriuntur invidiae, contentiones, blasphemiae, suspiciones malae,

5. conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantium quaestum esse pietatem.

6. Est autem quaestus magnus pietas cum sufficientia.

7. Nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium, quod nec auferre quid possumus[f].

8. Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus.

9. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli[g], et desideria multa inutilia, et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem.

10. Radix enim omnium malorum est cupiditas; quam quidam appetentes, erraverunt[h] a fide, et inseruerunt se doloribus multis.

11. Tu autem, o homo Dei! haec fuge; sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem.

12. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam aeternam, in qua vocatus es, et confessus[i] bonam confessionem coram multis testibus.

13. Praecipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato[k], bonam confessionem;

14. ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile usque in adventum Domini nostri Jesu Christi,

15. quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens, Rex regum, et Dominus dominantium,

16. qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit[l], sed nec videre potest; cui honor, et imperium sempiternum. Amen.

17. Divitibus hujus saeculi praecipe, non sublime sapere; neque sperare in incerto[m] divitiarum, sed in Deo vivo, qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum;

18. bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare,

19. thesaurizare[n] sibi funda-

[e] 1 Cor. 8, 1. 2. [f] Hiob 1, 21. [g] Matth. 19, 23. [h] Matth. 13, 22.

[i] Act. 16, 3. [k] Joh. 18, 36. 37. [l] Joh 1, 18. [m] Luc. 12, 16—21. [n] Matth. 6, 20.

Cap. VI. 4. superbus nihil sciens (*deest* est); *ibid.* pugnans verborum (*sic*). 7. intulimus in mundo (*deest* hoc); *ibid.* haut dubium quia. 9. et laqueum (*deest* in *et* diaboli). 16. lucem habitans (*deest* et); *ibid.* quem vidit nullus hominum. 17. superbe sapere; *ibid.* in Deo (*deest* vivo). 18. operibus bonis.

mentum bonum in futurum; ut apprehendant veram vitam.

20. O Timothee! depositum [o] custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae,

21. quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt [p]. Gratia tecum. Amen.

[o] 2 Tim. 3, 14.

[p] 2 Tim. 2, 18.

EPISTOLA PAULI
AD
TIMOTHEUM II.

CAP. I.

Laudatur fides Timothei. Christus vicit mortem. Praedicatur familia Onesiphori.

1. Paulus, Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei secundum promissionem vitae, quae est in Christo Jesu.

2. Timotheo charissimo filio [a] gratia, misericordia, pax a Deo Patre, et Christo Jesu Domino nostro.

3. Gratias ago Deo, cui servio [b] a progenitoribus in conscientia pura, quod sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die;

4. desiderans te videre, memor lacrymarum tuarum, ut gaudio implear.

5. Recordationem accipiens ejus fidei, quae est in te non ficta [c], quae et habitavit primum in avia tua Loide, et matre tua Eunice [d], certus sum autem quod et in te.

6. Propter quam causam admoneo te, ut resuscites [e] gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.

7. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris [f]; sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis.

8. Noli itaque erubescere [g] testimonium Domini nostri, neque me vinctum ejus; sed collabora Evangelio secundum virtutem Dei,

9. qui nos liberavit, et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, et gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu ante tempora saecularia [h].

10. Manifestata est autem nunc per illuminationem Salvatoris [i] nostri Jesu Christi, qui destruxit

[a] 1 Cor. 4, 15. [b] Act. 24, 14. 16. [c] Phil. 2, 19—22.

[d] Act. 16, 1. [e] 1 Tim. 4, 14. [f] Rom. 8, 15. [g] Rom. 1, 16. [h] 1 Cor. 2, 7. Eph. 2, 8. 9. [i] Tit. 1, 3.

Cap. I. 3. quam sine intermissione. 4. lacrimarum tuarum. 9. vocatione sancta (*deest* sua).

quidem mortem[k], illuminavit autem vitam et incorruptionem per Evangelium,

11. in quo positus sum ego praedicator, et Apostolus, et magister Gentium[l].

12. Ob quam causam etiam haec patior, sed non confundor; scio enim, cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem[m].

13. Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti in fide et in dilectione[n] in Christo Jesu.

14. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.

15. Scis hoc, quod aversi sunt a me omnes, qui in Asia sunt, ex quibus est Phigelus, et Hermogenes.

16. Det misericordiam Dominus Onesiphori domui; quia saepe me refrigeravit, et catenam meam non erubuit;

17. sed cum Romam venisset, solicite me quaesivit, et invenit[o].

18. Det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in illa die. Et quanta Ephesi ministravit mihi, tu melius nosti.

CAP. II.

Hortatur Timotheum ad patientiam, ad certamina, ad vaniloquentiam fugiendam.

1. Tu ergo, fili mi! confortare in gratia, quae est in Christo Jesu!

2. Et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.

3. Labora sicut bonus miles Christi Jesu.

4. Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat, cui se probavit.

5. Nam et qui certat[p] in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit.

6. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus[q] percipere.

7. Intellige quae dico! dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum!

8. Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David[r], secundum Evangelium meum[s],

9. in quo laboro usque ad vincula, quasi male operans; sed verbum Dei non est alligatum[t].

10. Ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur, quae est in Christo Jesu, cum gloria coelesti.

11. Fidelis sermo: Nam si commortui sumus, et convivemus[u];

12. si sustinebimus, et conregnabimus; si negaverimus, et ille negabit[v] nos;

13. si non credimus, ille fidelis[w] permanet, negare se ipsum non potest.

14. Haec commone, testificans coram Domino. Noli contendere verbis[x]; ad nihil enim utile

k Hebr. 2, 14. 15. l 1 Tim. 2, 7. m c. 4, 8. n 1 Tim. 1, 5. o Act. 28, 20. 30.

p 1 Cor. 9, 24 — 27. q 1 Tim. 4, 16. r Rom. 1, 3. s Phil. 2, 8. 9. t Phil. 1, 12—14. u Rom. 6, 4. sqq. v Matth. 10, 32. sqq. w Rom. 3, 3. sqq. x 1 Tim. 6, 4. 5.

Cap. I. 13. formam habes; *ibid.* in fide et dilectione. 15. Phygelus 16. Onesifori domui. 18. ministravit (*deest* mihi). II. 1. in gratiam 6. accipere. 8. memor esto Jhesum Christum Dominum. 12. si sustinemus, et conregnavimus; *ibid.* si negabimus et ille negavit nos. 13. fidelis manet. 14. verbis contendere.

est, nisi ad subversionem audientium.

15. Solicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis.

16. Profana autem, et vaniloquia devita! multum enim proficiunt ad impietatem;

17. et sermo eorum ut cancer serpit; ex quibus est Hymenaeus [y], et Philetus,

18. qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam, et subverterunt quorumdam fidem.

19. Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognovit Dominus, qui sunt ejus [z]; et: Discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini!

20. In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia [a]; et quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam.

21. Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino, ad omne opus bonum paratum.

22. Juvenilia autem desideria fuge, sectare vero justitiam, fidem, spem, charitatem, et pacem cum iis, qui invocant Dominum de corde puro.

23. Stultas autem et sine disciplina quaestiones [b] devita; sciens quia generant lites.

24. Servum autem Domini non oportet litigare; sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem [c],

25. cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati; ne quando Deus [d] det illis poenitentiam ad cognoscendam veritatem;

26. et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.

[y] 1 Tim. 1, 20. [z] Joh. 10, 4. [a] Matth. 13, 24—30. 47—49. [b] 1 Tim. 1, 4.

CAP. III.

Praedicit, homines variis involutos fore peccatis. Hortatur ad virtutes amplectendas. De utilitate literarum sacrarum.

1. Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa [e].

2. Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti,

3. [f] sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate,

4. proditores, protervi, tumidi, et voluptatum amatores magis, quam Dei,

5. habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita!

6. Ex his enim sunt, qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, qnae ducuntur variis desideriis;

7. semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes [g].

[c] Tit. 1, 7. [d] Matth. 19, 26. [e] 1 Tim. 4, 1. [f] v. 3—5. cfr. Luc. 17, 26—30. [g] 1 Cor. 8, 2. 3.

Cap. II. 14. ad nihil utile ad subversionem audientium (*deest* enim *et* nisi). 16. proficient. 18. resurrectionem jam factam (*deest* esse). 19. stetit. 21. mundaverit se. 22. pacem cum his (*deest* et). 25. qui resistunt (*deest* veritati); *ibid.* det illis Deus. 26. capti tenentur. III. 2. et erunt. 4. voluptatium (*sic*, *deest* et).) 5. habentes quidem speciem.

8. Quemadmodum autem Jannes et Mambres restiterunt Moysi[h]; ita et hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem,

9. Sed ultra non proficient; insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum[i] fuit.

10. Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam,

11. persecutiones, passiones, qualia mihi facta sunt Antiochiae[k], Iconii[l] et Lystris[m], quales persecutiones sustinui, et ex omnibus eripuit me Dominus.

12. Et omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.

13. Mali autem homines et seductores proficient in pejus, errantes, et in errorem mittentes.

14. Tu vero permane in iis, quae didicisti et credita sunt tibi; sciens a quo[n] didiceris.

15. Et quia ab infantia[o] sacras litteras nosti, quae te possunt instruere ad salutem, per fidem, quae est in Christo Jesu.

16. Omnis scriptura[p] divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia;

17. ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

[h] Exod. 7, 11. 22. [i] Exod. 9, 18. [k] Act. 13, 14. 45. 50. [l] Act. 14, 1. 5. [m] Act. 14, 6. 7. 18. [n] c. 1, 13. [o] c. 1, 5. [p] 2 Petr. 1, 19—21.

CAP. IV.

Timotheum obtestatur, ut adversus doctores falsos constanter dicat; sua praedicit mala et futurum praemium. Prima sui defensione derelictus erat ab omnibus.

1. Testificor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicaturus[q] est vivos et mortuos, per adventum ipsius, et regnum ejus.

2. Praedica verbum; insta opportune, importune[r]; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.

3. Erit enim tempus[s], cum sanam doctrinam non sustinebunt; sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus;

4. et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.

5. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistae, ministerium tuum imple! Sobrius esto!

6. Ego enim jam delibor[t], et tempus resolutionis meae instat.

7. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.

8. In reliquo reposita est mihi corona justitiae[u], quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex; non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus[v]. Festina ad me venire cito.

9. Demas[w] enim me reliquit,

[q] Matth. 25, 31. [r] Act. 24, 25. [s] c. 3, 1—5. [t] Phil. 2, 17. [u] Jac. 1, 12. [v] 1 Joh. 4, 17. [w] Philem. 24.

Cap. III. 8. Jamnes; *ibid.* Mosi. 11. Iconii, Lystris (*deest* et); *ibid.* me eripuit. 12. qui volunt pie vivere. 14. in his quae. 15. te possint. 16. divinitus inspirata et utilis (*deest* est); *ibid.* ad corrigendum. IV. 1. vivos ac mortuos; *ibid.* et (*sic*) adventum ipsius (*deest* per). 2. oportune. 5. *Desunt verba* sobrius esto. 6. meae resolutionis. 8. sed et his qui; *ibid.* festina venire ad me. 9. me dereliquit.

diligens hoc saeculum, et abiit Thessalonicam,

10. Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam.

11. Lucas[x] est mecum solus. Marcum[y] assume, et adduc tecum; est enim mihi utilis in ministerium.

12. Tychicum[z] autem misi Ephesum.

13. Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, et libros, maxime autem membranas.

14. Alexander[a] aerarius multa mala mihi ostendit; reddet illi Dominus secundum opera ejus;

15. quem et tu devita; valde enim restitit verbis nostris.

16. In prima mea defensione nemo mihi affuit; sed omnes me dereliquerunt[b]; non illis imputetur[c].

x Philem. 24. y Act. 12, 12. 15, 37. Col. 4, 10. z Act. 20, 4. Col. 4, 7. a Act. 19, 33. 1 Tim. 1, 20. b c. 1, 15. c Act. 7, 59.

17. Dominus autem mihi astitit[d], et confortavit me; ut per me praedicatio impleatur, et audiant omnes Gentes; et liberatus sum de ore[e] leonis.

18. Liberavit me Dominus ab omni opere malo; et salvum faciet in regnum suum coeleste, cui gloria in saecula saeculorum. Amen.

19. Saluta Priscam et Aquilam[f], et Onesiphori[g] domum.

20. Erastus[h] remansit Corinthi, Trophimum[i] autem reliqui infirmum Mileti.

21. Festina ante hiemem venire. Salutant te Eubulus, et Pudens, et Linus, et Claudia, et fratres omnes.

22. Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo. Gratia vobiscum. Amen.

d Joh. 16, 32. e Dan. 6, 22. f Act. 18, 2. 18. Rom. 16, 3. g c. 1, 16. h Act. 19. 22. Rom. 16, 23. i Act. 20, 4. 21, 29.

EPISTOLA PAULI AD TITUM.

CAP. I.

Quales sint ordinandi presbyteri et episcopi. Quinam sint aspere increpandi. Puris omnia pura sunt.

1. Paulus servus Dei, Apostolus autem Jesu Christi secundum fidem electorum[a] Dei, et agnitionem veritatis, quae secundum pietatem est,

2. in spem vitae aeternae, quam promisit, qui non menti-

a Rom. 8, 29. 30.

Cap. IV. 13. paenulam; *ibid.* adfer (*deest* tecum). 14. reddat ei Dominus. 17. adstitit. 18. liberabit. 19. Onesifori.

tur, Deus, ante tempora saecularia,

3. manifestavit autem temporibus suis[b] verbum suum in praedicatione, quae credita est mihi secundum praeceptum Salvatoris nostri Dei,

4. Tito dilecto filio[c] secundum communem fidem, gratia et pax a Deo Patre, et Christo Jesu Salvatore nostro.

5. Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros[d], sicut et ego disposui tibi.

6. Si quis sine crimine est, unius uxoris vir[e], filios habens fideles, non in accusatione luxuriae, aut non subditos[f].

7. Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem[g]; non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum;

8. sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem,

9. amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem; ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere.

10. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, et seductores[h], maxime, qui de circumcisione sunt;

11. quos oportet redargui, qui universas domos subvertunt, docentes, quae non oportet, turpis lucri gratia.

12. Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri.

13. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide,

14. non intendentes Judaicis fabulis, et mandatis hominum aversantium se a veritate.

15. Omnia munda mundis[i]; coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatae sunt eorum et mens et conscientia.

16. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant; cum sint abominati, et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi.

CAP. II.

De modo instituendi senes, anus, adolescentulas, juvenes. De beneficiis per Christum nobis exhibitis.

1. Tu autem loquere, quae decent sanam doctrinam:

2. Senes, ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia.

3. Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices[k], non multo vino servientes, bene docentes;

4. ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant,

5. prudentes, castas, sobrias,

[b] Eph. 1, 9. 10. 2 Tim. 1, 10. [c] 1 Cor. 4, 15. [d] Act. 14, 22. [e] 1 Tim. 3, 2. [f] 1 Tim. 3, 4. 5. [g] 1 Cor. 4, 1. [h] 1 Tim. 1, 4. 6.

[i] Col. 2, 20. 21. Rom. 14, 20. [k] 1 Tim. 3, 11.

Cap. I. 5. tibi disposui. 8. sanctum justum. 9. et exortari. 10. multi et (*sic*) inoboedientes. 12. proprius eorum. 15. nihil mundum (*deest* est). II. 1. quae decet. 2. sani fide; *ibid.* dilectione, patientia (*deest* in). 3. criminatores (*emendatum tamen est in Codice in* criminatrices). 4. adulescentulas; *ibid.* filios diligant (*deest* suos). 5. *Deest* sobrias.

domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur[l] verbum Dei.

6. Juvenes similiter hortare, ut sobrii sint.

7. In omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate,

8. verbum sanum, irreprehensibile; ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.

9. Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes,

10. non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes; ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus.

11. Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus,

12. erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et juste, et pie vivamus in hoc saeculo,

13. exspectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi,

14. qui dedit semet ipsum pro nobis; ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum[m].

15. Haec loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio! Nemo te contemnat[n]!

CAP. III.

Ab anterioribus peccatis per baptismum salvi sumus. Fugienda est vana doctrina.

[l] 1 Petr. 2, 12. [m] Act. 20, 28. Eph. 5, 25—27. [n] 1 Tim. 4, 12.

1. Admone illos principibus et potestatibus subditos[o] esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse:

2. Neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.

3. Eramus enim aliquando et nos[p] insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis, et voluptatibus variis, in malitia et invidia agentes, odibiles, odientes invicem.

4. Cum autem benignitas[q] et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei;

5. non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam[r] salvos nos fecit per lavacrum regenerationis[s] et renovationis Spiritus sancti,

6. quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum;

7. ut justificati gratia ipsius, haeredes simus secundum spem vitae aeternae.

8. Fidelis sermo est; et de his volo te confirmare; ut curent bonis operibus praeesse, qui credunt Deo. Haec sunt bona, et utilia hominibus.

9. Stultas autem quaestiones[t], et genealogias, et contentiones, et pugnas legis devita! sunt enim inutiles, et vanae.

10. Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita;

[o] Rom. 13, 1. 2. 1 Petr. 2, 13. 14. [p] Eph. 2, 3. [q] 1 Joh. 4, 9, [r] Rom. 3, 24. [s] Joh. 3, 5. [t] 1 Tim. 1, 4.

Cap. II. 5. suis viris. 7. in doctrina integritatem gravitatem. 8. irreprehensibilem (*sic*). 10. Salvatoris Dei nostri. 11. gratia Dei salvatoris (*deest* nostri). III. 2. modestos (*deest* sed). 3. et nos aliquando insipientes. 6. per Christum Jesum.

11. sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.

12. Cum misero ad te Artemam, aut Tychicum[u], festina ad me venire Nicopolim; ibi enim statui hiemare.

13. Zenam legisperitum, et Apollo[v] solicite praemitte, ut nihil illis desit.

14. Discant autem et nostri bonis operibus praeesse ad usus necessarios; ut non sint infructuosi.

15. Salutant te, qui mecum sunt omnes; saluta eos, qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.

[u] Act. 20, 4. Eph. 6, 21. Col. 4, 7.

[v] Act. 18, 24.

EPISTOLA PAULI
AD
PHILEMONEM.

Philemoni servum remittit cum commendatione.

1. Paulus vinctus[a] Christi Jesu et Timotheus[b] frater Philemoni dilecto, et adjutori nostro,

2. et Apiae sorori charissimae, et Archippo[c] commilitoni nostro, et Ecclesiae quae in domo tua est.

3. Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.

4. Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis,

5. audiens charitatem tuam, et fidem, quam habes in Domino Jesu, et in omnes sanctos,

6. ut communicatio fidei tuae evidens fiat in agnitione omnis operis boni, quod est in vobis in Christo Jesu.

7. Gaudium enim magnum habui, et consolationem in charitate tua; quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater.

8. Propter quod multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pertinet;

9. propter charitatem magis obsecro, cum sis talis, ut Paulus senex, nunc autem et vinctus Jesu Christi.

10. Obsecro te pro meo filio,

[a] v. 9. 13. Act. 28, 16. [b] Col. 1, 1. [c] Col. 4, 17.

Cap. III. 11. proprio judicio condemnatus (*deest* cum sit). 12. Nichopolim. 13. Zenan. 15. saluta qui nos amant (*deest* eos).

Cap. I. 1. Jesu Christi; *ibid.* dilecto adjutori (*deest* et). 2. sorori (*deest* charissimae); *ibid.* Arcippo. 6. in agnitionem omnis boni in Christo Jesu. 10. de meo filio.

quem genui[d] in vinculis, Onesimo[e],

11. qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem et mihi et tibi utilis,

12. quem remisi tibi. Tu autem illum, ut mea viscera, suscipe;

13. quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii;

14. sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.

15. Forsitan enim ideo discessit ad horam a te, ut aeternum illum reciperes.

16. Jam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem[f], maxime mihi; quanto autem magis tibi, et in carne et in Domino!

17. Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me;

[d] 1 Cor. 4, 15. [e] Col. 4, 9. [f] Matth. 23, 8.

18. si autem aliquid nocuit tibi, aut debet; hoc mihi imputa!

19. Ego Paulus scripsi mea manu; ego reddam, ut non dicam tibi, quod et te ipsum mihi debes[g];

20. ita[h], frater! Ego te fruar in Domino; refice viscera mea in Domino.

21. Confidens in obedientia tua scripsi tibi, sciens, quoniam et super id, quod dico, facies.

22. Simul autem et para mihi hospitium; nam spero per orationes vestras donari me vobis.

23. Salutat te Epaphras[i] concaptivus meus in Christo Jesu,

24. Marcus[k], Aristarchus[l], Demas et Lucas[m], adjutores mei.

25. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

[g] 1 Cor. 9, 11. [h] v. 17. [i] Col. 4, 12. [k] Act. 12, 12. 15, 37. [l] Col. 4, 10. [m] Col. 4, 14.

EPISTOLA PAULI
AD
HEBRAEOS.

CAP. I.

Veteri testamento per angelos patefacto novum a Christo datum praefertur.

1. Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis; novissime,

2. diebus istis locutus est no-

Cap. I. 11. et tibi et mihi. 12. remisi (*deest* tibi); *ibid.* illum id est mea viscera. 16. sed plus servo carissimum fratrem. 19. scribsi. 21. confidens oboedientia tua scripsi tibi (*in voc.* scripsi, scribsi *nulla constantia orthographiae, nam spatio paucorum versuum duplex scriptura est*). 23. conconcaptivus (*sic*). 24. Demas Lucas (*deest* et).

Cap. I. 1. Multifariae (*sic*, ae=e) et multis modis.

bis in Filio [a], quem constituit haeredem universorum, per quem fecit [b] et saecula;

3. qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae ejus [c], portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens [d], sedet ad dexteram majestatis in excelsis;

4. tanto melior Angelis effectus, quanto differentius prae illis [e] nomen haereditavit.

5. Cui enim dixit aliquando Angelorum: „Filius meus es tu; „ego hodie genui te [f]"? Et rursum: „Ego ero illi in patrem, et „ipse erit mihi in filium [g]?

6. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: „Et adorent eum omnes „Angeli Dei [h]".

7. Et ad Angelos quidem dicit: „Qui facit Angelos suos spi„ritus, et ministros suos flam„mam ignis [i]".

8. Ad filium autem: „Thronus „tuus Deus, in saeculum saeculi; „virga aequitatis, virga regni „tui.

9. „Dilexisti justitiam, et odi„sti iniquitatem; propterea un„xit te, Deus, Deus tuus oleo „exultationis prae participibus „tuis [k]".

10. Et: „Tu in principio, Do„mine, terram fundasti; et opera „manuum tuarum sunt coeli.

11. „Ipsi peribunt, tu autem „permanebis, et omnes ut vesti„mentum veterascent;

12. „et velut amictum muta„bis eos, et mutabuntur; tu au„tem idem ipse es, et anni tui „non deficient [l]".

13. Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: „Sede a „dextris meis, quoadusque po„nam inimicos tuos scabellum „pedum tuorum [m]"?

14. Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium [n] missi propter eos, qui haereditatem capient salutis?

CAP. II.

Cum angelicorum praeceptorum perversio punita fuerit, multo gravius plectentur hostes praeceptorum Christi.

1. Propterea abundantius oportet observare nos ea, quae audivimus, ne forte pereffluamus.

2. Si enim, qui per Angelos [o] dictus est sermo, factus est firmus, et omnis praevaricatio et inobedientia accepit justam mercedis retributionem;

3. quomodo nos effugiemus [p], si tantam neglexerimus salutem? quae cum initium accepisset enarrari per Dominum [q] ab eis, qui audierunt [r], in nos confirmata est,

4. contestante Deo [s] signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus sancti distributionibus [t] secundum suam voluntatem [u].

5. Non enim Angelis subjecit Deus orbem terrae futurum, de quo loquimur;

[a] v. 4. sqq. c. 3, 5. 6. 12, 25. [b] Joh. 1, 3. 10. [c] Joh. 14, 9. Col. 1, 15. [d] c. 9, 14. [e] Phil. 2, 9. [f] Ps. 2, 7. [g] 2 Reg. 7, 14. [h] Ps. 96, 7. [i] Ps. 103, 4. [k] Ps. 44, 7. 8.

[l] Ps. 101, 26—28. [m] Ps. 109, 1. [n] Matth. 18, 10. Act. 5, 19. [o] Act. 7, 53. Gal. 3, 19. [p] c. 12, 25. [q] c. 1, 2. [r] 1 Joh. 1, 1—3. [s] Joh. 15, 26. 27. [t] Act. 2, 4. [u] 1 Cor. 12, 11.

Cap. I. 3. portans quoque omnia; *ibid.* sedit. 5. in patre; *ibid.* in filio. 8. et virga aequitatis. 11. et omnia sicut vestimentum veterescent. 12. tu autem idem es (*deest* ipse). 13. scabillum. II. 1. effluamus. 2. inoboedientia.

6. testatus est autem in quodam loco quis, dicens: „Quid est „homo, quod memor es ejus, aut „filius hominis, quoniam visitas „eum?

7. „Minuisti eum paulo minus „ab Angelis; gloria et honore „coronasti eum, et constituisti „eum super opera manuum tua„rum.

8. „Omnia subjecisti sub pedi„bus ejus[v]"; in eo enim, quod omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei;

9. eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis[w], gloria et honore coronatum; ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.

10. Decebat enim eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.

11. Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno[x] omnes. Propter quam causam non confunditur fratres[y] eos vocare, dicens:

12. „Nunciabo nomen tuum „fratribus meis; in medio Eccle„siae laudabo te[z]".

13. Et iterum: „Ego ero fi„dens in eum[a]". Et iterum: „Ecce! ego, et pueri mei, quos „dedit mihi Deus[b]".

14. Quia ergo pueri[c] communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem[d]; ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum[e];

15. et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.

16. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit.

17. Unde debuit per omnia fratribus similari[f], ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.

18. In eo enim, in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis, qui tentantur, auxiliari[g].

CAP. III.

Christus, ut filius, longe est praestantior Mose, ministro fideli in domo Dei.

1. Unde, fratres sancti! vocationis coelestis participes, considerate Apostolum[h] et pontificem[i] confessionis nostrae Jesum,

2. qui fidelis est ei, qui fecit illum, sicut et Moyses in omni domo ejus[k].

[v] Ps. 8, 5—7. [w] Luc. 24, 26. 46. [x] Luc. 3, 38. [y] Joh. 20, 17. [z] Ps. 21, 23.

[a] Jes. 8, 17. [b] Jes. 8, 18. [c] v. 10. 13. [d] Phil. 2, 7. [e] Joh. 16, 11. Col. 2, 15. [f] c. 4, 15. [g] c. 4, 15. 5, 2. [h] Joh. 17 18. [i] c. 5, 10. [k] v. 6. 1 Tim. 3, 15.

Cap. II. 6. testatum autem est; *ibid.* memores ejus (*at correctum est hoc posthac in hunc modum*: memor r es ejus). 8. in eo enim quod ei omnia. 10. per passiones consummare. 12. nuntiabo. 13. quos mihi dedit Deus. 14. et ipse similiter sanguini et carni participavit isdem (*sic*); *ibid.* diabulum. 16. adpraehendit (*bis*). 17. unde debuit et (*sic*) per omnia fratribus similare. 18. ipse temptatus (*deest* et); *ibid.* potens et (*sic*) et eis qui temptantur auxiliari. III. 2. Moses; *ibid.* domu (*sed a prima manu mutatum est in* domo).

3. Amplioris enim gloriae iste prae Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam.

4. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo; qui autem omnia creavit, Deus est[l].

5. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus, in testimonium eorum, quae dicenda erant;

6. Christus vero tamquam filius in domo sua, quae domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus.

7. Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus: „Hodie si vocem „ejus audieritis,

8. „nolite obdurare corda ve„stra, sicut in exacerbatione se„cundum diem tentationis in de„serto,

9. „ubi tentaverunt[m] me pa„tres vestri; probaverunt et vi„derunt opera mea

10. quadraginta annis; pro„pter quod infensus fui genera„tioni huic, et dixi: Semper er„rant corde; ipsi autem non co„gnoverunt vias meas.

11. „Sicut juravi[n] in ira mea: „Si introibunt in requiem me„am[o]".

12. Videte, fratres! ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo[p];

13. sed adhortamini vosmet ipsos per singulos dies, donec Hodie cognominatur; ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.

14. Participes enim Christi effecti sumus; si tamen initium substantiae ejus usque ad finem firmum retineamus.

15. Dum dicitur: „Hodie[q] si „vocem ejus audieritis, nolite „obdurare corda vestra, quemad„modum in illa exacerbatione"!

16. Quidam enim audientes exacerbaverunt, sed non universi, qui profecti sunt ex Aegypto per Moysen.

17. Quibus autem infensus est quadraginta annis? nonne illis, qui peccaverunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto[r]?

18. Quibus autem juravit non introire in requiem ipsius, nisi illis qui increduli[s] fuerunt?

19. Et videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem.

[l] c. 2, 10. Eph. 3, 15. [m] Exod. 17, 2. 7. [n] Num. 14, 23—35. [o] Ps. 94, 8—11. [p] c. 10, 31. Matth. 10, 28.

CAP. IV.

Judaei ob defectum fidei non adepti sunt requiem promissam. Cavendum est, ne ea frustremur. De vivo et efficaci verbo Dei.

1. Timeamus ergo ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex vobis deesse.

2. Etenim et nobis nunciatum est, quemadmodum et illis. Sed non profuit illis sermo auditus, non admistus fidei ex iis, quae audierunt.

[q] c. 4, 7. [r] Num. 14, 29—36. [s] Deut. 1, 32.

Cap. III. 3. Mose dignus habitatus (*sic*) est. 4. qui autem omnia creavit Deus (*deest* est). 5. Moses. 8. exacervationem; *ibid.* temptationis. 9. ubi temptaverunt. 15. exacervatione. 16. exacervaverunt; *ibid.* ab Aegypto per Mosem. 18. increduli (*sed literae* in *sunt corruptae et aliquantum male affectae*). IV. 1. aliqui ex vobis deesse (*sic*). 2. nuntiatum; *ibid.* non admixtis (*sic*) fidei ex his quae audierunt.

3. Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus; quemadmodum dixit: „Sicut juravi in ira „mea, si introibunt in requiem „meam[t]"; et quidem operibus ab institutione mundi perfectis.

4. Dixit enim in quodam loco de die septima sic: „Et requievit „Deus die septima ab omnibus „operibus suis[u]".

5. Et in isto rursum: „Si in„troibunt in requiem meam".

6. Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, et ii, quibus prioribus annunciatum est, non introierunt propter incredulitatem,

7. iterum terminat diem quemdam, Hodie, in David dicendo, post tantum temporis, sicut supra dictum est: „Hodie si vocem „ejus audieritis, nolite obdurare „corda vestra[v]".

8. Nam si eis Jesus requiem praestitisset, numquam de alia loqueretur, posthac, die.

9. Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei.

10. Qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus[w].

11. Festinemus ergo ingredi in illam requiem; ut ne in id ipsum quis incidat incredulitatis exemplum.

12. Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti; et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis.

13. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo.

14. Habentes ergo pontificem magnum[x], qui penetravit coelos[y], Jesum Filium Dei; teneamus confessionem.

15. Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris[z]; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.

16. Adeamus ergo cum fiducia[a] ad thronum gratiae; ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

CAP. V.

Christus praemio reverentiae a Patre auditus, factus est obtemperantibus causa salutis.

1. Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis,

2. qui condolere[b] possit iis, qui ignorant et errant; quoniam et ipse circumdatus est infirmitate;

[t] c. 3, 11. Ps. 94, 11. [u] Gen. 2, 2. [v] c. 3, 7. Ps. 94, 8—9. [w] Gen. 2, 2. Apoc. 14, 13.

[x] c. 6, 20. 8, 1. [y] c. 9, 24. [z] c. 2, 17. 18. [a] c. 10, 21—23. [b] c. 4, 15.

Cap. IV. 3. institutione mundi factis. 4. et requievit Dominus. 6. quosdam introire ^in^ illam (*sic*) et hii; *ibid.* adnuntiatum est. 10. ingressus ^est^ in requiem ejus (*sic*). 12. Vivus enim est Dei sermo; *ibid.* et medullarum. 15. pontificem (*hoc vocabulam scriptum est ad marginem literis minutioribus*); *ibid.* conpati; *ibid.* temptatum; *ibid.* pro similitudinem (*sic, ut literula* m *depravata et paene deleta est*). V. 1. adsumptus; *ibid.* in his quae sunt ad Dominum. 2. qui condolere possit his qui ignoranter errant.

3. et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semet ipso offerre pro peccatis.

4. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron[c].

5. Sic et Christus non semet ipsum clarificavit, ut pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum: „Filius meus es tu; ego hodie „genui te[d]".

6. Quemadmodum et in alio loco dicit: „Tu es sacerdos in „aeternum, secundum ordinem „Melchisedech[e]".

7. Qui in diebus carnis[f] suae, preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis[g] offerens, exauditus est pro sua reverentia.

8. Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quae passus est, obedientiam[h];

9. et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis aeternae,

10. appellatus a Deo pontifex juxta ordinem Melchisedech[i].

11. De quo nobis grandis sermo, et ininterpretabilis ad dicendum; quoniam imbecilles facti estis ad audiendum[k].

12. Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis, ut vos doceamini, quae sint elementa exordii sermonum Dei, et facti estis quibus lacte[l] opus sit, non solido cibo.

13. Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiae; parvulus[m] enim est.

14. Perfectorum autem est solidus cibus, eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.

CAP. VI.

Iterum baptizari nequeunt, qui post susceptum baptismum in peccata incidunt De Abrahae animo inconcusso et constanti.

1. Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum jacientes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis[n], et fidei ad Deum[o],

2. baptismatum doctrinae, impositionis quoque manuum[p], ac resurrectionis mortuorum, et judicii[q] aeterni.

3. Et hoc faciemus, si quidem permiserit Deus.

4. Impossibile[r] est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste et participes facti sunt Spiritus sancti,

5. gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque[s] saeculi venturi,

6. et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam, rursum

[c] Gen. 28, 1. [d] Ps. 2, 7. [e] Ps. 109, 4. [f] Rom. 3, 8. [g] Matth. 26, 39. 27, 46. [h] Phil. 2, 8. [i] v. 6. [k] Matth. 13, 13.

[l] 1 Cor. 3, 1—3. [m] Eph. 4, 13. sqq. [n] c. 9, 14. [o] 1 Thess. 1, 9. 10. [p] Act. 19, 1—6. [q] Act. 17, 31. [r] c. 10, 26. Matth. 12, 32. Marc. 10, 25. 27. [s] c. 12. 22. sqq. 13, 14.

Cap. V. 3. quemadmodum et pro populo. 6. et in alio ÷ dicit (*in margine legitur loco literis minoribus*). 7. qui possit salvum illum a morte facere; *ibid.* et exauditus pro sua (*deest* est). 8. filius (*deest* Dei), *ibid.* oboedientiam. 11. de quo grandis nobis sermo et ininterpraetabilis; *ibid.* inbecilles. 12. deberitis. VI. 1. incoationis (*sic*); *ibid.* non rursum jacentes fundamentum paenitentiae. 4. inpossibile est; *ibid.* inluminati; *ibid.* participes sunt facti. 6. et prolabsi sunt renovari rursus ad paenitentiam.

crucifigentes sibimet ipsis Filium Dei, et ostentui habentes.

7. Terra enim saepe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo.

8. Proferens autem spinas ac tribulos[t], reproba est et maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem.

9. Confidimus autem de vobis, dilectissimi! meliora et viciniora saluti, tametsi ita loquimur.

10. Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis[u], quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, et ministratis.

11. Cupimus autem unumquemque vestrum eamdem ostentare solicitudinem ad expletionem spei usque in finem[v].

12. Ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide et patientia haereditabunt promissiones.

13. Abrahae namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem, juravit per semet ipsum,

14. dicens: „Nisi benedicens „benedicam te, et multiplicans „multiplicabo te[w]“.

15. Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem.

16. Homines enim per majorem sui jurant; et omnis controversiae eorum finis, ad confirmationem, est juramentum[x].

[t] Jes. 5, 5. 6. [u] c. 10, 32—34. [v] c. 3, 14. [w] Gen. 22, 16. 17. [x] Exod. 22, 11.

17. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis[y] haeredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum;

18. ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem,

19. quam sicut anchoram habemus animae tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora[z] velaminis,

20. ubi praecursor pro nobis introivit[a] Jesus, secundum ordinem Melchisedech[b] pontifex factus in aeternum.

CAP. VII.

Ad ordinem Melchisedech Christus sacerdos est.

1. Hic enim Melchisedech[c], rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahae regresso a caede regum, et benedixi ei;

2. cui et decimas[d] omnium divisit Abraham; primum quidem, qui interpretatur rex justitiae; deinde autem et rex Salem, quod est, rex pacis.

3. Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitae habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.

4. Intuemini autem quantus sit hic, cui et decimas dedit de praecipuis Abraham patriarcha.

5. Et quidem de filiis Levi sa-

[y] c. 4, 1. sqq. [z] c. 9, 3. 7. 12, 24. [a] c. 10, 19. 20. Joh. 17, 24. [b] c. 5, 6. [c] Gen. 14, 17—19. [d] v. 4.

Cap. VI. 7. oportunam; *ibid.* accepit. 9. tamensi ita loquimur. 11. sollicitudinem. 13. jurabit per semet ipsum. 17. pollicitationis heredibus inmobilitatem. 18. inmobiles; *ibid.* inpossibile; *ibid.* solacium. 19. ancoram; *ibid.* usque in interiora velaminis. 20. introiit; *ibid.* Melchisedec. VII. 1. Melchisedec; *ibid.* a cede. 2. cui decimas (*deest* et). 3. adsimulatus.

cerdotium accipientes, mandatum habent decimas[e] sumere a populo secundum legem, id est, a fratribus suis, quamquam et ipsi exierint de lumbis Abrahae.

6. Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumsit ab Abraham, et hunc, qui habebat repromissiones, benedixit[f].

7. Sine ulla autem contradictione, quod minus est, a meliore benedicitur.

8. Et hic quidem decimas morientes homines accipiunt; ibi autem contestatur, quia vivit.

9. Et (ut ita dictum sit) per Abraham et Levi, qui decimas accepit, decimatus est;

10. adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech.

11. Si ergo consummatio per sacerdotium Leviticum erat (populus enim sub ipso legem accepit), quid adhuc necessarium fuit, secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, et non secundum ordinem Aaron dici?

12. Translato enim sacerdotio, necesse est, ut et legis[g] translatio fiat.

13. In quo enim haec dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari praesto fuit.

14. Manifestum est enim quod ex Juda[h] ortus sit Dominus noster; in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est.

[e] Num. 18, 21. [f] Gen. 14, 19. 20. [g] v. 18. 19. [h] Gen. 49, 10.

15. Et amplius adhuc manifestum est; si secundum similitudinem Melchisedech exsurgat alius sacerdos,

16. qui non secundum legem mandati carnalis[i] factus est, sed secundum virtutem vitae insolubilis.

17. Contestatur enim: „Quoniam tu es sacerdos in aeternum, „secundum ordinem Melchise- „dech[k]“.

18. Reprobatio quidem sit praecedentis mandati propter infirmitatem ejus et inutilitatem[l];

19. nihil enim ad perfectum[m] adduxit lex; introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum.

20. Et quantum est non sine jurejurando (alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt,

21. hic autem cum jurejurando per eum, qui dixit ad illum: „Juravit Dominus, et non poeni- „tebit eum; tu es sacerdos in ae- „ternum[n]“).

22. In tantum melioris[o] testamenti sponsor factus est Jesus.

23. Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco, quod morte prohiberentur permanere;

24. hic autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium.

25. Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semet ipsum ad Deum[p]; semper vi-

[i] v. 18. 19. [k] c. 5, 6. Ps. 109, 4. [l] Gal. 4, 9. [m] v. 11. [n] Ps. 109, 4. [o] c. 8, 6. [p] c. 9, 24. Joh. 14, 6. Rom. 8, 34.

Cap. VII. 6. adnumeratur; *ibid.* decimas sumpsit Abraham (*sic*). 8. ibi autem contestatus. 11. athuc necessarium (*deest* fuit); *ibid.* Melchisedec. 13. altario. 14. manifestum enim (*deest* est); *ibid.* ortus est Dominus noster; *ibid.* Moses. 15. athuc; *ibid.* exurget. 17. Melchisedec. 19. per quam maximamus ad Deum (*sic*). 20. 21. alii quidem sine jurejurando (*in margine legitur literis minoribus uncialibus* sacerdotes facti sunt) hic autem cum jurejurando. 21. paenitebit. 25. in perpetuo.

ens ad interpellandum pro nobis.

26. Talis enim decebat, ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior coelis factus[q];

27. qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi[r]; hoc enim fecit semel, se ipsum offerendo[s].

28. Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes; sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, Filium in aeternum perfectum[t].

CAP. VIII.

De praestantia sacerdotii Jesu, et novi foederis necessitate.

1. Capitulum autem super ea[u], quae dicuntur: Talem habemus pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in coelis[v],

2. sanctorum minister, et tabernaculi[w] veri, quod fixit Dominus, et non homo.

3. Omnis enim pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur[x]; unde necesse est et hunc habere aliquid, quod offerat.

4. Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos; cum essent, qui offerrent secundum legem munera,

5. qui exemplari[y], et umbrae deserviunt coelestium. Sicut responsum est Moysi, cum consummaret tabernaculum: „Vide" (inquit) „omnia facito secundum „exemplar, quod tibi ostensum „est in monte[z]".

6. Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto et melioris[a] testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.

7. Nam si illud prius culpa vacasset: non utique secundi locus inquireretur.

8. Vituperans enim eos dicit: „Ecce! dies venient, dicit Domi„nus, et consummabo super do„mum Israël, et super domum „Juda, testamentum novum[b]"

9. Non secundum testamentum, quod feci patribus eorum[c], in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Aegypti; „quoniam ipsi non „permanserunt in testamento „meo; et ego neglexi eos, dicit „Dominus.

10. „Quia hoc est testamen„tum, quod disponam domui „Israël post dies illos, dicit Do„minus, dando leges meas in „mentem eorum, et in corde eo„rum superscribam eas; et ero „eis in Deum, et ipsi erunt mihi „in populum.

11. „Et non docebit unusquis„que proximum suum, et unus„quisque fratrem suum, dicens: „Cognosce Dominum, quoniam „omnes scient me a minore us„que ad majorem eorum.

12. „Quia propitius ero ini-

[q] c. 8, 1. [r] Lev. 16, 6. 17. 24. [s] c. 9, 12—14. c. 10, 10. [t] v. 26. Ps. 109, 1. [u] c. 7. [v] c. 4, 14. 7, 26. [w] c. 9, 11. 12. [x] c. 5, 1. [y] Col. 2, 17.

[z] Exod. 25, 40. [a] 2 Cor. 3, 6. [b] Jer. 31, 31—34. [c] Exod. 19, 5.

Cap. VII. 25. pro eis. 26. inpollutus; *ibid.* segregatus a peccatis. 27. qui non habet cotidie necessitatem; *ibid.* se offerendo (*deest* ipsum). VIII. 3. ad offerenda munera; *ibid.* necesse esse et hunc. 5. Mosi. 8. dies veniunt; *ibid.* Israhel. 9. adpraehendi manum illorum. 10. quia hoc testamentum quod (*deest* est); *ibid.* Israhel.

„quitatibus eorum, et peccatorum eorum jam non memorabor".

13. Dicendo autem novum veteravit prius; quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est.

CAP. IX.

Christus pontifex, hostia semel oblata, liberat conscientiam peccatis. Ad testamenti sui confirmationem obire diem supremum Jesum fuit necesse.

1. Habuit quidem et prius justificationes culturae, et Sanctum saeculare;

2. tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra[d], et mensa, et propositio panum, quae dicitur Sancta.

3. Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum[e];

4. aureum habens thuribulum[f], et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna[g], et virga Aaron[h], quae fronduerat, et tabulae testamenti,

5. superque eam erant Cherubim[i] gloriae obumbrantia propitiatorium. De quibus non est modo dicendum per singula.

6. His vero ita compositis, in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes;

7. in secundo autem semel[k] i anno solus pontifex non sin sanguine quem offert pro sua, e populi ignorantia.

8. Hoc significante Spiritu san cto, nondum propalatam ess sanctorum viam[l], adhuc prior tabernaculo habente statum.

9. Quae parabola est temporis instantis, juxta quam munera et hostiae offeruntur, quae non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem[m], solummodo in cibis et in potibus,

10. et variis baptismatibus, et justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis.

11. Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum[n] non manufactum, id est, non hujus creationis;

12. neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa.

13. Si enim sanguis hircorum[o] et taurorum, et cinis vitulae aspersus[p] inquinatos sanctificat ad emundationem carnis;

14. quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum[q] semet ipsum obtulit immaculatum[r] Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis[s], ad serviendum Deo viventi.

15. Et ideo novi testamenti mediator[t] est; ut morte interce-

[d] Exod. 26, 35. 40, 22. sqq. [e] Exod. 26, 33. sqq. Lev. 16, 33. sqq. [f] Exod. 40, 5. 30, 6. Lev. 16, 12. [g] Exod. 16, 33. [h] Num. 17, 10. [i] Num. 7, 89. Exod. 25, 22.

[k] Exod. 30, 10. Lev. 16, 2. [l] c. 10, 19 [m] c. 10, 4. [n] c. 8, 1. 2. [o] Lev. 16, 15. [p] Num. 19. [q] c. 7, 16. [r] Lev. 22, 20 [s] c. 6, 1. [t] c. 8, 6. 12, 24.

Cap. VIII. 12. et peccatorum illorum. IX. 2. in quo inerant candelabra. 4. turibulum; *ibid.* in qua una urna aurea habens (*sic*). 5. superque eam Cherubin (*deest* erant); *ibid.* de quibus modo non est. 10. et variis baptismis; *ibid.* inpositis. 11. adsistens. 12. hircorum et vitulorum; *ibid.* aeterna ÷ inventa ÷ redemptione (*sic*). 13. adspersus. 14. inmaculatum; *ibid.* emundavit; *ibid.* conscientiam vestram ab operibus

lente, in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem [u] accipiant, qui vocati sunt aeternae haereditatis.

16. Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.

17. Testamentum enim in mortuis confirmatum est; alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est.

18. Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est.

19. Lecto enim omni mandato legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua et lana coccinea, et hyssopo, ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit,

20. dicens: „Hic sanguis te„stamenti, quod mandavit ad vos „Deus [v]“!

21. Etiam tabernaculum [w] et omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit;

22. et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur; et sine sanguinis effusione non fit remissio.

23. Necesse est ergo exemplaria [x] quidem coelestium his mundari; ipsa autem coelestia melioribus hostiis quam istis.

24. Non enim in manufacta Sancta Jesus introivit [y], exemplaria verorum; sed in ipsum coelum [z], ut appareat nunc vultui Dei pro nobis [a].

25. Neque ut saepe offerat semet ipsum, quemadmodum pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno;

26. alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi; nunc autem semel in consummatione saeculorum [b], ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit.

27. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium;

28. sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata [c]; secundo sine peccato apparebit exspectantibus se, in salutem.

CAP. X.

Novi foederis una hostia auferuntur peccata.

1. Umbram [d] enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum; per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, numquam potest accedentes perfectos facere.

2. Alioquin cessassent offerri; ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati cultores semel mundati.

3. Sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit;

4. impossibile enim est san-

[u] Rom. 3, 25. [v] Exod. 24, 6—8. [w] Exod. 29, 21. [x] c. 8, 5. [y] v. 6. 7.

[z] c. 8, 2. [a] 1 Joh. 2, 1. [b] 1 Cor. 10, 11. [c] c. 10, 12. [d] c. 8, 5. 7, 11. 19.

Cap. IX. 15. sub priore testamento. 16. testamentum (*deest* est). 17. enim testamentum. 18. unde ne primum quidem. 19. a Mose; *ibid.* hysopo. 22. paene; *ibid.* mundantur secundum legem; *ibid.* et sine sanguinis fusione. 24. non enim in manufactis Sanctis Jhesus introiit. 25. sepe (*sic*). 28. semel oblatus (*deest* est); *ibid.* exaurienda. X. 1. bonorum futurorum; *ibid.* isdem (*sic*). 4. inpossibile.

guine taurorum et hircorum auferri peccata.

5. Ideo ingrediens mundum dicit: „Hostiam et oblationem „noluisti; corpus autem aptasti „mihi;

6. „Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt;

7. „tunc dixi: Ecce venio[e]"; in capite libri scriptum est de me, „ut faciam, Deus! voluntatem tuam".

8. Superius dicens: „Quia hostias, et oblationes, et holocautomata pro peccato noluisti, „nec placita sunt tibi", quae secundum legem offeruntur,

9. tunc dixi: „Ecce! venio, „ut faciam, Deus! voluntatem tuam". Aufert primum, ut sequens statuat.

10. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel.

11. Et omnis quidem sacerdos praesto est quotidie ministrans[f], et easdem saepe offerens hostias, quae numquam possunt auferre peccata[g];

12. hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei.

13. De caetero exspectans „donec ponantur inimici ejus „scabellum pedum ejus"[h].

14. Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.

15. Contestatur autem nos et Spiritus Sanctus. Postquam enim dixit:

16. „Hoc autem testamentum „quod testabor ad illos post dies „illos, dicit Dominus, dando leges meas in cordibus eorum, et „in mentibus eorum superscribam eas;

17. „et peccatorum et iniquitatum eorum jam non recordabor amplius"[i].

18. Ubi autem horum remissio, jam non est oblatio pro peccato.

19. Habentes itaque, fratres! fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi,

20. quam initiavit nobis viam novam[k] et viventem per velamen, id est, carnem suam;

21. et sacerdotem magnum[l] super domum Dei[m];

22. accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi[n] corda a conscientia mala, et abluti[o] corpus aqua munda;

23. teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem (fidelis[p] enim est qui repromisit),

94. et consideremus[q] invicem in provocationem charitatis, et bonorum operum.

25. Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, et tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem[r].

26. Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia,

27. terribilis autem quaedam exspectatio judicii, et ignis ae-

e Ps. 39, 7. f c. 8, 3. g c. 9, 9. h c. 2, 8. 1 Cor. 15, 25. sqq.

i Jer. 31, 31—34. k c. 9, 6—8. l c. 4, 14. 16. m c. 3, 6. n c. 12, 24. o Eph. 5, 26. p c. 6, 17. q c. 3, 13. r v. 37. 2. c. 9, 28.

Cap. X. 6. holocaustomata et pro peccato non tibi placuit. 8. holocaustomata et pro peccato. 9. tunc dixit. 10. Jhesu Christi in semel. 11. cotidie. 12. sedit. 13. scabillum. 16. in mente eorum. 18. jam non oblatio pro peccato (*deest* est). 22. adspersi. 24. caritatis. 25. sicut est consuetudinis; *ibid.* adpropinquantem. 26. voluntariae (*sic*).

ulatio[s], quae consumptura est adversarios.

28. Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus[t] moritur.

29. Quanto magis putatis deteriora[u] mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit[v], et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui[w] gratiae contumeliam fecerit?

30. Scimus enim, qui dixit: „Mihi vindicta, et ego retribu- „am"[x]. Et iterum: „Quia ju- „dicabit Dominus populum su- „um"[y].

31. Horrendum est incidere in manus Dei viventis.

32. Rememoramini autem pristinos[z] dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum.

33. Et in altero quidem, opprobriis, et tribulationibus spectaculum facti; in altero autem socii[a] taliter conversantium effecti.

34. Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem[b] et manentem substantiam.

35. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem.

36. Patientia[c] enim vobis necessaria est; ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.

37. Adhuc enim modicum[d], aliquantulum, qui venturus est, veniet, et non tardabit.

38. „Justus autem meus ex fi- „de vivit; quod si subtraxerit se, „non placebit animae meae"[e].

39. Nos autem non sumus subtractionis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem animae.

CAP. XI.

Fidem commendat ex rebus gestis patrum, a mundi exordiis ad Davidem et prophetas.

1. Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium[f].

2. In hac enim testimonium consecuti sunt senes[g].

3. Fide intelligimus aptata esse saecula verbo Dei; ut ex invisibilibus[h] visibilia fierent.

4. Fide plurimam hostiam Abel[i], quam Cain, obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo, et per illam defunctus adhuc loquitur[k].

5. Fide Henoch[l] translatus est, ne videret mortem, et non inveniebatur; quia transtulit illum Deus; ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo.

6. Sine fide autem impossibile et placere Deo; credere enim

[s] c. 12, 29. [t] Deut. 17, 6. [u] c. 12, 25. [v] c. 6, 6. [w] Matth. 12, 31. [x] Deut. 32, 35. 36. [y] Ps. 134, 14. [z] v. 26. c. 6, 4. [a] Phil. 4, 14. [b] Matth. 6, 20. [c] Luc. 21, 19.

[d] 1 Petr. 1, 6. [e] Hab. 2, 4. Rom. 1, 17. [f] v. 7. 8. 13. [g] v. 4. 5. 39. [h] 2 Macc. 7, 28. [i] Gen. 4, 4. 10. [k] c. 12, 24. [l] Gen. 5, 24.

Cap. X. 28. Mosi; *ibid.* duobus vel tribus moritur (*deest* testibus). 30. mihi vindictam ego reddam; *ibid.* quia judicavit. 32. inluminati; *ibid.* sustenuistis. 33. obprobriis. 34. suscipistis. 37. quautulum qui venturus (*deest* est); *ibid.* tardavit. 39. adquisitionem. XI. 1. sperandorum (*deest* rerum); *ibid.*. non parentum. 3. intellegimus. 5. Enoch, *ibid.* testimonium habebat. 6. inpossibile.

oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.

7. Fide Noë[m], responso accepto de iis, quae adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suae, per quam damnavit mundum[n]; et justitiae, quae per fidem est, haeres est institutus.

8. Fide, qui vocatur Abraham[o] obedivit in locum exire, quem accepturus erat in haereditatem; et exiit, nesciens, quo iret.

9. Fide demoratus est in terra repromissionis, tamquam in aliena[p], in casulis habitando cum Isaac et Jacob, cohaeredibus repromissionis ejusdem.

10. Exspectabat enim fundamenta habentem civitatem[q], cujus artifex et conditor Deus.

11. Fide[r] et ipsa Sara[s] sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam praeter tempus aetatis, quoniam fidelem credidit esse eum, qui repromiserat.

12. Propter quod et ab uno orti sunt [et hoc emortuo[t]] tamquam sidera coeli[u] in multitudinem, et sicut arena, quae est ad oram maris, innumerabilis.

13. Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus[v], sed a longe eas aspicientes et salutantes, et confitentes, quia peregrini et hospites[w] sunt super terram.

14. Qui enim haec dicunt, significant se patriam inquirere.

15. Et si quidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi.

16. Nunc autem meliorem appetunt, id est, coelestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum[x]; paravit enim illis civitatem.

17. Fide obtulit Abraham Isaac[y], cum tentaretur, et unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones;

18. ad quem dictum est: „Quia „in Isaac vocabitur tibi semen"[z].

19. Arbitrans, quia et a mortuis suscitare potens[a] est Deus; unde eum et in parabolam accepit.

20. Fide et de futuris benedixit Isaac[b], Jacob et Esau.

21. Fide Jacob moriens singulos filiorum Joseph benedixit[c], et adoravit fastigium virgae ejus.

22. Fide Joseph[d] moriens de profectione filiorum Israël memoratus est, et de ossibus suis mandavit.

23. Fide Moyses[e] natus, occultatus est mensibus tribus a parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem, et non timuerunt regis edictum.

24. Fide Moyses grandis factus[f] negavit se esse filium filiae Pharaonis;

25. magis eligens affligi cum

[m] Gen. 6, 8 14. [n] 1 Petr. 3, 20. [o] Gen. 12, 1. 4. [p] Gen. 14, 13. 17, 8. [q] c. 12, 22. 4, 8—10. [r] Rom. 4, 18—21. [s] Gen. 21, 2. [t] Rom. 4, 19. [u] Gen. 15, 5. 22, 17. [v] v. 39. [w] Gen. 23, 4. 47, 9.

[x] Gen. 26, 24. Exod. 3, 6. Matth. 22, 32. [y] Gen. 22, 1—10. [z] Gen. 21, 12. Rom. 9, 7. [a] Rom. 4, 17. [b] Gen. 27, 27. [c] Gen. 48, 14—20. [d] Gen. 50, 24. sqq. [e] Exod. 2, 2. [f] Exod. 2, 11. 12.

Cap. XI. 6. remunerator fit. 7. de his. 8. oboedivit. 9. fide moratus est. 11. Sarra sterelis; *ibid.* esse qui promiserat (*deest* eum). 12. propter quod ab uno orti sunt (*deest* et). 13. supra terram. 15. et si quidem illius memminissent. 16. adpetunt. 17. cum temptaretur. 19. et in parabola. 22. Israhel. 23. Moses; *ibid.* eligantem. 24. Moses 25. adfligi.

opulo Dei, quam temporalis eccati habere jucunditatem;

26. majores divitias aestimans iesauro Aegyptiorum, improerium[g] Christi; aspiciebat enim ı remunerationem.

27. Fide reliquit Aegyptum[h], on veritus animositatem regis; ıvisibilem enim tamquam videns ustinuit.

28. Fide celebravit Pascha[i], t sanguinis effusionem, ne qui astabat primitiva, tangeret eos.

29. Fide transierunt mare ruırum[k], tamquam per aridam ter- ram; quod experti Aegyptii devorati sunt.

30. Fide muri Jericho[l] corruerunt, circuitu dierum septem.

31. Fide Rahab[m] meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.

32. Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon[n], Barac[o], Samson[p], Jephte[q], David, Samuel, et Prophetis;

33. qui per fidem vicerunt regna[r], operati sunt justitiam[s], adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum[t];

34. extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.

35. Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos[u]; alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem[v].

36. Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres;

37. lapidati[w] sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti;

38. quibus dignus non erat mundus; in solitudinibus[x] errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terrae.

39. Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem[y],

40. Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.

CAP. XII.

Majorum et Christi exemplo hortatur ad ferendas virili animo aerumnas.

1. Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen;

2. aspicientes[z] in auctorem[a] fidei, et consummatorem[b] Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contem-

[g] c. 13, 13. 2 Cor. 4, 10. [h] Exod. 5—11. [i] Exod. 12. [k] Exod. 14, 13. sqq. [l] Jos. 6, 20. [m] Jos. 2, 1. sqq. Jac. 2, 25. [n] Jud. 6, 11. [o] Jud. 4, 6. [p] Jud. 15, 20. [q] Jud. 11, 6. 9. [r] 2 Reg. 8. [s] 1 Reg. 12, 3—5. [t] Dan. 6, 22.

[u] 3 Reg. 17, 18. sqq. 4 Reg. 4, 21. sqq. [v] 2 Macc. 6, 18. sqq. 7, 3. sqq. [w] 2 Paral. 24, 21. [x] 1 Macc. 1, 56. 2, 28. [y] v. 35. 40. [z] c. 3, 1. [a] c. 2, 10. [b] c. 5, 9. 10.

Cap. XI. 27. fide reliquid (*sic*) Aegyptum. 30. Hiericho ruerunt circumiti dierum septem. 31. Raab; *ibid.* peribit (*sic*). 32. Baruc; *ibid.* Jephthe David et Samuhel et profetis. 33. devicerunt. 34. extinexerunt. 37. temptati sunt; *ibid.* circumierunt; *ibid.* adflicti. 38. et montibus et speluncis (*deest* in *altera vice*). 39. et hi omnes testimonium (*sic*). 40. ut ne sine nobis consummarentur. XII. 1. tantum; *ibid.* curramus propositum (*deest* ad).

pta, atque in dextera sedis Dei sedet.

3. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semet ipsum contradictionem, ut ne fatigemini[c], animis vestris deficientes.

4. Nondum enim usque ad sanguinem[d] restitistis, adversus peccatum repugnantes;

5. et obliti estis consolationis[e], quae vobis, tamquam filiis loquitur, dicens: Fili mi! noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris.

6. Quem enim diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit.

7. In disciplina perseverate! Tamquam filiis vobis offert se Deus; quis enim filius, quem non corripit pater?

8. Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes; ergo adulteri, et non filii[f] estis.

9. Deinde patres quidem carnis nostrae, eruditores habuimus et reverebamur eos; non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus?

10. Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundum voluntatem suam erudiebant nos; hic autem ad id, quod utile est, in recipiendo sanctificationem ejus.

11. Omnis autem disciplina in praesenti quidem videtur non esse gaudii, sed moeroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet justitiae.

12. Propter quod remissas manus[g] et soluta genua erigite,

13. et gressus rectos facite pedibus vestris; ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.

14. Pacem[h] sequimini cum omnibus, et sanctimoniam[i], sine qua nemo videbit Deum;

15. contemplantes ne quis desit gratiae Dei; ne qua radix[k] amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi.

16. Ne quis fornicator, aut profanus, ut Esau[l], qui propter unam escam vendidit primitiva sua.

17. Scitote enim, quoniam et postea cupiens haereditare benedictionem, reprobatus est; non enim invenit poenitentiae locum[m], quamquam cum lacrymis inquisisset eam.

18. Non enim accessistis ad tractabilem montem[n], et accensibilem ignem, et turbinem, et caliginem, et procellam,

19. et tubae sonum, et vocem verborum, quam qui audierunt, excusaverunt se, ne eis fieret verbum[o].

20. Non enim portabant quod dicebatur: „Et si bestia tetigerit „montem, lapidabitur“[p].

[c] c. 10, 35. [d] c. 11, 35. sqq. [e] Prov. 3, 11. 12. [f] Joh. 8, 41.

[g] Jes. 35, 3. [h] Rom. 12, 18. [i] Matth. 5, 8. [k] Deut. 29, 18. [l] Gen. 25, 33. [m] Gen. 27, 24—38. [n] Exod. 19, 12—16. [o] Exod. 19, 19. 20, 19. [p] Exod. 19, 12. 13.

Cap. XII. 3. adversum semetipsos. 4. nondum usque ad sanguinem (*deest* enim); *ibid.* adversum peccatum. 5. neglegere. 7. offert *Deus* (*deest* se). 9. habuimus eruditores et reverebamur (*deest* eos); *ibid.* multo magis obtemperavis (*in margine legitur adscriptum illud* non, *quod est in textu recepto ante* multo). 11. sed meroris; *ibid.* reddidit. 13. ut non claudicans erret (*deest* quis). 14. sanctimonia. 17. paenitentiae; *ibid.* lacrimis 18. ad tractabilem et accensibilem ignem (*deest* montem).

21. Et ita terribile erat quod idebatur: Moyses dixit: „Exterritus sum, et tremebundus".

22. Sed accessistis ad Sion[q] iontem, et civitatem Dei viven.s, Ierusalem[r] coelestem, et mul-)rum millium Angelorum fre-uentiam,

23. et ecclesiam primitivorum, ui conscripti sunt in coelis[s], et udicem omnium Deum, et spiritus justorum perfectorum;

24. et testamenti novi me-iatorem[t] Jesum, et sanguinis ispersionem[u] melius loquentem, uam Abel.

25. Videte, ne recusetis lo-quentem! Si enim illi non effugerunt, recusantes eum, qui super terram loquebatur; multo magis nos, qui de coelis[v] loquentem nobis avertimus.

26. Cujus vox movit terram tunc[w], nunc autem repromittit, dicens: „Adhuc semel: et ego „movebo non solum terram, sed „et coelum"[x].

27. Quod autem, „Adhuc semel", dicit; declarat mobilium translationem tamquam factorum, ut maneant ea, quae sunt immobilia.

28. Itaque regnum immobile[y] suscipientes, habemus gratiam, per quam serviamus placentes Deo, cum metu et reverentia.

29. Etenim Deus noster ignis consumens[z] est.

[q] Apoc. 14, 1. [r] Gal. 4, 26. Apoc. 21, 2. [s] Luc. 10, 20. [t] c. 8, 6. [u] 1 Petr. 1, 2. [v] c. 2, 2. 3. [w] Exod. 19, 18. [x] Hagg. 2, 7. [y] Dan. 2, 44. [z] Deut. 4, 24.

CAP. XIII.

Cavendum est a doctrina exterorum. Revocatur memoria veteris novique foederis hostiarum. Praefectis obtemperandum est.

1. Charitas fraternitatis maneat in vobis.

2. Et hospitalitatem[a] nolite oblivisci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis[b] hospitio receptis.

3. Mementôte vinctorum, tamquam simul vincti[c]; et laborantium, tamquam et ipsi in corpore morantes.

4 Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus. Fornicatores enim et adulteros[d] judicabit Deus.

5. Sint mores sine avaritia, contenti praesentibus; ipse enim dixit: „Non te deseram, neque „derelinquam"[e].

6. Ita, ut confidenter dicamus: „Dominus mihi adjutor; non ti„mebo, quid faciat mihi homo"[f].

7. Mementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum[g] conversationis, imitamini fidem.

8. Jesus Christus heri, et hodie; ipse et in saecula.

9. Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci! Optimum est enim gratia[h] stabilire cor; non escis, quae non profuerunt ambulantibus in eis.

[a] 1 Petr. 4, 9. [b] Gen. 18, 3. 19, 2. 3. [c] c. 10, 34. [d] Gal. 5, 19. 21. [e] Gen. 31, 6. [f] Ps. 117, 6. [g] Jac. 5, 10. [h] Gal. 5, 4.

Cap. XII. 21. Moses. 22. Hierusalem; *ibid.* milium; *ibid.* frequentiae. 23. et ecclesiarum primitivorum. 24. sparsionem. 25. avertimur. 26. modo autem repromittit dicens adhuc semel ego movebo (*deest* et). 27. inmobilia. 28. inmobile. 29. consu mens est (*una literula deleta est in codice, forsitan* m). XIII. 1. caritas. 4. conubium in omnibus et torus inmaculatus. 6. Dominus mihi adjutor est non. 9. optimum enim est gratia stabiliri cor; *ibid.* inambulantibus in eis.

10. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.

11. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra[i].

12. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam[k] passus est.

13. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus[l] portantes.

14. Non enim habemus hic manentem civitatem[m], sed futuram inquirimus.

15. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus.

16. Beneficentiae autem et communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus.

17. Obedite praepositis vestris, et subjacete eis! Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris redditari, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes; hoc enim non expedit vobis.

18. Orate pro nobis! confidimus enim, quia bonam conscientiam[n] habemus in omnibus bene volentes conversari.

19. Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius restituar vobis.

20. Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem[o] magnum ovium, in sanguine testamenti aeterni[p], Dominum nostrum Jesum Christum,

21. aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem; faciens in vobis quod placeat coram se per Jesum Christum; cui est gloria in saecula saeculorum. Amen.

22. Rogo autem vos, fratres! ut sufferatis verbum solatii. Etenim perpaucis scripsi vobis.

23. Cognoscite fratrem nostrum Timotheum[q] dimissum, cum quo (si celerius venerit) videbo vos.

24. Salutate omnes praepositos vestros, et omnes sanctos. Salutant vos de Italia fratres.

25. Gratia cum omnibus vobis. Amen.

[i] Lev. 16, 27. [k] Joh. 19, 17. [l] c. 12, 2. [m] c. 10, 10.

[n] 2 Cor. 1, 12. [o] 1 Petr. 2, 25. [p] c. 9. 11. sqq. [q] Col. 1, 1.

Cap. XIII. 13. inproperium. 17. oboedite. 19. depraecor; *ibid.* ut quo celerius restituar vobis. 20. Dominum nostrum Jhesum (*deest* Christum). 21. voluntatem ejus; *ibid.* faciens vobis (*deest* in); *ibid.* cui gloria in saecula (*deest* est). 22. sufferatis verbum solacii (*deest* ut). 24. salutant vos de Italia (*deest* fratres).

EPISTOLA JACOBI.

CAP. I.

De utilitate tentationum. Sapientia a Deo poscenda est. A Deo procedit omne bonum donum. Divina lex facto complenda est. Quae sit vera religio.

1. Jacobus, Dei et Domini nostri Jesu Christi servus, duodecim tribubus, quae sunt in dispersione, salutem.

2. Omne gaudium[a] existimate, fratres mei! cum in tentationes varias incideritis.

3. Scientes quod probatio fidei vestrae patientiam operatur.

4. Patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.

5. Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat[b]; et dabitur ei.

6. Postulet autem in fide nihil haesitans; qui enim haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur.

7. Non ergo aestimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino.

8. Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis.

9. Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua;

[a] Matth. 5, 11. Rom. 5, 3. [b] Matt. 7, 11.

10. dives autem in humilitate sua, quoniam sicut flos foeni[c] transibit.

11. Exortus est enim sol cum ardore, et arefecit foenum, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperiit; ita et dives in itineribus suis marcescet.

12. Beatus vir, qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae[d], quam repromisit Deus diligentibus se.

13. Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est; ipse autem neminem tentat.

14. Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus.

15. Deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem[e].

16. Nolite itaque errare, fratres mei dilectissimi!

17. Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio[f].

[c] Jes. 40, 6. [d] 2 Tim. 4, 8. [e] Rom. 6, 23. [f] 1 Tim. 6, 16.

Cap. I. 2. in temptationibus variis. 4. patientia opus perfectum habeat (*deest* autem). 5. sapientiam (*sic*); *ibid.* et non inproperat. 10. sicut flos faeni. 11. faenum. 12. temptationem quia. 13. nemo cum temptatur (*bis*); *ibid.* intemptator. 14. inlectus. 15. Dehinc.

18. Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis[g]; ut simus initium[h] aliquod creaturae ejus.

19. Scitis, fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum; tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram.

20. Ira enim viri justitiam Dei non operatur.

21. Propter quod abjicientes omnem immunditiam, et abundantiam malitiae[i], in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.

22. Estote autem factores[k] verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmet ipsos.

23. Quia si quis auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suae in speculo;

24. consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est, qualis fuerit.

25. Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis: hic beatus[l] in facto suo erit.

26. Si quis autem putat se religiosum esse, non refraenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.

27. Religio munda, et immaculata apud Deum et Patrem, haec est: Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum[m], et immaculatum se custodire ab hoc saeculo.

[g] Eph. 2, 10. 1 Petr. 1, 23. [h] Rom. 8, 23. [i] Rom. 13, 12. [k] Matth. 7, 21. [l] Matth. 7, 24. Joh. 13, 17. [m] 1 Cor. 13, 1. 2. Gal. 5, 6.

CAP. II.

Misericordia non verbis et gestibus, sed factis exercenda est. Fides sine operibus mortua est.

1. Fratres mei! nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriae[n].

2. Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem et pauper in sordido habitu,

3. et intendatis in eum, qui indutus est veste praeclara, et dixeritis ei: Tu sede hic bene! pauperi autem dicatis: Tu sta illic! aut: sede sub scabello pedum meorum!

4. Nonne judicatis apud vosmet ipsos, et facti estis judices cogitationum iniquarum?

5. Audite, fratres mei dilectissimi! nonne Deus elegit pauperes[o] in hoc mundo, divites in fide, et haeredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?

6. Vos autem exhonorastis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad judicia?

7. Nonne ipsi blasphemant bonum nomen, quod invocatum est super vos?

8. Si tamen legem perficitis regalem secundum scripturas: „Diliges proximum tuum sicut „te ipsum"[p]; bene facitis.

[n] 1 Cor. 2, 8. [o] 1 Cor. 1 26. [p] Lev. 19, 18. Matth. 22, 39.

Cap. I. 18. voluntariae (*sic*); *ibid.* ut simus aliquod initium. 19. dilecti. 21. abicientes omnem inmunditiam; *ibid.* insitum verbum Dei 23. conparabitur. 25. in lege perfecta libertatis. 27. religio autem munda et inmaculata apud Deum et patrem haec est; *ibid.* inmaculatum. II. 2. in conventu vestro; *ibid.* anulum. 3. sub scabillo. 5. regni quod promisit Deus. 6. et ipsi adtrahunt.

9. Si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quasi transgressores.
10. Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus[q].
11. Qui enim dixit: „Non „moechaberis", dixit et: „Non „occides". Quod si non moechaberis, occides autem, factus es transgressor legis.
12. Sic loquimini, et sic facite, sicut per legem libertatis incipientes judicari.
13. Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam[r]; superexaltat autem misericordia judicium.
14. Quid proderit, fratres mei! si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum?
15. Si autem frater et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano,
16. dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini et saturamini! non dederitis autem eis, quae necessaria sunt corpori; quid proderit?
17. Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semet ipsa.
18. Sed dicet quis: Tu fidem habes, et ego opera habeo; ostende mihi fidem tuam sine operibus; et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.
19, Tu credis, quoniam unus est Deus; bene facis, et daemones credunt, et contremiscunt.
20. Vis autem scire, o homo inanis! quoniam fides sine operibus mortua est?

[q] Deut. 27, 26. [r] Matth. 7, 2.

21. Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens[s] Isaac filium suum super altare?
22. Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius; et ex operibus fides consummata est.
23. Et suppleta est Scriptura, dicens: „Credidit Abraham Deo, „et reputatum est illi ad justi„tiam, et amicus Dei appellatus „est"[t].
24. Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum[u]?
25. Similiter et Rahab[v] meretrix, nonne ex operibus justificata est, suscipiens nuncios, et alia via ejiciens?
26. Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.

CAP. III.

De malis linguae usu oriundis. Quo cernatur terrenam inter et coelestem sapientiam discrimen.

1. Nolite plures magistri fieri, fratres mei! scientes, quoniam majus judicium sumitis.
2. In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit; hic perfectus est vir. Potest etiam fraeno circumducere totum corpus.
3. Si autem equis fraena in ora mittimus ad consentiendum nobis, et omne corpus illorum circumferimus.
4. Ecce! et naves, cum magnae sint, et a ventis validis mi-

[s] Gen. 22, 9—12. Rom. 4, 2. sqq. [t] Gen. 15, 6. [u] 1 Cor. 13, 1. 2. [v] Jos. 2, 4. Hebr. 11, 31.

Cap. II. 13. misericordia judicio. 15. si autem frater aut soror; *ibid.* victu cotidiano. 16. de vobis illis; *ibid.* caleficamini; *ibid.* corporis. 18. sed dicet aliquis. 19. et contremescunt. 20. otiosa est. 25. Raab; *ibid.* nuntios; *ibid.* eiciens. III. 2. circumducere freno. 3. frenos in ora.

nentur, circumferuntur a modico gubernaculo, ubi impetus dirigentis voluerit.

5. Ita et lingua modicum quidem membrum est, et magna exaltat. Ecce! quantus ignis, quam magnam silvam incendit!

6. Et lingua ignis est, universitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quae maculat totum corpus, et inflammat rotam nativitatis nostrae inflammata a gehenna.

7. Omnis enim natura bestiarum et volucrum, et serpentium, et caeterorum domantur, et domita sunt a natura humana;

8. linguam autem nullus hominum domare potest; inquietum malum, plena veneno mortifero.

9. In ipsa benedicimus Deum et Patrem; et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt.

10. Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio. Non oportet, fratres mei! haec ita fieri.

11. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam?

12. Numquid potest, fratres mei, ficus uvas facere, aut vitis ficus? Sic neque salsa dulcem potest facere aquam.

13. Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiae.

14. Quod si zelum amarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris; nolite gloriari, et mendaces esse adversus veritatem.

15. Non est enim ista sapientia desursum descendens; sed terrena, animalis, diabolica.

16. Ubi enim zelus et contentio; ibi inconstantia et omne opus pravum.

17. Quae autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, et fructibus bonis, non judicans, sine simulatione.

18. Fructus autem justitiae in pace seminatur, facientibus pacem.

CAP. IV.

Diabolo resiste, Deo voluntate animoque propinquum te fac, amori christiano stude.

1. Unde bella et lites in vobis? nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quae militant in membris vestris?

2. Concupiscitis, et non habetis; occiditis, et zelatis, et non potestis adipisci; litigatis, et belligeratis, et non habetis, propter quod non postulatis.

3. Petitis, et non accipitis; eo quod male petatis; ut in concupiscentiis vestris insumatis.

4. Adulteri! nescitis, quia amicitia hujus mundi inimica est Dei[w]? Quicumque ergo voluerit amicus esse saeculi hujus, inimicus Dei constituitur.

5. An putatis, quia inaniter Scriptura dicat: Ad invidiam concupiscit spiritus, qui habitat in vobis?

[w] Joh. 15, 19. Rom. 8, 7.

Cap. III. 7. ceterorumque domantur et domata sunt. 13. in mansuetudinem. 14. contentiones in cordibus vestris (*deest* sint). 15. non est ista sapientia (*deest* enim). 17. suadibilis plena misericordia (*deest* bonis consentiens). IV. 1. lites inter vos nonne ex concupiscentiis (*deest* hinc). 3. accipietis.

6. Majorem autem dat gratiam. Propter quod dicit: „Deus „superbis resistit, humilibus autem dat gratiam“ [x].

7. Subditi ergo estote Deo; resistite autem diabolo, et fugiet a vobis.

8. Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores; et purificate corda, duplices animo.

9. Miseri estote, et lugete, et plorate; risus vester in luctum convertatur, et gaudium in moerorem.

10. Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos.

11. Nolite detrahere alterutrum, fratres! Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, et judicat legem. Si autem judicas legem, non es factor legis, sed judex.

12. Unus est legislator et judex, qui potest perdere et liberare.

13. Tu autem quis es, qui judicas proximum? Ecce! nunc, qui dicitis: „Hodie aut crastino „ibimus in illam civitatem, et fa„ciemus ibi quidem annum, et „mercabimur, et lucrum facie„mus“.

14. Qui ignoratis, quid erit in crastino [y].

15. Quae est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur, pro eo ut dicatis: „Si Dominus voluerit“ [z]. Et: „Si vixerimus, fa„ciemus hoc, aut illud“.

16. Nunc autem exultatis in superbiis vestris. Omnis exultatio talis maligna est.

17. Scienti igitur bonum facere, et non facienti, peccatum est illi [a].

[x] Prov. 3, 34. [y] Luc. 12, 16—20.

CAP. V.

De divitibus pauperes opprimentibus. Fuge jusjurandum. Infirmi presbyterorum manu oleo ungantur, et delicta recitent.

1. Agite nunc, divites! plorate [b] ululantes in miseriis vestris, quae advenient vobis.

2. Divitiae vestrae putrefactae sunt; et vestimenta vestra a tineis comesta sunt.

3. Aurum et argentum vestrum aeruginavit; et aerugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras, sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus [c].

4. Ecce! merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quae fraudata est a vobis, clamat; et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.

5. Epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra in die occisionis [d].

6. Addixistis et occidistis justum, et non restitit vobis.

7. Patientes igitur estote, fra-

[z] Act. 18, 21. [a] Luc. 12, 47. [b] Luc. 6, 24. [c] v. 5. [d] 2 Petr. 2, 12. Jer. 46, 21.

Cap. IV. 7. subditi igitur. 8. adpropinquate Deo et adpropinquavit vobis. 9. merorem. 10. exaltavit. 13. et faciemus quidem ibi annum. 14. quid sit in crastinum. 15. quae enim est vita vestra; *ibid.* si Dominus voluerit et vixerimus faciemus hoc aut illud. V. 1. in miseriis quae advenient vobis (*deest* vestris). 2. putraefactae. 3. eruginavit et erugo; *ibid.* thesaurizastis iram (*deest* vobis). 4. qui fraudatus est (*sic*); *ibid.* et clamor ipsorum in aures Domini Sabaoth introivit. 5. in diem occisionis. 6. adduxistis occidistis justum (*deest* et); *ibid.* et non resistit vobis.

tres! usque ad adventum Domini. Ecce! agricola exspectat pretiosum fructum terrae, patienter ferens donec accipiat temporaneum et serotinum.

8. Patientes igitur estote et vos, et confirmate corda vestra! quoniam adventus Domini appropinquavit[e].

9. Nolite ingemiscere, fratres! in alterutrum, ut non judicemini. Ecce! judex ante januam assistit.

10. Exemplum accipite, fratres! exitus mali, laboris et patientiae, prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini.

11. Ecce! beatificamus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, et miserator.

12. Ante omnia autem, fratres mei! nolite jurare[f], neque per coelum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester: Est, est! Non, non! ut non sub judicio decidatis.

13. Tristatur aliquis vestrum? oret! Aequo animo est? psallat!

14. Infirmatur quis in vobis; inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo[g] in nomine Domini;

15. et oratio fidei salvabit infirmum[h], et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei.

16. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio justi assidua.

17. Elias homo erat similis nobis passibilis, et oratione oravit, ut non plueret super terram, et non pluit annos tres et menses sex.

18. Et rursum oravit; et coelum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum.

19. Fratres mei! si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum;

20. scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.

[e] Matth. 24, 34. [f] Matth. 5, 34—37. [g] Marc. 6, 13. [h] Act. 28, 8.

Cap. V. 7. expectat praetiosum. 8. patientes estote et vos (*deest* igitur) confirmate (*deest* et) corda vestra; *ibid.* adpropinquabit. 9. ingemescere; *ibid.* adsistit. 10. fratres laboris et patientiae (*desunt verba* exitus mali); *ibid.* per prophetas qui locuti sunt. 11. beatificamus, qui sustinuerunt (*deest* eos); *ibid.* est Dominus. 13. Tristatur aliquis vestrum | oret aequo animo et psallat. 14. praesbyteros. 15. allevabit; *ibid.* dimittentur ei. 16. depraecatio justi adsidua. 17. Helias. 18. et rursus. 20. ab errore vitae suae; *ibid.* a morte et cooperit.

EPISTOLA PETRI I.

CAP. I.

De vocatione ad fidem et vitam aeternam, quam prophetae praedixere.

1. Petrus Apostolus Jesu Christi, electis advenis dispersionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae, et Bithyniae,

2. secundum praescientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam, et aspersionem sanguinis Jesu Christi. Gratia vobis, et pax multiplicetur.

3. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam[a], per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis,

4. in haereditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in coelis in vobis,

5. qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo[b].

6. In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus;

7. ut probatio vestrae fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem, in revelatione Jesu Christi;

8. quem cum non videritis, diligitis; in quem nunc quoque non videntes creditis; credentes autem exultabitis laetitia inenarrabili, et glorificata,

9. reportantes finem fidei vestrae, salutem animarum.

10. De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt prophetae[c], qui de futura in vobis gratia prophetaverunt.

11. Scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, praenuncians eas, quae in Christo sunt passiones et posteriores glorias.

12. Quibus revelatum est, quia non sibimet ipsis, vobis autem ministrabant ea, quae nunc nunciata sunt vobis per eos, qui evangelizaverunt vobis, Spiritu sancto misso de coelo, in quem desiderant Angeli prospicere.

13. Propter quod succincti lumbos mentis vestrae, sobrii perfecte sperate in eam, quae offertur vobis, gratiam, in revelationem Jesu Christi.

[a] 1 Thess. 4, 13. [b] Phil. 1, 6. [c] Matth. 13, 17.

Cap. I. 1. Bythiniae. 2. oboedientiam. 3. qui secundum magnam misericordiam suam. 4. vobis (*deest* in). 6. in quo exultatis; *ibid.* temptationibus. 7. praetiosior sit auro; *ibid.* in revelationem Jhesu Christi
8. in quem nunc quoque non videntes creditis quem cum non videritis exultabitis (*sic*). 9. salutem animarum vestrarum. 11. praenuntians. 12. sibi ipsis; *ibid.* adnuntiata sunt.

14. Quasi filii obedientiae, non configurati prioribus ignorantiae vestrae desideriis;

15. sed secundum eum, qui vocavit vos, Sanctum, et ipsi in omni conversatione sancti sitis.

16. Quoniam scriptum est: „Sancti eritis, quoniam ego san-„ctus sum"[d].

17. Et si patrem invocatis eum qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini,

18. scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis;

19. sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi, et incontaminati[e],

20. praecogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem novissimis temporibus propter vos,

21. qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitavit eum a mortuis, et dedit ei gloriam, ut fides vestra, et spes[f] esset in Deo.

22. Animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius;

23. renati[g] non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi et permanentis in aeternum.

24. Quia „omnis caro ut foe-„num, et omnis gloria ejus tam-„quam flos foeni; exaruit foe-„num, et flos ejus decidit"[h];

25. verbum autem Domini manet in aeternum; hoc est autem verbum, quod evangelizatum est in vos.

d Lev. 11, 44. 19, 2. e Joh. 1, 29. 1 Cor. 6, 20. f v. 3. g Joh. 1, 13.

h Jes. 40, 6—8.

CAP. II.

Credentes sunt genus hominum electum. A rebus mundanis abstinendum est. Superioribus hujus mundi obedientiam praestemus.

1. Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones,

2. sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.

3. Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus.

4. Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum.

5. Et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.

6. Propter quod continet Scriptura: „Ecce! pono in Sion la-„pidem summum angularem, ele-„ctum, pretiosum; et qui credi-„derit in eum, non confunde-„tur"[i].

7. Vobis igitur honor credentibus; non credentibus autem

i Jes. 28, 16.

Cap. I. 14. oboedientiae. 15. et ipsi sancti in omni conversatione sitis. 16. sancti estote, quia et ego sanctus sum. 19. praetioso; *ibid.* inmaculati et incontaminati Jhesu Christi. 20. ante constitutionem mundi. 22. oboedientiam caritatis. 24. faenum; *ibid.* faeni; *ibid.* faenum; *ibid.* et flos decidit (*deest* ejus). 25. in vobis. II. 2. rationabile et sine dolo. 3. gustatis. 5. domus spiritalis; *ibid.* spiritales hostias. 6. praetiosum et omnis qui crediderit in eo.

ιpis, quem reprobaverunt ae-
ificantes, hic factus est in ca-
ut anguli"[k].
8. Et lapis offensionis, et pe-
ι scandali his, qui offendunt
rbo, nec credunt, in quo et po-
i sunt.
9. Vos autem genus electum,
gale sacerdotium, gens sancta,
›pulus acquisitionis; ut virtu-
s annuncietis ejus, qui de tene-
·is vos vocavit in admirabile lu-
en suum.
10. Qui aliquando non popu-
ιs, nunc autem populus Dei[l];
ui non consecuti misericordiam,
unc autem misericordiam con-
ecuti.
11. Charissimi! obsecro vos
amquam advenas et peregrinos
bstinere vos a carnalibus desi-
ιeriis, quae militant adversus
ιnimam.
12. Conversationem vestram
nter Gentes habentes bonam, ut
n eo, quod detrectant de vobis
tamquam de malefactoribus, ex
bonis operibus vos consideran-
tes, glorificent Deum in die visi-
tationis.
13. Subjecti[m] igitur estote
omni humanae creaturae propter
Deum; sive regi quasi praecel-
lenti;
14. sive ducibus tamquam ab
eo missis ad vindictam malefacto-
rum, laudem vero bonorum.
15. Quia sic est voluntas Dei,
ut benefacientes obmutescere fa-
ciatis imprudentium hominum
ignorantiam;
16. quasi liberi, et non quasi
velamen habentes malitiae liber-
tatem, sed sicut servi Dei.
17. Omnes honorate; fraterni-
tatem diligite; Deum timete; re-
gem honorificate.
18. Servi! subditi estote in
omni timore dominis, non tan-
tum bonis et modestis, sed etiam
dyscolis.
19. Haec est enim gratia, si
propter Dei conscientiam sustinet
quis tristitias, patiens injuste.
20. Quae enim est gloria, si
peccantes et colaphizati suffer-
tis? Sed si bene facientes patien-
ter sustinetis; haec est gratia
apud Deum.
21. In hoc enim vocati estis:
quia et Christus passus est pro
nobis, vobis relinquens exem-
plum, ut sequamini vestigia ejus.
22. „Qui peccatum non fecit,
„nec inventus est dolus in ore
„ejus"[n].
23. Qui cum malediceretur,
non maledicebat; cum patere-
tur[o], non comminabatur; trade-
bat autem judicanti se injuste.
24. Qui peccata nostra ipse
pertulit in corpore suo super li-
gnum; ut peccatis mortui, justi-
tiae vivamus; cujus livore sanati
estis[p].
25. Eratis enim sicut oves er-

[k] Ps. 117, 22. Matth. 21, 42. 1 Cor. 1, 23. [l] Rom. 9, 25. [m] Rom. 13, 1. 2. [n] Jes. 53, 9. [o] Joh. 18, 23. [p] Jes. 53, 4. 5.

Cap. II. 9. populus adquisitionis; *ibid.* adnuntietis. 11. obsecro tamquam (*deest* vos). 12. in eo quod detrahunt. 13. subjecti estote (*deest* igitur). 14. ad vindictam malorum. 15. inprudentium. 18. servi subditi in omni timore (*deest* estote); *ibid.* discolis. 19. conscientiam Dei; *ibid.* qui^s tristitias (*sic*). 20. quae enim gloria est; *ibid.* patientes sustinetis. 21. pro vobis relinquens vobis exemplum. 22. nec dolus inventus est. 23. se judicanti. 24. ut peccatis mortui per lignum viveremus (*sic*).

rantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.

CAP. III.

De ornatu feminarum. Hortatur ad varias virtutes. Baptismo salus impertitur.

1. Similiter et mulieres subditae sint viris suis; ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant,

2. considerantes in timore castam conversationem vestram.

3. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus;

4. sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.

5. Sic enim aliquando et sanctae mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subjectae propriis viris:

6. sicut Sara obediebat Abrahae, „dominum" eum vocans; cujus estis filiae benefacientes, et non pertimentes ullam perturbationem.

7. Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tamquam et cohaeredibus gratiae vitae; ut non impediantur orationes vestrae.

8. In fine autem, omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, m desti, humiles.

9. Non reddentes malum p malo, nec maledictum pro mal dicto; sed e contrario bene centes[q]; quia in hoc vocati esti ut benedictionem haeredita possideatis.

10. „Qui enim vult vitam d „ligere, et dies videre bon „coërceat linguam suam a mal „et labia ejus ne loquantur do „lum.

11. „Declinet a malo, et fa „ciat bonum; inquirat pacem, e „sequatur eam,

12. „quia oculi Domini super „justos, et aures ejus in prece „eorum; vultus autem Domini „super facientes mala"[r].

13. Et quis est, qui vobis noceat, si boni aemulatores fueritis?

14. Sed et si quid patimini propter justitiam, beati! Timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini.

15. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quae in vobis est, spe.

16. Sed cum modestia et timore, conscientiam habentes bonam; ut in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem.

17. Melius est enim benefa-

[q] Matth. 5, 39. sqq. [r] Ps. 33, 13. sqq.

Cap. III. 1. suis viris. 3. quarum sit non. 4. cordis est homo; *ibid.* quod est in conspectu Dei locuplex (*sic*). 5. sperantes in Domino. 6. Sarra oboedivit; *ibid.* et non timentes. 7. infirmiori vaso muliebri inpertientes; *ibid.* ut ne. 8. in fide; *ibid.* conpatientes; *ibid.* misericordes humiles (*deest* modesti). 9. vel maledictum. 10. et videre dies bonos coherceat. 11. declinet ÷ a malo (*in margine scriptum est* autem). 12. praeces. 16. detrahunt de vobis.

entes (si voluntas Dei velit) ati, quam malefacientes.

18. Quia et Christus semel pro eccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret leo, mortificatus quidem carne, ivificatus autem spiritu.

19. In quo et his, qui in carere erant, spiritibus veniens raedicavit,

20. qui increduli fuerant aliuando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noë, um fabricaretur arca, in qua auci, id est octo animae salvae actae sunt per aquam.

21. Quod et vos nunc similis formae salvos facit baptisma; non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi,

22. qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitae aeternae haeredes efficeremur; profectus in coelum, subjectis sibi angelis, et potestatibus, et virtutibus.

CAP. IV.

Fugienda est repetitio peccatorum. Virtuti nos demus et in vexationibus gaudeamus.

1. Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini; quia qui passus est in carne desiit a peccatis;

2. ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis.

3. Sufficit enim praeteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam, his, qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus, et illicitis idolorum cultibus.

4. In quo admirantur non concurrentibus vobis in eamdem luxuriae confusionem, blasphemantes[s].

5. Qui reddent rationem ei, qui paratus est judicare vivos et mortuos.

6. Propter hoc enim et mortuis evangelizatum est; ut judicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in Spiritu.

7. Omnium autem finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus!

8. Ante omnia autem, mutuam in vobismet ipsis charitatem continuam habentes, quia charitas[t] operit multitudinem peccatorum.

9. Hospitales invicem sine murmuratione!

10. Unusquisque, sicut accepit gratiam[u], in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei.

11. Si quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam admi-

[s] Act. 13, 45. [t] Luc. 7, 47. [u] Rom. 12, 6. 7. sqq.

Cap. III. 17. si velit voluntas Dei. 18. pro peccatis nortuus est (*deest* nostris); *ibid.* mortificatos carne vivificatos autem spiritu (*vocabulum* vivificatus *consulto mutatum est in* vivificatos). 20. expectabat Dei clementia. IV. 1. quia qui passus est carne (*deest* in); *ibid.* desit a peccatis. 2. ut jam non hominum desideriis. 3. qui ambulaverunt (*deest* his); *ibid.* in desideriis; *ibid.* comesationibus; *ibid* et inlicitis. 4. ammirantur. 7. adpropinquabit. 8. ante omnia mutuam (*deest* autem); *ibid.* in vosmet ipsos caritatem habentes continuam quia caritas cooperit. 10. accipit.

nistrat Deus; ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum, cui est gloria et imperium in saecula saeculorum, Amen.

12. Charissimi! nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat;

13. sed communicantes Christi passionibus gaudete[v], ut et in revelatione gloriae ejus gaudeatis exultantes.

14. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis; quoniam quod est honoris, gloriae, et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus, super vos requiescit.

15. Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.

16. Si autem ut Christianus, non erubescat; glorificet autem Deum in isto nomine.

17. Quoniam tempus est, ut incipiat judicium a domo Dei. Si autem primum a nobis; quis finis eorum, qui non credunt Dei evangelio?

18. Et si justus vix salvabitur, impius et peccator, ubi parebunt?

19. Itaque et hi, qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.

[v] c. 1, 6. sqq. Act. 5, 41.

CAP. V.

Seniores verbo et exemplo gregem Dei pascant, his juniores sint subditi. Hortatur omnes, ut humiles, sobrii, forti animo vivant.

1. Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior et testis Christi passionum, qui et ejus, quae in futuro revelanda est, gloriae communicator.

2. Pascite, qui in vobis est gregem Dei[w], providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie;

3. neque ut dominantes[x] in cleris, sed forma facti gregis ex animo.

4. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam.

5. Similiter, adolescentes, subditi estote senioribus! Omnes autem invicem humilitatem insinuate! quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

6. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.

7. Omnem solicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.

8. Sobrii estote, et vigilate; quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens, quem devoret,

9. cui resistite fortes in fide,

[w] Act. 20, 28. [x] Luc. 22, 25. 26.

Cap. IV. 11 in saecula. Amen (*deest* saeculorum). 12. carissimi; *ibid.* temtationem. 13. ut et in revelationem. 14. quoniam gloriae Dei spiritus in vobis requiescit ab aliis blasphematus a vobis autem honorificatus (*sic, desunt verba* quod est honoris — et virtutis — et qui est ejus) 15. nemo enim vestrum patiatur quasi homicida. 17. tempus ut incipiat (*deest* est); *ibid.* de domu Dei; *ibid.* qui finis. 19. itaque et hii (*sic*); *ibid* commendant. V. 2. qui est in vobis; *ibid.* non coactos sed spontaneae (*sic*). 3. sed formefacti gregi. 4. inmarcescibilem. 5. adulescentes 7. sollicitudinem; *ibid.* proicientes. 8. vigilate (*deest* et). 9. fortes fide (*deest* in).

cientes eamdem passionem ei, uae in mundo est, vestrae fraernitati fieri.

10. Deus autem omnis gratiae, ui vocavit nos in aeternam suim gloriam in Christo Jesu, molicum passos ipse perficiet, conirmabit, solidabitque.

11. Ipsi gloria, et imperium in aecula saeculorum. Amen.

12. Per Silvanum[y] fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter scripsi; obsecrans et contestans, hanc esse veram gratiam Dei, in qua statis.

13. Salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone coëlecta, et Marcus filius meus.

14. Salutate invicem in osculo sancto[z]. Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo Jesu. Amen.

[y] Act. 15, 22.

[z] Rom. 16, 16.

EPISTOLA PETRI II.

CAP. I.

Per varias adscendendum est virtutes. Praesagit apostolus, se brevi moriturum, suaeque doctrinae veritatem firmitatemque probat.

1. Simon Petrus, servus et Apostolus Jesu Christi, iis, qui coaequalem nobiscum sortiti sunt fidem in justitia Dei nostri, et Salvatoris Jesu Christi.

2. Gratia vobis, et pax adimpleatur in cognitione Dei, et Christi Jesu Domini nostri.

3. Quomodo omnia nobis divinae virtutis suae, quae ad vitam et pietatem donata sunt, per cognitionem ejus, qui vocavit nos propria gloria et virtute,

4. per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit; ut per haec efficiamini divinae consortes naturae; fugientes ejus, quae in mundo est, concupiscentiae corruptionem.

5. Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam,

6. in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem,

7. in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.

8. Haec enim si vobiscum adsint et superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione.

Cap. V. 9. fraternitatis fieri (*sic*). 10. confirmavit solidabitque. 11. Ipsi imperium in saecula saeculorum. Amen (*desunt verba* gloria et). 12. vobis fidelem fratrem; *ibid.* in qua et stati (*sic*). 13. conelecta. 14. *Deest* Amen.

Cap. I. 1. his qui coaequalem nobis. 2. in agnitione Domini nostri (*desunt verba* Dei et Christi Jesu). 3. donata est. 4. perquam maxima et praetiosa. 7. caritatem. 8. haec autem omnia si vobiscum.

9. Cui enim non praesto sunt haec, caecus est, et manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.

10. Quapropter, fratres! magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. Haec enim facientes, non peccabitis aliquando.

11. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in aeternum regnum Domini nostri, et Salvatoris Jesu Christi.

12. Propter quod incipiam vos semper commonere de his, et quidem scientes et confirmatos vos in praesenti veritate.

13. Justum autem arbitror quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione;

14. certus quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod et Dominus noster Jesus Christus significavit mihi.

15. Dabo autem operam et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.

16. Non enim doctas[a] fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et praesentiam; sed speculatores facti illius magnitudinis.

17. Accipiens enim a Deo Patre honorem, et gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: „Hic est Filius „meus dilectus, in quo mihi com„placui, ipsum audite“[b].

18. Et hanc vocem nos audivimus de coelo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto.

19. Et habemus firmiorem propheticum sermonem; cui benefacitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.

20. Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit.

21. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.

CAP. II.

De falsorum prophetarum poena et de pravis moribus.

1. Fuerunt vero et pseudoprophetae[c] in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum, qui emit eos, Dominum negant; superducentes sibi celerem perditionem.

2. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur.

3. Et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur; quibus judicium jam olim non cessat; et perditio eorum non dormitat.

4. Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit; sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari.

5. Et originali mundo non pepercit; sed octavum Noë justitiae

[a] 1 Cor. 2, 1. [b] Matth. 17, 1. sqq.

[c] Matth. 24, 11. Act. 20, 29. 30.

Cap. I. 9. temptans. 10. magis agite. 12. et confirmatos (*deest* vos). 13. quandiu. 16. virtutem sed (*desunt verba* et praesentiam). 17. conplacui (*desunt verba* ipsum audite). 19. profeticum; *ibid.* adtendentes; *ibid.* lucescat. 20. intellegentes; *ibid.* interpraetatione. II. 1. qui inducent. 2. et multi sequuntur. 4. sed rugientibus inferni; *ibid.* in judicium cruciandos reservari.

aeconem custodivit, diluvium
ındo impiorum inducens.

6. Et civitates Sodomorum, et
›morrhaeorum in cinerem red-
ens, eversione damnavit; ex-
ıplum eorum, qui impie acturi
nt, ponens.

7. Et justum Lot oppressum a
fandorum injuria, ac luxurio-
conversatione eripuit.

8. Aspectu enim et auditu ju-
us erat; habitans apud eos, qui
die in diem animam justam
ıiquis operibus cruciabant.

9. Novit Dominus pios de ten-
ıtione eripere; iniquos vero in
iem judicii reservare crucian-
os;

10. magis autem eos, qui post
arnem in concupiscentia im-
ıunditiae ambulant, dominatio-
ıemque contemnunt, audaces, si-
i placentes, sectas non metuunt
ntroducere blasphemantes;

11. ubi angeli fortitudine et
irtute cum sint majores, non
ortant adversum se execrabile
udicium.

12. Hi vero velut irrationabi-
lia pecora, naturaliter in captio-
ıem et in perniciem in his, quae
ignorant blasphemantes in cor-
ruptione sua peribunt,

13. percipientes mercedem in-
justitiae, voluptatem existiman-
tes diei delicias; coinquinationes
et maculae, deliciis affluentes, in
conviviis suis luxuriantes vobis-
cum,

14. oculos habentes plenos ad-
ulterii, et incessabilis delicti;
pellicientes animas instabiles, cor
exercitatum avaritia habentes,
maledictionis filii!

15. Derelinquentes rectam vi-
am erraverunt, secuti viam Ba-
laam ex Bosor, qui mercedem
iniquitatis amavit;

16. correptionem vero habuit
suae vesaniae. Subjugale mu-
tum animal, hominis voce lo-
quens[d], prohibuit prophetae in-
sipientiam.

17. Hi sunt fontes sine aqua,
et nebulae turbinibus exagitatae,
quibus caligo tenebrarum reser-
vatur.

18. Superba enim vanitatis
loquentes, pelliciunt in desideriis
carnis, luxuriae, eos qui paulu-
lum effugiunt, qui in errore con-
versantur.

19. Libertatem illis promit-
tentes, cum ipsi servi sint corru-
ptionis[e]; a quo enim quis supe-
ratus est, hujus et servus est.

20. Si enim refugientes coin-
quinationes mundi in cognitione
Domini nostri, et Salvatoris Je-
su Christi, his rursus implicati
superantur; facta sunt eis poste-
riora deteriora prioribus[f].

21. Melius enim erat illis non
cognoscere viam justitiae, quam

[d] Num. 22, 22—34. [e] Joh. 8, 34. Rom. 6, 16. [f] Matth. 12, 43—45.

Cap. II. 6. Gomorraeorum. 7. Loth oppressum a nefandorum injuria conversatione eruit (*desunt verba* ac luxuriosa). 9. temptatione; *ibid.* cruciandos reservare. 10. inmunditiae; *ibid.* sectas non metuunt faeere blasphemantes. 12. in corruptione sua et peribunt. 13. injustitiae voluntatem existimantes diei dilicias coinquinationis et maculae diliciis affluentes in conviviis (*deest* suis) affluentes. 14. adulterio et incessabili delicto pellicentes. 15. secuti sunt. 16. vaesaniae; *ibid.* subjugale mutum in hominis voce loquens (*deest* animal). 17. exagitate (*sic* e *pro* ae).

18. superbia enim; *ibid.* pellicent. 19. qui superatus (*sic*). 20. coinquinationis mundi; *ibid.* inplicati.

post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato.

22. Contigit enim eis illud veri proverbii: Canis reversus ad suum vomitum; et: Sus lota in volutabro luti.

CAP. III.

De futura mundi instauratione Domini adventu repentino. Laudatio scriptorum Pauli.

1. Hanc ecce vobis, charissimi! secundam scribo epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem;

2. ut memores sitis eorum, quae praedixi verborum a sanctis Prophetis, et Apostolorum vestrorum, praeceptorum Domini et Salvatoris.

3. Hoc primum scientes, quod venient in novissimis diebus, in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes,

4. dicentes: Ubi est promissio, aut adventus ejus? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturae.

5. Latet enim eos hoc volentes, quod coeli erant prius et terra, de aqua et per aquam consistens Dei verbo,

6. per quae, ille tunc mundus aqua inundatus periit.

7. Coeli autem, qui nunc sunt, et terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii, et perditionis impiorum hominum.

8. Unum vero hoc non lateat vos, charissimi! quia unus dies apud Dominum sicut mille anni et mille anni sicut dies unus.

9. Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant; sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.

10. Adveniet autem dies Domini, ut fur[g], in quo coeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera, exurentur.

11. Cum igitur haec omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus,

12. exspectantes et properantes in adventum diei Domini, per quem coeli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent?

13. Novos[h] vero coelos, et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat.

14. Propter quod, charissimi haec exspectantes satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace.

15. Et Domini nostri longani-

[g] Matth. 24, 42. 43. [h] Rom. 8, 19. sq. Apoc. 21, 2—5. Hebr. 12, 26. sq.

Cap. II 22. contigit eis (*deest* enim); *ibid.* vomitum suum. III 1. carissimi; *ibid.* epistulam; *ibid.* excito vestram; *ibid.* in commonitionem 2. verborum sanctorum prophetarum. 3. in deceptionem inlusores. 8 carissimi. 9. non tardat Dominus promissis sed patienter agit (*desunt verba* suam, sicut quidam existimant); *ibid.* nolens aliquem perire; *ibid* paenitentiam. 10. sicut fur; *ibid.* transeunt; *ibid. verba desunt* terra autem, et quae in ipsa sunt opera, exurentur. 11. cum haec igitur; *ibid.* esse vos. 12. in adventu; *ibid.* perquam caeli ardentes. 13. caelos et novam terram et promissa ipsius expectamus. 14. carissimi; *ibid.* satiagite inmaculati.

nitatem[i] salutem arbitremini, sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis,

16. sicut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem.

[i] v. 9. Rom. 2, 4.

17. Vos igitur, fratres! praescientes custodite, ne insipientium errore traducti excidatis a propria firmitate.

18. Crescite vero in gratia, et in cognitione Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi. Ipsi gloria et nunc et in diem aeternitatis. Amen.

EPISTOLA JOANNIS I.

CAP. I.

Joannes quae de Christo perceperat, facundus eloquitur. Christi sanguine peccata omnium expiantur.

1. Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris[a], quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt, de verbo[b] vitae;

2. et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annunciamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, et apparuit nobis.

3. Quod vidimus et audivimus, annunciamus vobis; ut et vos societatem habeatis nobiscum; et societas nostra sit cum Patre et cum Filio ejus Jesu Christo.

4. Et haec scribimus vobis, ut gaudeatis, et gaudium vestrum sit plenum[c].

[a] Joh. 19, 35. [b] Joh. 1.

5. Et haec est annunciatio, quam audivimus ab eo, et annunciamus vobis: Quoniam Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae.

6. Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo; et in tenebris ambulamus, mentimur, et veritatem non facimus.

7. Si autem in luce ambulamus, sicut et ipse est in luce, societatem habemus ad invicem; et sanguis Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato.

8. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.

9. Si confiteamur peccata no-

[c] Joh. 15, 11.

Cap. III. 15. arbitramini; *ibid.* carissimus. 16. epistulis. 17. transducti. 18. et in die.

Cap. I. 1. quod audivimus et vidimus; *ibid.* temtaverunt. 2. et adnuntiamus vobis. 3. adnuntiamus; *ibid.* et cum filio (cum *literis minusculis*). 4. et haec scripsimus vobis ut gaudium nostrum sit plenum. 5. adnuntiatio quam audimus ab eo et adnuntiamus vobis. 6. et non facimus veritatem. 7. mundat; *ibid.* omni pecato (*omiss.* ab).

stra; fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.

10. Si dixerimus, quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum ejus non est in nobis.

CAP. II.

Est Christus patronus noster. De vetere et novo mandato. Quis sit in luce, quis in tenebris.

1. Filioli mei! haec scribo vobis, ut non peccetis; sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum;

2. et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

3. Et in hoc scimus, quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus.

4. Qui dicit se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax[d] est, et in hoc veritas non est;

5. qui autem servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est[e]; et in hoc scimus, quoniam in ipso sumus.

6. Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.

7. Charissimi! non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio; mandatum vetus est verbum, quod audistis.

8. Iterum mandatum novum scribo vobis, quod verum est et in ipso et in vobis, quia tenebrae transierunt, et verum lumen jam lucet[f].

9. Qui dicit se in luce[g] esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc.

10. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est.

11. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat; quia tenebrae obcaecaverunt oculos ejus.

12. Scribo vobis, filioli! quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus.

13. Scribo vobis, patres! quoniam cognovistis eum, qui ab initio est. Scribo vobis, adolescentes! quoniam vicistis malignum.

14. Scribo vobis, infantes! quoniam cognovistis patrem. Scribo vobis, juvenes! quoniam fortes estis, et verbum Dei manet in vobis, et vicistis malignum.

15. Nolite diligere mundum, neque ea, quae in mundo sunt! Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo[h].

16. Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae, quae non est ex Patre, sed ex mundo est.

17. Et mundus transit, et concupiscentia ejus; qui autem facit voluntatem Dei, manet in aeternum.

[d] c. 4, 20. [e] Joh. 13, 35. 14, 15.

[f] Rom. 13, 12. [g] Joh. 1, 5. [h] Matth 6, 24.

Cap. I. 9. fidelis et justus est. 10. faciemus (*sed e paene erasum est*); *ibid.* in nobis non est II. 4. in eo. 5. vere in eo; *ibid.* caritas (*ita semper*); *ibid.* in hoc scimus (*omiss.* et). 7. Carissimi. 8. est verum et in ipso; *ibid.* quoniam tenebrae; *ibid.* lumen verum. 11. quoniam tenebrae. 12. remittentur. 13. adulescentes. 14. quia (*bis*); *ibid.* in vobis manet. 16. in mundo est. 17. transibit.

18. Filioli! novissima hora st; et sicut audistis, quia Antichristus venit; et nunc Antichristi multi facti sunt; unde scimus, uia novissima hora est.

19. Ex nobis prodierunt, sed on erant ex nobis; nam, si fuisent ex nobis, permansissent utiue nobiscum; sed ut manifesti int, quoniam non sunt omnes ex iobis.

20. Sed vos unctionem[i] habeis a Sancto, et nostis omnia.

21. Non scripsi vobis quasi gnorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam; et quoniam omne mendacium ex veritate non est.

22. Quis est mendax, nisi is, qui negat, quoniam Jesus est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem et Filium.

23. Omnis qui negat Filium[k], nec Patrem habet; qui confitetur Filium, et Patrem habet.

24. Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat. Si in vobis permanserit, quod audistis ab initio, et vos in Filio et Patre manebitis.

25. Et haec est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam aeternam.

26. Haec scripsi vobis de his, qui seducunt vos.

27. Et vos unctionem[l] quam accepistis ab eo, maneat in vobis; et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium. Et sicut docuit vos, manete in eo.

28. Et nunc, filioli! manete in eo; ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, et non confundamur ab eo in adventu ejus.

29. Si scitis, quoniam justus est, scitote, quoniam et omnis, qui facit justitiam, ex ipso natus est.

CAP. III.

De Dei erga nos caritate; de amore et odio fratrum.

1. Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii[m] Dei nominemur et simus. Propter hoc mundus non novit nos; quia non novit[n] eum.

2. Charissimi! nunc filii Dei sumus; et nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum, sicuti est[o].

3. Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus[p] est.

4. Omnis, qui facit peccatum, et iniquitatem facit; et peccatum est iniquitas.

5. Et scitis, quia ille apparuit ut peccata nostra tolleret; et peccatum in eo non est.

6. Omnis, qui in eo manet, non peccat[q]; et omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum.

7. Filioli! nemo vos seducat. Qui facit justitiam[r], justus est, sicut et ille justus est.

8. Qui facit peccatum, ex diabolo est; quoniam ab initio dia-

[i] v. 27. [k] c. 5, 10. Joh. 15, 23. [l] v. 20. c. 3, 24. 2 Cor. 1, 21.

[m] Rom. 8, 15. sqq. [n] Joh. 16, 2. 3. [o] Rom. 8, 18. [p] 2 Cor. 7, 1. [q] c. 5, 18. [r] c. 2, 29.

Cap. II. 18. nunc autem. 22. nisi qui negat (*deest* is); *ibid.* quoniam Jesus non est Christus (*sic*). 24. ab initio audistis (*altera quidem vice tantum*). 25. promissio. 29. quoniam omnis (*deest* et). III. 3 spem hanc. 5. quoniam ille.

bolus peccat[s]. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.

9. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit[t]; quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.

10. In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli. Omnis, qui non est justus, non est ex Deo, et qui non diligit fratrem suum.

11. Quoniam haec est annunciatio quam audistis ab initio[u], ut diligatis alterutrum.

12. Non sicut Cain[v], qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem ejus justa.

13. Nolite mirari, fratres! si odit vos mundus[w].

14. Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte[x].

15. Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam aeternam in semet ipso manentem.

16. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit[y]; et nos debemus pro fratribus animas ponere.

17. Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo[z]?

18. Filioli mei! non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate.

19. In hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus; et in conspectu ejus suadebimus corda nostra.

20. Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum; major est Deus corde nostro, et novit omnia.

21. Charissimi! si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam[a] habemus ad Deum;

22. et quidquid petierimus, accipiemus ab eo[b]; quoniam mandata ejus custodimus, et ea, quae sunt placita coram eo, facimus.

23. Et hoc est mandatum ejus: ut credamus[c] in nomine Filii ejus Jesu Christi; et diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis.

24. Et qui servat mandata ejus, in illo manet, et ipse in eo[d]; et in hoc[e] scimus, quoniam manet in nobis de Spiritu[f], quem dedit nobis.

CAP. IV.

Qui spiritus e Deo sint. Deus suo nos amore praecedit.

1. Charissimi! nolite omni spiritui credere[g], sed probate spiritus si ex Deo sint; quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum.

2. In hoc[h] cognoscitur spiritus Dei: omnis spiritus qui con-

[s] Joh. 8, 44. [t] v. 6. c. 5, 18. [u] Joh. 13, 34. [v] Gen. 4, 8. sqq. [w] Joh. 15, 18. sqq. [x] c. 2, 11. [y] Joh. 15, 13.

[z] c. 4, 20. Jac. 2, 15. sqq. [a] c. 4, 17. [b] Joh. 15, 7. [c] Joh. 6, 29. [d] Joh. 14, 23. [e] c. 4, 13. [f] Rom. 8, 9. [g] Matth. 7, 15. [h] 1 Cor. 12, 3.

Cap. III. 11. adnuntiatio; *ibid.* diligamus. 12. ex maligno (*omiss* qui). 13. odit nos. 14. de morte in vitam. 15. in se (*omiss.* -met ipso). 16. pro nobis animam suam. 17. substantiam mundi (*omiss.* hujus); *ibid.* necesse. 18. filioli (*omiss.* mei); *ibid.* nec lingua. 19. suademus. 22. quodcumque.

tetur Jesum Christum in carne enisse, ex Deo est.

3. Et omnis spiritus qui solvit esum, ex Deo non est. Et hic st Antichristus[i], de quo audistis uoniam venit, et nunc jam in ıundo est.

4. Vos ex Deo estis, filioli! et icistis eum; quoniam major est, ui in vobis est, quam qui in mun-o.

5. Ipsi de mundo sunt; ideo le mundo loquuntur, et mundus os audit.

6. Nos ex Deo sumus; qui no-vit Deum[k], audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus Spiritum veri-tatis, et spiritum erroris.

7. Charissimi! diligamus nos invicem; quia charitas ex Deo est. Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum.

8. Qui non diligit, non novit Deum; quoniam Deus charitas est[l].

9. In hoc apparuit charitas Dei[m] in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.

10. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiatio-nem pro peccatis nostris.

11. Charissimi! si sic Deus di-lexit nos, et nos debemus alteru-trum diligere.

12. Deum nemo vidit unquam[n]; si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est.

13. In hoc cognoscimus, quon-iam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis[o].

14. Et nos vidimus, et testifi-camur[p], quoniam Pater misit fi-lium Salvatorem mundi.

15. Quisquis confessus fuerit, quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo.

16. Et nos cognovimus, et credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus charitas est[q]; et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.

17. In hoc perfecta est chari-tas Dei nobiscum, ut fiduciam ha-beamus in die judicii[r]; quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mun-do.

18. Timor non est in charita-te; sed perfecta charitas foras mittit timorem. Quoniam timor poenam habet; qui autem timet, non est perfectus in charitate.

19. Nos ergo diligamus De-um, quoniam Deus prior dilexit nos[s].

20. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax[t] est; qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?

21. Et hoc mandatum[u] habe-mus a Deo: ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.

[i] c. 2, 18. 22. [k] Joh. 8, 47. 15, 19. [l] v. 16. [m] Joh. 3, 16. [n] Joh. 1, 18. [o] c. 3, 24. Joh. 14, 17. [p] Joh. 1, 14. [q] v. 8. [r] c. 2, 28. [s] v. 10. [t] c. 2, 4. 11. [u] Marc. 12, 31.

Cap. IV. 3. solvit Jesum Christum; *ibid.* quod audistis. 7. invicem (*omiss.* nos); *ibid.* quoniam. 10. dilexit nos (*omiss.* prior). 13. intelli-gimus. 16. caritati Dei (*sed sequitur nihilo minus* quam habet Deus in nobis); *ibid.* et qui (et *literis minusculis supra scriptum est*). 17. nobis-cum caritas (*omiss.* Dei). 19. diligamus invicem (*non adest* Deum, *quod haud dubie grave discrimen lectionis*).

CAP. V.

De vera caritate, et de tribus, quae Christo testimonium exhibent. De peccato ad mortem.

1. Omnis, qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est[v]. Et omnis, qui diligit eum, qui genuit, diligit et eum, qui natus est ex eo.

2. In hoc[w] cognoscimus, quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus, et mandata ejus faciamus.

3. Haec est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus; et mandata ejus gravia non sunt[x].

4. Quoniam omne, quod natum est ex Deo, vincit[y] mundum; et haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra.

5. Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit[z], quoniam Jesus est Filius Dei?

6. Hic est, qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. Et spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas.

7. Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum, et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt.

8. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, et aqua, et sanguis; et hi tres unum sunt.

9. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est. Quoniam hoc est *testimonium* **Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo.**

10. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se; qui non credit Filio, mendacem *facit* **eum; quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo.**

11. Et hoc est testimonium, quoniam vitam aeternam dedit nobis Deus; et haec vita[a] in Filio ejus est.

12. Qui habet Filium, habet vitam[b]; qui non habet Filium, vitam non habet.

13. Haec scribo vobis, *ut sciatis,* **quoniam vitam habetis aeternam, qui creditis in nomine Filii Dei.**

14. Et haec est fiducia[c], quam habemus ad eum: quia quodcumque petierimus, secundum voluntatem ejus, audit nos.

15. Et scimus, quia audit nos quidquid petierimus; scimus quoniam habemus petitiones, quas postulamus ab eo.

16. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem[d], petat, et dabitur ei vita *peccanti* **non ad mortem. Est peccatum**

[v] Joh. 1, 12. 13. [w] c. 3, 19. [x] Matth. 11, 30. [y] Joh. 16, 33. [z] c. 4, 15.

[a] Joh. 1, 4. [b] Joh. 3, 36. [c] c. 3, 21. [d] Matth. 12, 32.

Cap. V. 1. diligit eum (*omiss.* et, *altero loco*). 6. 7. et 8. *ita legitur:* hic est, qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua et sanguine, et spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas. Quia tres sunt, qui testimonium dant spiritus et aqua et sanguis, et tres unum sunt (*V. Fascimile in calce hujus editionis*). 9. quia (*bis*). 10. in filio Dei; *ibid.* non credit (*omiss.* filio); *ibid.* quoniam non credidit; *ibid.* in testimonio. 11. in filio ejus (*omiss.* est). 12. filium Dei (*altero loco*). 13. scripsi. 15. scimus quoniam (*primo loco*). 16. petit et dabit ei; *ibid.* vitam peccantibus.

mortem; non pro illo dico, ut
ɡet quis.
17. Omnis iniquitas peccatum
; et est peccatum ad mortem[e].
18. Scimus, quia omnis, qui
tus est ex Deo, non peccat[f];
l generatio Dei conservat eum,
malignus non tangit eum.
19. Scimus, quoniam ex Deo
sumus, et mundus totus in maligno positus est.
20. Et scimus, quoniam Filius
Dei venit, et dedit nobis sensum,
ut cognoscamus verum Deum, et
simus in vero Filio ejus. Hic
est verus Deus[g], et vita aeterna.
21. Filioli! custodite vos a simulacris. Amen.

Rom. 6, 23. [f] c. 3, 9.

[g] Joh. 1, 1. Rom. 9, 5. 1 Tim. 3, 16.

EPISTOLA JOANNIS II.

CAP. I.

lectam ejusque filios caritate et fide firmat.

1. Senior electae dominae, et
atis ejus, quos ego diligo in veitate, et non ego solus, sed et
mnes, qui cognoverunt veritaem,
2. propter veritatem, quae
ermanet in nobis, et nobiscum
rit in aeternum.
3. Sit vobiscum gratia, miseriordia, pax a Deo Patre, et a
Christo Jesu, Filio Patris, in veitate et charitate.
4. Gavisus sum valde quoniam
nveni de filiis tuis ambulantes in
veritate, sicut mandatum accepinus a Patre.
5. Et nunc rogo te, domina!
non tamquam mandatum novum
scribens tibi, sed quod habuimus
ab initio ut diligamus alterutrum.
6. Et haec est charitas, ut ambulemus secundum mandata
ejus[a]. Hoc est enim mandatum,
ut quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis.
7. Quoniam multi seductores[b]
exierunt in mundum, qui non
confitentur Jesum Christum venisse in carnem. Hic est seductor, et antichristus.
8. Videte vosmet ipsos, ne
perdatis, quae operati estis; sed
ut mercedem plenam accipiatis.
9. Omnis, qui recedit, et non
permanet in doctrina Christi, Deum non habet[c]; qui permanet in
doctrina, hic et Patrem et Filium
habet.
10. Si quis venit ad vos, et
hanc doctrinam non affert, nolite
recipere eum in domum[d], nec
ave ei dixeritis.

[a] 1 Joh. 5, 3. [b] Matth. 24, 5. 24. 2 Petr. 2, 1. 1 Joh. 2, 18. 4, 1—3. [c] 1 Joh. 2, 22. 23. [d] Rom. 16, 17.

Cap. V. 18. quoniam. 20. verus (*omiss.* Deus, *quae gravis lectio*). 21. simulachris (*ita perpetuo*).

Cap. I. 3. nobiscum. 6. hoc mandatum est (*omiss.* enim). 7. venientem. 9. qui praecedit (*sic*); *ibid.* et filium et patrem. 10. adfert.

11. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.

12. Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum[e]; spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui; ut gaudium vestrum plenum sit.

13. Salutant te filii sororis tuae electae.

[e] 3 Joh. 13.

EPISTOLA JOANNIS III.

CAP. I.

Laudatio Gaji. De Diotrephis calumniis. Optimum Demetrio perhibetur testimonium.

1. Senior Gajo[a] charissimo, quem ego diligo in veritate.

2. Charissime! de omnibus orationem facio prospere te ingredi et valere, sicut prospere agit anima tua.

3. Gavisus sum valde venientibus fratribus, et testimonium perhibentibus veritati tuae, sicut tu in veritate ambulas.

4. Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.

5. Charissime! fideliter facis, quidquid operaris in fratres, et hoc in peregrinos.

6. Qui testimonium reddiderunt charitati tuae, in conspectu Ecclesiae; quos, benefaciens, deduces digne Deo.

7. Pro nomine enim ejus profecti sunt nihil accipientes a Gentibus.

8. Nos ergo debemus suscipere hujusmodi, ut cooperatores simus veritatis.

9. Scripsissem forsitan Ecclesiae; sed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos.

10. Propter hoc si venero, commonebo ejus opera, quae facit, verbis malignis garriens in nos; et quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscipit fratres, et eos, qui suscipiunt, prohibet, et de Ecclesia ejicit.

11. Charissime! noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui benefacit, ex Deo est; qui malefacit, non vidit Deum.

12. Demetrio testimonium redditur ab omnibus, et ab ipsa veritate; sed et nos testimonium perhibemus; et nosti, quoniam testimonium nostrum verum est[b].

[a] Rom. 16, 23.

[b] Joh. 19, 35. 21, 24.

Cap. I. 11. operibus illius (illius *literis minoribus scriptum est*). 12. cartam (*sed supra invenitur litera* h *minuscule scripta*); *ibid.* sit plenum.

Cap. I. 4. ambulantes. 6. benefacies ducens. 7. nomine enim (*omiss.* ejus). 9. primatum genere (*sic, per errorem librarii?*); *ibid.* Diotripes. 10 commoneam; *ibid.* eos qui cupiunt; *ibid.* eicit. 11. non videt. 12. et nos (*omiss.* sed).

13. Multa habui tibi scribere; sed nolui per atramentum[c] et calamum scribere tibi.

[c] 2 Joh. 12.

14. Spero autem protinus te videre, et os ad os loquemur. Pax tibi! Salutant te amici! Saluta amicos nominatim!

EPISTOLA JUDAE.

Hortatur, ut firmi sint fide adversus impios; Enochi et apostolorum vaticinia revocat in mentem.

1. Judas, Jesu Christi servus, frater autem Jacobi, his qui sunt in Deo Patre dilectis, et Christo Jesu conservatis, et vocatis.

2. Misericordia vobis, et pax, et charitas adimpleatur.

3. Charissimi! omnem sollicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute, necesse habui scribere vobis deprecans supercertari[a] semel traditae sanctis fidei.

4. Subintroierunt enim quidam homines (qui olim praescripti sunt in hoc judicium) impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum Dominatorem, et Dominum nostrum Jesum Christum negantes.

5. Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Jesus populum de terra Aegypti salvans; secundo eos, qui non crediderunt, perdidit[b].

6. Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis aeternis sub caligine reservavit.

7. Sicut Sodoma, et Gomorrha[c], et finitimae civitates simili modo exfornicatae, et abeuntes post carnem alteram factae sunt exemplum ignis aeterni, poenam sustinentes.

8. Similiter et hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant[d].

9. Cum Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiae; sed dixit: Imperet tibi Dominus!

10. Hi autem, quaecumque quidem ignorant, blasphemant; quaecumque autem naturaliter, tamquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur.

[a] Phil. 1, 27.

[b] Num. 14, 35. 1 Cor. 10, 5. [c] Gen. 19, 24. sq. [d] 2 Petr. 2, 10. 11.

Cap. I. 13. scribere tibi. 14. per nomen.

Cap. I. 1. his qui in Deo patre dilectis et Jhesu Christo conservatis vocatis (*desunt verbula* sunt *et* et). 2. caritas. 3. carissimi; *ibid.* depraecans. 7. Gomorra. 8. hii. 9. Michahel; *ibid.* diabulo; *ibid.* de Mosi corpore. 10. hii.

11. Vae illis, quia in via Cain[e] abierunt, et errore Balaam[f] mercede effusi sunt, et in contradictione Core[g] perierunt!

12. Hi sunt in epulis suis maculae, convivantes sine timore, semet ipsos pascentes, nubes sine aqua[h], quae a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosae, bis mortuae, eradicatae,

13. fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in aeternum.

14. Prophetavit autem et de his septimus ab Adam, Enoch, dicens: „Ecce venit Dominus in „sanctis millibus suis,

15. „facere judicium[i] contra „omnes, et arguere omnes im„pios de omnibus operibus im„pietatis eorum, quibus impie „egerunt, et de omnibus duris, „quae locuti sunt contra Deum „peccatores impii“[k].

16. Hi sunt murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes, et os eorum loquitur superba[l], mirantes personas quaestus causa.

17. Vos autem, charissimi! memores estote verborum, quae

[e] Gen. 4, 8. [f] Apoc. 2, 14. [g] Num. 16, 1. 31. sq. [h] 2 Petr. 2, 17. [i] Matth. 25, 31. [k] Gen. 5, 18. [l] 2 Petr. 2, 18.

praedicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi,

18. qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus.

19. Hi sunt qui segregant semet ipsos, animales, Spiritum non habentes.

20. Vos autem, charissimi! superaedificantes vosmet ipsos sanctissimae vestrae fidei, in Spiritu sancto orantes,

21. vosmet ipsos in dilectione Dei servate, exspectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam aeternam.

22. Et hos quidem arguite judicatos;

23. illos vero salvate, de igne rapientes; aliis autem misereamini in timore; odientes et eam, quae carnalis est, maculatam tunicam.

24. Ei autem, qui potens est vos conservare sine peccato, et constituere ante conspectum gloriae suae immaculatos in exultatione in adventu Domini nostri Jesu Christi,

25. soli Deo Salvatori nostro, per Jesum Christum Dominum nostrum, gloria et magnificentia[m], imperium et potestas ante omne saeculum, et nunc et in omnia saecula saeculorum. Amen.

[m] Rom. 16, 27.

Cap. I. 11. Vae quia via Cain (*desunt* illis *et* in); *ibid.* contradictione (*deest* in). 12. hii sunt in aepulis suis. 13. in aeternum servata est. 14. de his (*deest* et); *ibid.* milibus. 15. contra eum peccatores impii. 16. hii; *ibid.* querelosi; *ibid.* et os illorum loquitur superbiam. 17. carissimi. 18. inlusores; *ibid.* secundum sua desideria; *ibid.* ambulantes impietatum. 19. hii. 20. carissimi. 21. ipsos vos in dilectione Dei servate (*desunt verba* exspectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam aeternam). 23. odientes eam (*deest* et). 24. qui potest vos; *ibid* inmaculatos in exultatione (*desunt verba* in adventu Domini nostri Jesu Christi). 25. cui gloria magnificentia (*deest* et); *ibid.* et in omnia saecula. Amen (*deest* saeculorum).

APOCALYPSIS JOANNIS.

CAP. I.

nnes jubetur literas scribere septem Asiae ecclesiis.

1. Apocalypsis Jesu Christi[a],
am dedit illi Deus palam face-
servis suis, quae oportet fieri
o[b]; et significavit, mittens per
gelum[c] suum servo suo[d] Jo-
ni,
2. qui testimonium perhibuit
rbo Dei, et testimonium Jesu
ristí[e], quaecumque vidit.
3. Beatus, qui legit, et audit
rba prophetiae hujus, et servat
quae in ea scripta sunt[f]! tem-
is enim prope est.
4. Joannes septem Ecclesiis,
iae sunt in Asia.
Gratia vobis, et pax ab eo qui
it, et qui erat, et qui venturus
it[g]; et a septem spiritibus, qui
i conspectu throni ejus sunt;
5. et a Jesu Christo, qui est
stis fidelis[h], primogenitus mor-
iorum[i], et princeps regum ter-
ae[k], qui dilexit nos, et lavit nos a
eccatis nostris in sanguine suo[l],
6. et fecit nos regnum et sa-
cerdotes[m] Deo et Patri suo. Ipsi
gloria et imperium in saecula
saeculorum! Amen.
7. Ecce! venit cum nubibus[n],
et videbit eum omnis oculus, et
qui eum pupugerunt[o]; et plan-
gent se super eum omnes tribus
terrae. Etiam! Amen!
8. Ego sum A, et O, principi-
um et finis[p], dicit Dominus Deus,
qui est, et qui erat, et qui ventu-
rus est, omnipotens.
9. Ego Joannes, frater vester,
et particeps in tribulatione, et
regno, et patientia in Christo Je-
su, fui in insula, quae appellatur
Patmos, propter verbum Dei, et
testimonium Jesu.
10. Fui in spiritu in Dominica
die, et audivi post me vocem ma-
gnam tamquam tubae,
11. dicentis: quod vides, scri-
be in libro; et mitte septem Ec-
clesiis, quae sunt in Asia, Ephe-
so, et Smyrnae, et Pergamo, et
Thyatirae, et Sardis, et Phila-
delphiae, et Laodiciae.

[a] c. 22, 16. [b] v. 3. c. 22, 10. [c] c. 22, 16. [d] v. 19. c. 22, 6. [e] v. 9. [f] c. 22, [g] c. 4, 8. [h] c. 19, 11. Jes. 55, 4. [i] v. 8. 1 Cor. 15, 20. [k] c. 17, 14. 19, 16. [l] . 5, 9. 7, 14.

[m] c. 5, 10. Exod. 19, 6. [n] c. 19, 11. Dan. 7, 13. [o] Joh. 19, 37. [p] c. 21, 6. 22, 13. Jes. 44, 6.

Cap. I. 1. Jhesu Christi; *ibid.* illi *manu secunda adscriptum est*; *ibid.* Johanni. 3. et qui audiunt et servant; *ibid.* in illa scripta sunt. 4. Iohannis. 5. et ab Jhesu Christo. 6. et fecit nostrum regnum sacerdotes Deo. 7. pupucerunt (*prima manu*); pupuxerunt (*secunda manu*). 9. ego Johannis (*ita semper*); *ibid.* patientia in Jesu (*deest* Christo); *ibid.* in insulamque Pathmos. 11. et mitte septem ecclesiis Ephesum et Zmyrnam et Pergamum et Thyatiram et Sardis et Philadelphiam et Laodiciam (*desunt verba* quae sunt in Asia).

12. Et conversus sum, ut viderem vocem, quae loquebatur mecum; et conversus vidi septem candelabra aurea;

13. et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis[q], vestitum podere, et praecinctum ad mamillas zona aurea;

14. caput autem ejus, et capilli erant candidi[r] tamquam lana alba, et tamquam nix; et oculi ejus tamquam flamma ignis;

15. et pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti; et vox illius tamquam vox aquarum multarum.

16. Et habebat in dextera sua stellas septem; et de ore ejus gladius[s] utraque parte acutus exibat; et facies ejus sicut sol lucet in virtute sua[t].

17. Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tamquam mortuus[u]. Et posuit dexteram suam super me, dicens: Noli timere! ego sum primus et novissimus,

18. et vivus, et fui mortuus, et ecce! sum vivens in saecula saeculorum, et habeo claves mortis et inferni[v].

19. Scribe ergo, quae vidisti[w], et quae sunt[x], et quae oportet fieri post haec[y].

20. Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, et septem candelabra aurea: septem stellae, Angeli sunt septem Ecclesiarum; et candelabra septem, septem Ecclesiae sunt.

[q] Dan. 7, 13. 10, 5. 6. [r] Dan. 7, 9. [s] Jes. 11, 4. 49, 2. [t] Jud. 5, 31. [u] Dan. 8, 18. [v] c. 20, 13. [w] v. 12—16. [x] c. 2—3. [y] c. 4—22.

CAP. II.

Jubetur literas mandare ecclesiis Ephesi, Smyrnae, Pergami, Thyatirae. Vincenti praemium promittitur.

1. Angelo Ephesi Ecclesiae scribe: Haec dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua[z], qui ambulat in medio[a] septem candelabrorum aureorum:

2. Scio opera tua, et laborem, et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos; et tentasti[b] eos, qui se dicunt Apostolos esse, et non sunt; et invenisti eos mendaces.

3. Et patientiam habes, et sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti.

4. Sed habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti.

5. Memor esto itaque, unde excideris; et age poenitentiam[c], et prima opera fac! Sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris.

6. Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quae et ego odi.

7. Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis: Vincenti[d] dabo edere de ligno vitae[e], quod est in Paradiso Dei mei.

[z] c. 1, 13. 16. 20. [a] Matth. 18, 20. 2. 20. [b] 1 Joh. 4, 1—3. [c] c. 16, 22. 3, 3. 19. [d] v. 11. 17. 26. 3, 5. [e] cf. c. 22, 2. Gen. 2, 9. 3, 22.

Cap. I. 13. et in medio candelabrorum similem (*desunt verba septem et aureorum*); *ibid.* poderem; *ibid.* zonam auream. 14. caput autem et capilli (*deest* ejus); *ibid.* velut flamma ignis. 15. orichalco. 16. stillas. *ibid.* exiebat. 19. quae vidisti quae sunt et (*deest* et). 20. stillarum. *ibid.* et septem candelabra aurea septem sigilla. II. 1. scribae (*at a cancellatum est*). 2. et patientiam (*deest* tuam); *ibid.* potest (*at litera t deleta est*); *ibid.* et temtasti; *ibid.* apostolos et non sunt (*deest* esse). 3. sustenuisti; *ibid.* deficisti 4. caritatem. 7. vincenti dabo ei edere (*vocabulum* ecclesiae *deest quidem in rectis lineis codicis, sed scriptum est in margine post verbum* edere *literis minoribus et atramento pallidiore*).

8. Et Angelo Smyrnae Eccle-
e scribe: Haec dicit primus, et
vissimus[f], qui fuit mortuus,
vivit[g]:
9. Scio tribulationem tuam, et
upertatem tuam, sed dives es;
blasphemaris ab his, qui se di-
nt Judaeos esse, et non sunt[h],
d sunt synagoga satanae.
10. Nihil horum timeas, quae
ssurus es! Ecce! missurus est
abolus aliquos ex vobis in car-
rem, ut tentemini; et habebitis
ibulationem diebus decem. Esto
lelis usque ad mortem, et dabo
bi coronam vitae[i]!
11. Qui habet aurem, audiat,
uid Spiritus dicat Ecclesiis: Qui
icerit, non laedetur a morte se-
unda[k].
12. Et Angelo Pergami Eccle-
iae scribe: Haec dicit, qui habet
homphaeam utraque parte acu-
am[l]:
13. Scio ubi habitas, ubi se-
les est satanae; et tenes nomen
neum, et non negasti fidem me-
m; et in diebus illis Antipas te-
stis meus fidelis, qui occisus est
apud vos, ubi satanas habitat.
14. Sed habeo adversus te
pauca: quia habes illic tenentes
doctrinam Balaam[m], qui docebat
Balac mittere scandalum coram
filiis Israël, edere et fornicari.

[f] cf. c. 22, 13. Ps. 89, 2. [g] c. 1, 17. 18. [h] Rom. 2, 28. [i] 2 Tim. 2, 11. 12. [k] c. 20, 14. [l] c. 1, 16. [m] Num. 23, 2. 31, 16. 2 Petr. 2, 15. 16.

15. Ita habes et tu tenentes do-
ctrinam Nicolaitarum[n].
16. Similiter poenitentiam age!
si quo minus, veniam tibi cito, et
pugnabo cum illis in gladio oris
mei.
17. Qui habet aurem, audiat,
quid Spiritus dicat Ecclesiis:
Vincenti dabo manna abscondi-
tum, et dabo illi calculum candi-
dum; et in calculo nomen novum[o]
scriptum, quod nemo scit, nisi
qui accipit.
18. Et Angelo Thyatirae Ec-
clesiae scribe: Haec dicit Filius
Dei, qui habet oculos[p] tamquam
flammam ignis, et pedes ejus si-
miles aurichalco[q].
19. Novi opera tua, et fidem,
et charitatem tuam, et ministeri-
um, et patientiam tuam, et opera
tua novissima plura prioribus.
20. Sed habeo adversus te
pauca: quia permittis mulierem
Jezabel[r], quae se dicit prophe-
ten, docere[s], et seducere servos
meos, fornicari, et manducare
de idolothytis.
21. Et dedi illi tempus, ut poe-
nitentiam ageret; et non vult
poenitere a fornicatione sua.
22. Ecce! mittam eam in le-
ctum; et qui moechantur cum ea,
in tribulatione maxima erunt, ni-
si poenitentiam ab operibus suis
egerint.

[n] cf. v. 6. [o] c. 3, 12. Num. 25, 12. sqq. [p] cf. v. 19. 23. [q] cf. v. 22. 23. 27. [r] 3 Reg. 16, 33. [s] 1 Tim. 2, 12.

Cap. II. 10. nihil eorum; *ibid.* diabolus ex vobis in carcerem ut temtemini (*deest* aliquos). 12. scribae (*sic*); *ibid.* Rempheam. 13. et in diebus Antiphas (*deest* illis). 14. adversus te pauca habes illic (*deest* quia); *ibid.* Israhel. 17. vincenti dabo ei; *ibid.* et in calculum (*ita scriptum est manu prima, sed inepta manus secunda mutavit sic:* in calcalom). 18. et angelo Thyatire ecclesiae scribae (*sic*); *ibid.* oculus (*ita prima manus exaravit; secunda manus correxit in* oculos); *ibid.* oricalcho. 19. opera tua et caritatem et fidem (*deest* tuam). 20. Hiezabel. 21. paenitentiam; *ibid.* paeniteri (*ita semper*). 22. ecce mitto eam; *ibid.* in tribulationem maximam; *ibid.* nisi paenitentiam egerint ab operibus ejus.

23. Et filios ejus interficiam in morte, et scient omnes Ecclesiae; quia ego sum scrutans renes et corda[t]; et dabo unicuique vestrum secundum opera sua[u]. Vobis autem dico,

24. et caeteris, qui Thyatirae estis, quicumque non habent doctrinam hanc, et qui non cognoverunt altitudines satanae, quemadmodum dicunt, non mittam super vos aliud pondus.

25. Tamen id, quod habetis, tenete[v], donec veniam.

26. Et qui vicerit, et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes[w];

27. et reget eas in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringentur,

28. sicut et ego accepi a Patre meo. Et dabo illi stellam matutinam[x].

29. Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis!

CAP. III.

Jubetur epistolas scribere ecclesiis Sardis, Philadelphiae, Laodiciae. Vincenti praemium promittitur.

1. Et Angelo Ecclesiae Sardis scribe: Haec dicit, qui habet septem Spiritus Dei[y], et septem stellas: Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, et mortuus es[z].

2. Esto vigilans, et confirma caetera, quae moritura erant. Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.

3. In mente ergo habe, qualiter acceperis, et audieris, et serva, et poenitentiam age! Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur[a], et nescies, qua hora veniam ad te.

4. Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua; et ambulabunt mecum in albis[b], quia digni sunt.

5. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de Libro vitae[c], et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram angelis ejus[d].

6. Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis!

7. Et Angelo Philadelphiae Ecclesiae scribe: Haec dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David[e]; qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit[f].

8. Scio opera tua. Ecce! dedi coram te ostium[g] apertum, quod nemo potest claudere; quia modicam habes virtutem, et servasti verbum meum, et non negasti nomen meum.

9. Ecce! dabo de synagoga satanae, qui dicunt se Judaeos esse, et non sunt, sed mentiuntur; ecce! faciam illos, ut veniant[h], et adorent ante pedes tuos; et scient, quia ego dilexi te.

10. Quoniam servasti verbum patientiae meae; et ego servabo

[t] Jer. 17, 10. [u] Ps. 61, 13. Rom. 2, 6. [v] c. 3, 11. [w] Matth. 19, 28. 1 Cor. 6, 2. [x] c. 22, 16. [y] c. 5, 6. [z] Luc. 15, 24.

[a] Matth. 24, 43. [b] c. 7, 9. [c] Phil. 4, 3. [d] Matth. 10, 32. Luc. 9, 26. [e] J. 22, 17—25. [f] Hiob 12, 14. [g] 1 Cor. 16, 9. [h] Jes. 60, 14. 15.

Cap. II. 23. in mortem; *ibid.* secundum opera vestra. 24. ceteris (*deest* et); *ibid.* Tyathirae; *ibid.* doctrinam hanc qui non cognoverunt altitudinis quemadmodum (*sic*, *desunt verba* et *et* Satanae). 26. et qui custodierit; *ibid.* dabo ei potestatem. 27. et reget illas in virga ferrea tamquam vas figuli. III. 4. et ambulant. 8. cludere. 10. et ego te servabo.

ab hora tentationis, quae ven-
ra est in orbem universum ten-
re habitantes in terra.
11. Ecce! venio cito; tene,
ıod habes, ut nemo accipiat co-
ınam tuam.
12. Qui vicerit, faciam illum
olumnam in templo Dei mei, et
ıras non egredietur amplius; et
cribam super eum nomen Dei
ıei[i], et nomen civitatis Dei mei
ıovae Ierusalem, quae descen-
ıit de coelo a Deo meo[k], et no-
nen meum novum[l].
13. Qui habet aurem, audiat,
ıuid Spiritus dicat Ecclesiis.
14. Et Angelo Laodiciae Ec-
clesiae scribe: Haec dicit Amen,
testis fidelis, et verus, qui est
principium creaturae Dei[m].
15. Scio opera tua; quia ne-
que frigidus es, neque calidus;
utinam frigidus esses, aut cali-
dus!
16. Sed quia tepidus es, et
nec frigidus, nec calidus, inci-
piam te evomere ex ore meo.
17. Quia dicis: quod dives
sum, et locupletatus, et nullius
egeo[n]; et nescis, quia tu es miser,
et miserabilis, et pauper, et cae-
cus, et nudus.
18. Suadeo tibi, emere[o] a me
aurum ignitum, probatum, ut lo-
cuples fias, et vestimentis albis
induaris, non appareat confusio
nuditatis tuae[p]; et collyrio inun-
ge oculos tuos, ut videas.
19. Ego, quos amo, arguo et
castigo; aemulare ergo, et poe-
nitentiam age!
20. Ecce! sto ad ostium, et
pulso; si quis audierit vocem me-
am, et aperuerit mihi januam,
intrabo[q] ad illum, et coenabo cum
illo, et ipse mecum.
21. Qui vicerit, dabo ei sedere
mecum in throno meo[r]; sicut et
ego vici, et sedi cum Patre meo
in throno ejus.
22. Qui habet aurem, audiat,
quid Spiritus dicat Ecclesiis!

CAP. IV.

Viginti quatuor seniores et quatuor animalia sedentem in throno gloria efferunt.

1. Post haec vidi; et ecce! osti-
um apertum in coelo! Et vox pri-
ma[s], quam audivi, tamquam tu-
bae loquentis mecum, dicens:
Ascende huc, et ostendam tibi,
quae oportet fieri post haec!
2. Et statim fui in spiritu; et
ecce! sedes posita erat in coelo,
et supra sedem sedens.
3. Et qui sedebat, similis erat
aspectui lapidis jaspidis et sardi-
nis[t]; et iris[u] erat in circuitu se-
dis, similis visioni smaragdinae.
4. Et in circuitu sedis sedilia
viginti quatuor; et super thronos
viginti quatuor seniores seden-
tes, circumamicti vestimentis al-
bis, et in capitibus eorum coro-
nae aureae.
5. Et de throno procedebant
fulgura, et voces, et tonitrua[v];

[i] c. 14, 1. 22, 4. [k] c. 21, 2. [l] c. 19, 12. Phil. 2, 9. [m] Joh. 1, 3. Col. 1, 15. [n] Hos. 12, 9. 1 Cor. 4, 8. [o] Jes. 55, 1. [p] c. 16, 15.

[q] Joh. 14, 23. [r] Joh. 17, 24. [s] c. 1, 10. [t] Ezech. 1, 26. 27. 10, 1. [u] Ezech. 1, 28. [v] c. 8, 5. 11, 19. 16, 18.

Cap. III. 10. temtationis; *ibid.* temtare; *ibid.* habitantes in terram. 11. venio cito (*deest* ecce). 12. Hierusalem. 17. mirabilis; *ibid.* cecus. 20. et aperuerit januam (*deest* mihi); *ibid.* introibo; *ibid.* cenabo. IV. 2. statim fui in spiritu (*deest* et); *ibid.* sedis. 3. sardini; *ibid.* visionis zmaragdine (*sic*, e = ae, *saepe*). 4. circumamictos; *ibid.* coronas aureas. 5. procedunt fulgora.

et septem lampades[w] ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei.

6. Et in conspectu sedis tamquam mare vitreum simile crystallo[x]; et in medio sedis, et in circuitu sedis, quatuor animalia[y] plena oculis ante et retro.

7. Et animal primum simile leoni[z], et secundum animal simile vitulo[a], et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilae volanti.

8. Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas[b]; et in circuitu, et intus plena sunt oculis; et requiem non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens[c], qui erat, et qui est, et qui venturus est!

9. Et cum darent illa animalia gloriam, et honorem et benedictionem sedenti super thronum, viventi in saecula saeculorum;

10. procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in saecula saeculorum, et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes:

11. Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem; quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt.

[w] Exod. 25, 37. Zach. 4, 2. 10. [x] c. 15, 2. Exod. 24, 10. Ezech. 1, 22. [y] Ezech. 1. 5. 26. 10, 1. 19. [z] Ezech. 1, 10. 10, 14. [a] Deut. 33, 17. [b] Jes. 6, 2. Ezech. 1, 9. 10, 19. [c] Jes. 6, 3.

CAP. V.

Librum septem sigillis signatum agnus aperit; quo facto ab omnibus gloriose laudatur.

1. Et vidi in dextera sedentis supra thronum[d], librum scriptum[e] intus et foris, signatum sigillis septem.

2. Et vidi Angelum fortem, praedicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus?

3. Et nemo poterat, neque in coelo, neque in terra, neque subtus terram, aperire librum, neque respicere illum.

4. Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre eum.

5. Et unus de senioribus dixit mihi: Ne fleveris! ecce! vicit leo de tribu Juda[f], radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus.

6. Et vidi; et ecce! in medio throni, et quatuor animalium, et in medio seniorum, Agnum[g] stantem tamquam occisum, habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei[h], missi in omnem terram.

7. Et venit, et accepit de dextera sedentis in throno librum.

8. Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, et viginti quatuor seniores, ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas[i], et phialas aureas[k] plenas odora-

[d] c. 4, 2. [e] Ezech. 2, 9. 10. [f] Gen. 49, 9. 10. [g] Joh. 1, 29. 36. [h] c. 4, 5. Zach. 4, 10. [i] c. 14, 2. [k] c. 8, 3.

Cap. IV. 5. quae sunt septem. 10. procedebant; *ibid.* et mittent. 11. dignus es Dominus et Deus noster. V. 1. in dexteram. 2. fortem et praedicantem; *ibid.* qui est dignus. 3. et nemo poterat in caelo neque in terra. 5. ne fleberis; *ibid.* aperire librum et septem signacula ejus (*deest* solvere). 6. qui sunt spiritus Dei (*in margine legitur* septem, *prima, ut videtur, manu*). 7. librum (*scriptum est in margine relatum signo* ÷ *ad verbum* accepit *in textu*).

mentorum, quae sunt orationes sanctorum;

9. et cantabant canticum novum, dicentes: Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus; quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione;

10. et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes; et regnabimus super terram[l].

11. Et vidi, et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum, et erat numerus eorum millia millium[m],

12. dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem.

13. Et omnem creaturam, quae in coelo est, et super terram, et sub terra, et quae sunt in mari, et quae in eo, omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, et Agno, benedictio, et honor, et gloria, et potestas in saecula saeculorum!

14. Et quatuor animalia dicebant: Amen[n]! Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas; et adoraverunt viventem in saecula saeculorum.

[l] c. 20, 4. 22, 5. [m] Dan. 7, 10. [n] c. 19, 4.

CAP. VI.

De significatione sex priorum sigillorum apertorum.

1. Et vidi, quod aperuisset Agnus unum de septem sigillis, et audivi unum de quatuor animalibus[o], dicens, tamquam vocem tonitrui: Veni, et vide!

2. Et vidi; et ecce! equus albus[p], et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens, ut vinceret.

3. Et cum aperuisset sigillum secundum, audivi secundum animal[q], dicens: Veni, et vide!

4. Et exivit alius equus rufus, et qui sedebat super illum, datum est ei, ut sumeret pacem de terra, et ut invicem se interficiant, et datus est ei gladius magnus.

5. Et cum aperuisset sigillum tertium, audivi tertium animal[r], dicens: Veni, et vide! Et ecce! equus niger, et qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua.

6. Et audivi tamquam vocem in medio quatuor animalium dicentium: Bilibris tritici denario, et tres bilibres hordei denario; et vinum et oleum ne laeseris!

7. Et cum aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis[s] dicentis: Veni, et vide!

8. Et ecce! equus pallidus, et

[o] c. 4, 7. [p] Zach. 1, 8—11. 6, 1—8. [q] c. 4, 7. [r] c. 4, 7. [s] c. 4, 7.

Cap. V. 9. et cantant novum canticum; *ibid.* dignus es accipere (*deest* Domine). 10. et fecisti eos; *ibid.* et regnabunt. 11. milia milium 13. sub terram; *ibid.* in ea. 14. et seniores (*deest* viginti quatuor); *ibid.* ceciderunt (*desunt verba* in facies suas); *ibid.* et adoraverunt (*desunt haec:* viventum in saecula saeculorum). VI. 1. septem signaculis; *ibid.* dicentem; *ibid.* thonitrui; *ibid.* veni et vidi. 2. *Desunt verba* et vidi. 3. *Desunt verba* et vide. 4. datus est illi gladius magnus. 5. veni et vidi; *ibid.* super eum. 6. dicentem; *ibid.* trittici; *ibid.* ordei; *ibid.* nec leseris. 7. veni et vidi.

qui sedebat super eum, nomen illi Mors[t], et infernus sequebatur eum, et data est illi potestas super quatuor partes terrae, interficere gladio, fame, et morte, et bestiis terrae[u].

9. Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare[v] animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium, quod habebant,

10. et clamabant[w] voce magna, dicentes: Usquequo, Domine! (sanctus, et verus,) non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?

11. Et datae sunt illis singulae stolae albae[x]; et dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec[y] compleantur conservi eorum, et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut et illi.

12. Et vidi, cum aperuisset sigillum sextum; et ecce! terrae motus magnus factus est, et sol factus est niger[z] tamquam saccus cilicinus; et luna tota facta est sicut sanguis;

13. et stellae de coelo ceciderunt[a] super terram, sicut ficus emittit grossos suos cum a vento magno movetur.

14. Et coelum recessit sicut liber involutus; et omnis mons, et insulae de locis suis motae sunt.

15. Et reges terrae[b], et principes, et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus et liber absconderunt se in speluncis, et in petris montium,

16. et dicunt montibus, et petris[c]: Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni!

17. Quoniam venit dies magnus[d] irae ipsorum; et quis poterit stare?

CAP. VII.

De numeris signatorum. Turba magna exterorum stat ante thronum.

1. Post haec vidi quatuor Angelos[e] stantes super quatuor angulos terrae, tenentes quatuor ventos[f] terrae, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem.

2. Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi; et clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terrae, et mari,

3. dicens: Nolite nocere terrae et mari, neque arboribus, quoadusque signemus[g] servos Dei nostri in frontibus eorum.

4. Et audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia[h] signati, ex omni tribu filiorum Israël.

5. Ex tribu Juda duodecim millia signati; ex tribu Ruben

[t] c. 20, 14. [u] Ez. 14, 21. [v] c. 8, 5. 14, 18. 16, 7. [w] Gen. 4, 10. [x] c. 7, 9. 13. 14. [y] c. 13, 7. 14, 13. sqq. [z] Jes. 13, 10. Ez. 32, 7. 8. [a] Jes. 34, 4.

[b] Jes. 24, 21. 22. Ezech. 32, 7. sqq. 18. sqq. [c] Luc. 23, 30. [d] Rom. 2, 5. [e] Matth. 24, 31. [f] Jer. 49, 36. Zach. 6. 1—9. Dan. 7, 2. [g] Ezech. 9, 4. 6. Luc. 18, 7. [h] c. 14, 1. 3.

Cap. VI. 8. inferus. 9. quintum sigillum. 10. et vindicas (*deest* non); *ibid.* de his; *ibid.* super terram. 11. eis; *ibid.* tempus adhuc modicum; *ibid.* impleantur. 12. et vidi et cum; *ibid.* et terrae motus factus est magnus. 13. et stellae coeli ciderunt; *ibid.* mittit; *ibid.* cum vento magno movetur. 16. cadete. VII. 1. supra; *ibid.* ne flaret ventus super terram. 4. milia; *ibid.* Israhel. 5. milia (*ita semper*).

duodecim millia signati; ex tribu Gad duodecim millia signati;

6. ex tribu Aser duodecim millia signati; ex tribu Nephthali duodecim millia signati; ex tribu Manasse duodecim millia signati;

7. ex tribu Simeon duodecim millia signati; ex tribu Levi duodecim millia signati; ex tribu Issachar duodecim millia signati;

8. ex tribu Zabulon duodecim millia signati; ex tribu Joseph duodecim millia signati; ex tribu Benjamin duodecim millia signati.

9. Post haec vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis; stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis[i], et palmae in manibus eorum.

10. Et clamabant voce magna dicentes: Salus[k] Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno!

11. Et omnes Angeli[l] stabant in circuitu throni, et seniorum, et quatuor animalium; et ceciderunt in conspectu throni in facies suas[m], et adoraverunt Deum,

12. dicentes: Amen! benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in saecula saeculorum! Amen.

13. Et respondit unus de senioribus, et dixit mihi: Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? et unde venerunt?

[i] c. 6, 11. 3, 5. [k] c. 12, 10. 19, 1. [l] c. 5, 11. [m] c. 11, 16.

14. Et dixi illi: Domine mi! tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.

15. Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo[n] ejus; et qui sedet in throno, habitabit super illos.

16. Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus aestus.

17. Quoniam Agnus, qui in medio throni est[o], reget illos, et deducet eos ad vitae fontes aquarum[p]; et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum[q].

CAP. VIII.

De septimo sigillo aperto. Septem tubae septem Angelis porriguntur. Quatuor tuba canunt.

1. Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in coelo, quasi media hora.

2. Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei; et datae sunt illis septem tubae[r].

3. Et alius Angelus venit, et stetit ante altare habens thuribulum aureum[s]; et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus[t] sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei.

4. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo.

5. Et accepit Angelus thuribu-

[n] c. 11, 19. 14, 15. [o] c. 5, 6. [p] Ps. 22, 1—3. [q] c. 21, 4. Jes. 25, 8. [r] Joël 2, 1. Zach. 9, 14. [s] c. 5, 8. [t] Ps. 140, 2.

Cap. VII. 6. Nepthalim. 7. Symeon. 9. stolas albas. 10. sedit (*sed mutata est vox in* sedet. *Dubium est, an hoc a prima manu sit factum*). 12. et honor. 13. dicens mihi. 14. illis (*at s cancellatum est*). 16. neque cadet. 17. lacrimam ex oculis eorum. VIII. 3. turabulum; *ibid.* ut daret orationibus sanctorum; *ibid.* ante thronum (*deest* Dei). 4. sanctorum et de manu (*sic, sed* et *videtur esse primae manus*). 5. turibulum.

lum, et implevit illud de igne altaris, et misit in terram[u], et facta sunt tonitrua, et voces, et fulgura, et terrae motus magnus.

6. Et septem Angeli, qui habebant septem tubas, praeparaverunt se, ut tuba canerent.

7. Et primus Angelus tuba cecinit; et facta est grando[v], et ignis, mista in sanguine, et missum est in terram, et tertia pars terrae combusta est; et tertia pars arborum concremata est; et omne foenum viride combustum est.

8. Et secundus Angelus tuba cecinit; et tamquam mons[w] magnus igne ardens missus est in mare, et facta est tertia pars maris sanguis.

9. Et mortua est tertia pars creaturae eorum, quae habebant animas in mari, et tertia pars navium interiit.

10. Et tertius Angelus tuba cecinit; et cecidit de coelo stella[x] magna, ardens tamquam facula, et cecidit in tertiam partem fluminum, et in fontes aquarum.

11. Et nomen stellae dicitur: Absinthium[y]; et facta est tertia pars aquarum in absinthium; et multi hominum mortui sunt de aquis, quia amarae factae sunt.

12. Et quartus Angelus tuba cecinit; et percussa est tertia pars solis[z], et tertia pars lunae, et tertia pars stellarum, ita, ut obscuraretur tertia pars eorum, et diei non luceret pars tertia, et noctis similiter.

13. Et vidi, et audivi vocem unius aquilae volantis per medium coeli[a], dicentis voce magna: Vae, vae, vae[b] habitantibus in terra de ceteris vocibus trium Angelorum, qui erant tuba canituri[c]!

[u] Ezech. 10, 2. [v] Jes. 28, 2. Ezech. 13, 13. [w] Jer. 51, 25. [x] Jes. 14, 12. Dan. 8, 10. [y] Deut. 29, 18. Ebr. 12, 15. [z] Amos 8, 9. Mich. 3, 6.

CAP. IX.

Quintus Angelus tuba canit; puteo abyssi aperto locustae exeunt. Tuba canit Angelus sextus, solvuntur quatuor Angeli cum exercitu magno.

1. Et quintus Angelus tuba cecinit; et vidi stellam de coelo cecidisse in terram, et data est ei clavis putei abyssi.

2. Et aperuit puteum abyssi; et ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnae; et obscuratus est sol, et aër de fumo putei[d].

3. Et de fumo putei exierunt locustae in terram, et data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terrae.

4. Et praeceptum est illis, ne laederent foenum terrae, neque omne viride, neque omnem arborem; nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis[e].

5. Et datum est illis, ne occiderent eos; sed ut cruciarent

[a] c. 14, 6. [b] c. 9, 12. 11, 14. 12, 12. [c] c. 9, 1. 13. 11, 15. [d] Exod. 10, 15. Joël 2, 2. 10. Jes. 5, 30. [e] c. 7, 2. 3.

Cap. VIII. 5. de igni; *ibid.* fulgura et terrae motus (*deest* magnus). 6. paraverunt se et tuba canerent. 7. mixta in sanguinem; *ibid.* arborum combusta est. 9. quae habent animas (*deest* in mari). 11. Absinthius; *ibid.* amare. 12. stellarum ut (*deest* ita); *ibid.* et nox similiter. 13. per medium caelum; *ibid.* habitantibus super terram de ceteris vocibus tubae trium angelorum. IX. 1. illi. 2. *Desunt verba:* et aperuit puteum abyssi. 3. et de fumo (*deest* putei); *ibid.* potestas illis. 4. lederent faenum; *ibid.* neque omnem viride (*sic, at* m *cancellatum est*); *ibid.* in frontibus (*deest* suis). 5. cruciarentur.

mensibus quinque; et cruciatus eorum, ut cruciatus scorpii cum percutit hominem.

6. Et in diebus illis quaerent homines mortem, et non invenient eam; et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis.

7. Et similitudines locustarum, similes equis[f] paratis in praelium; et super capita earum tamquam coronae similes auro; et facies earum tamquam facies hominum.

8. Et habebant capillos, sicut capillos mulierum; et dentes earum, sicut dentes leonum[g] erant.

9. Et habebant loricas sicut loricas ferreas, et vox alarum earum, sicut vox curruum[h] equorum multorum currentium in bellum.

10. Et habebant caudas similes scorpionum, et aculei erant in caudis earum; et potestas earum nocere hominibus mensibus quinque. Et habebant super se

11. Regem angelum abyssi, cui nomen Hebraice: Abaddon, Graece autem: Apollyon, Latine habens nomen Exterminans.

12. Vae unum abiit; et ecce! veniunt adhuc duo vae post haec.

13. Et sextus Angelus tuba cecinit; et audivi vocem unam ex quatuor cornibus[i] altaris aurei, quod est ante oculos Dei,

14. dicentem sexto Angelo, qui habebat tubam: Solve quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate[k]!

15. Et soluti[l] sunt quatuor Angeli, qui parati erant in horam, et diem, et mensem, et annum; ut occiderent tertiam hominum.

16. Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia. Et audivi numerum eorum.

17. Et ita vidi equos in visione; et qui sedebant super eos, habebant loricas igneas, et hyacinthinas, et sulphureas, et capita equorum erant tamquam capita leonum; et de ore eorum procedit[m] ignis, et fumus, et sulphur.

18. Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum de igne, et de fumo, et sulphure, quae procedebant de ore ipsorum.

19. Potestas enim equorum in ore eorum est, et in caudis eorum; nam caudae eorum similes serpentibus, habentes capita; et in his nocent.

20. Et ceteri homines, qui non sunt occisi in his plagis, neque poenitentiam egerunt de operi-

[f] Joël 2, 4. [g] Joël 1, 6. [h] Joël 2, 5. [i] Exod. 30, 2. 10. Lev. 4, 7.

[k] c. 16, 12. [l] c. 16, 14. 20, 7. [m] Joël 2, 3.

Cap. IX. 5. eorum cruciatus (*sic*). 6. In diebus (*deest* et); *ibid.* ab ipsis. 7. similitudine (*sic, ut prima manu*); *ibid.* in proelium; *ibid.* sicut facies hominum. 8. sicut leonum erant (*deest* dentes). 10. et aculei in caudis earum (*deest* erant); *ibid.* potestas earum (*deest* et). 11. regem angelorum; *ibid.* hebreicae (*sic*); *ibid.* grece, *ibid.* Apollion et latinae (*sic*) habet nomen exterminans 12. abiit ecce (*deest* et). 13. vocem unum (*sic*) ex cornibns (*deest* quatuor). 14. qui habet (*sic*); *ibid.* Eufrate. 16. milies; *ibid.* milia; *ibid.* audivi (*deest* et). 17. habentes loricas; *ibid.* iacinthinas et sulphoreas. 18. ab his (*deest* et); *ibid.* de igne et fumo et sulphore qui procedebat. 19. nam et caudae. 20. paenitentiam.

bus manuum suarum, ut non adorarent daemonia[n], et simulacra aurea, et argentea, et aerea, et lapidea, et lignea, quae neque videre possunt, neque audire neque ambulare[o].

21. Et non egerunt poenitentiam ab homicidiis suis, neque a veneficiis suis, neque a fornicatione sua, neque a furtis suis.

CAP. X.

Angelus jurat mox consummandum esse Dei mysterium; tradit librum Joanni devorandum.

1. Et vidi alium Angelum fortem[p] descendentem de coelo amictum nube, et iris in capite ejus, et facies ejus erat ut sol, et pedes ejus, tamquam columnae ignis.

2. Et habebat in manu sua libellum apertum[q]; et posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram.

3. Et clamavit voce magna[r], quemadmodum cum leo rugit. Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas.

4. Et cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas, ego scripturus eram; et audivi vocem de coelo dicentem mihi: Signa, quae locuta sunt septem tonitrua; et noli ea scribere!

5. Et Angelus, quem vidi stantem super mare, et super terram, levavit[s] manum suam ad coelum,

6. et juravit[t] per viventem in saecula saeculorum, qui creavit coelum, et ea, quae in eo sunt; et terram, et ea, quae in ea sunt; et mare, et ea, quae in eo sunt: Quia tempus non erit amplius[u]!

7. Sed in diebus vocis septimi[v] Angeli, cum coeperit tuba canere, consummabitur[w] mysterium Dei, sicut evangelizavit per servos suos Prophetas.

8. Et audivi vocem de coelo iterum[x] loquentem mecum, et dicentem: Vade, et accipe librum apertum de manu Angeli stantis super mare, et super terram.

9. Et abii ad Angelum, dicens ei, ut daret mihi librum. Et dixit mihi: Accipe librum, et devora[y] illum; et faciet amaricari[z] ventrem tuum; sed in ore tuo erit dulce tamquam mel[a].

10. Et accepi librum de manu, et devoravi illum; et erat in ore meo tamquam mel dulce; et cum devorassem eum, amaricatus est venter meus.

11. Et dixit mihi: Oportet te iterum prophetare Gentibus et

[n] Deut. 32, 17. Ps. 95, 5. [o] Ps. 116, 12—15. [p] c. 5, 2. Dan. 10, 5—8. [q] c. 5, 1. [r] Jer. 25, 30. Hos. 11, 10. Amos 1, 2.

[s] Gen. 14, 22. [t] Dan. 12, 7. [u] c. 6, 11. [v] c. 11, 15. [w] c. 17, 17. [x] cf. v. 4. [y] Ez. 2, 8. 3, 1—3. [z] c. 12, 12. c. 13—18. [a] c. 11, 1. 15. 16. 17. c. 19—22.

Cap. IX. 20. adorent; *ibid.* simulachra. 21. neque a beneficiis (*sic! insigne exemplum est creberrimae permutationis literae* b *cum litera* v, *ut in hoc codice, ita et apud alios scriptores aequales*). X. 3. quemammodum. 4. Et cum locuta fuissent septem tonitrua, scripturus eram (*desunt verba* voces suas ego); *ibid.* dicentem (*deest* mihi); *ibid.* noli eas (*sic*) scribere (*deest* et *post* tonitrua). 5. Et angelum; *ibid.* supra mare et supra terram. 6. caelum et ea quae in illo sunt; *ibid.* tempus amplius non erit. 7. et consummabitur. 8. Et vox quam audivi dicentem de caelo iterum loquentem mecum et dicentem; *ibid.* librum accipe (*deest* et); *ibid.* supra mare et supra terram. 9. et dicit mihi accipe et devora eum et faciet amaricare. 10. et devoravi eum. 11. et dicunt (*sic*).

opulis, et linguis, et regibus
ıultis!

CAP. XI.

Ɂuo testes vaticinia edunt. Bestia rucidat eos, et resurgunt. Septimus ıngelus tuba canit, mortui judicantur.

1. Et datus est mihi calamus
imilis virgae[b], et dictum est mi-
ıi: Surge, et metire templum
Ɂei, et altare, et adorantes in eo.
2. Atrium autem, quod est fo-
'is templum, ejice foras, et ne
netiaris illud! quoniam datum
:st Gentibus, et civitatem san-
:tam calcabunt mensibus qua-
lraginta duobus[c].
3. Et dabo duobus testibus
meis, et prophetabunt diebus mil-
le ducentis sexaginta, amicti sac-
cis.
4. Hi sunt duae olivae[d], et
duo candelabra, in conspectu Do-
mini terrae stantes.
5. Et si quis voluerit eis no-
cere, ignis exiet de ore eorum,
et devorabit inimicos eorum[e]; et
si quis voluerit eos laedere, sic
oportet eum occidi.
6. Hi habent potestatem clau-
dendi coelum[f], ne pluat diebus
prophetiae ipsorum; et potesta-
tem habent super aquas conver-
tendi eas in sanguinem[g], et per-
cutere terram omni plaga[h] quo-
tiescumque voluerint.

[b] Ezech. 40, 3. [c] Dan. 8, 13. 14. 1 Macc. 4, 60. Luc. 21, 24. [d] Zach. 4, 3. 6, 11. 14. [e] 4 Reg. 1, 10. Luc. 9, 54. [f] 3 Reg. 17, 1. Jac. 5, 17. [g] Exod. 7, 19. 20. [h] Exod. 9.

7. Et cum finierint testimoni-
um suum, bestia[i], quae ascendit
de abysso, faciet adversum eos
bellum, et vincet illos, et occidet
eos[k].
8. Et corpora eorum jacebunt
in plateis civitatis magnae[l], quae
vocatur spiritualiter Sodoma et
Aegyptus, ubi et Dominus eorum
crucifixus est.
9. Et videbunt de tribubus, et
populis, et linguis, et Gentibus,
corpora eorum per tres dies et
dimidium; et corpora eorum non
sinent poni in monumentis.
10. Et inhabitantes terram
gaudebunt super illos, et jucun-
dabuntur; et munera mittent in-
vicem, quoniam hi duo prophe-
tae cruciaverunt eos, qui habita-
bant super terram.
11. Et post dies tres, et dimi-
dium, spiritus vitae a Deo intra-
vit in eos. Et steterunt super
pedes suos, et timor magnus ce-
cidit super eos, qui viderunt eos.
12. Et audierunt vocem ma-
gnam de coelo, dicentem eis:
Ascendite huc! Et ascenderunt
in coelum in nube[m]; et viderunt
illos inimici eorum.
13. Et in illa hora factus est
terrae motus magnus, et decima
pars civitatis cecidit; et occisa
sunt in terrae motu nomina ho-
minum septem millia; et reliqui
in timorem sunt missi, et dede-
runt gloriam Deo coeli.

[i] c. 17, 8. [k] 3 Reg. 19, 10. [l] c. 16, 19. [m] 4 Reg. 2, 11.

Cap. X. 11. populis et gentibus. XI. 1. virgae dicens. 2. eice foras et ne metiaris eum (*sic*). 3. amicti saccos. 5. eos voluerit nocere; *ibid.* de ore ipsorum et devoravit. 6. cludiendi; *ibid.* quotienscumque. 7. bestiae; *ibid.* adversus illos; *ibid.* et occidet illos. 8. in plateis civitatis magnae jacebunt; *ibid.* spiritaliter. 9. de populis et tribubus; *ibid.* non sinunt. 10. super illis et jocundabuntur. 12. dicentem illis; *ibid.* in nub e (*sic, ante erat scriptum* nubae, *rustica Latinitate, haud rara in hoc Codice; hic quidem litera* a *expulsa et deleta est*). 13. et occisi sunt; *ibid.* milia.

14. Vae secundum abiit[n]; et ecce! vae tertium[o] veniet cito!

15. Et septimus angelus tuba cecinit; et factae sunt voces magnae in coelo dicentes: Factum est regnum hujus mundi, Domini nostri et Christi ejus, et regnabit in saecula saeculorum! Amen.

16. Et viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis[p], ceciderunt in facies suas, et adoraverunt Deum, dicentes:

17. Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, et qui eras, et qui venturus es; quia accepisti virtutem tuam magnam, et regnasti.

18. Et iratae sunt Gentes[q], et advenit ira tua[r], et tempus mortuorum judicari, et reddere mercedem servis tuis Prophetis et sanctis, et timentibus nomen tuum, pusillis et magnis, et exterminandi eos, qui corruperunt terram.

19. Et apertum[s] est templum Dei in coelo; et visa est arca testamenti ejus in templo ejus, et facta sunt fulgura, et voces, et terrae motus, et grando magna[t].

CAP. XII.

Mulier filium peperit, facto in coelis praelio, lapsus draco mulieris semen persequitur.

1. Et signum magnum apparuit in coelo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim[u];

2. et in utero habens, clamabat parturiens[v], et cruciabatur, ut pariat.

3. Et visum est aliud signum in coelo: et ecce! draco[w] magnus, rufus, habens capita septem, et cornua decem; et in capitibus ejus diademata septem[x];

4. et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum coeli[y], et misit eas in terram; et draco stetit ante mulierem, quae erat paritura; ut cum peperisset, filium ejus devoraret.

5. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes Gentes in virga ferrea[z]; et raptus est filius ejus ad Deum, et ad thronum ejus,

6. et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum a Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta[a].

7. Et factum est praelium magnum in coelo; Michaël[b] et angeli ejus praeliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et angeli ejus.

8. Et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in coelo.

9. Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus[c], qui vocatur diabolus et satanas, qui seducit universum orbem; et

[n] c. 9, 12. [o] c. 12, 12. [p] c. 4, 4. 10. 7, 11. [q] Ps. 2, 1. [r] c. 15, 1. 7. 16, 1. [s] Apoc. 4, 1. 15, 5. 19, 11. [t] c. 8, 5.

[u] Gen. 37, 9, 10. [v] Mich. 4, 9. 10. [w] cf. v. 9. [x] c. 13, 1. 19, 12. [y] Dan. 8, 10. Jes. 14, 12. [z] c. 19, 15. [a] c. 11, 3. [b] Dan. 10, 13. 21. [c] Gen. 3, 1. 4. 15. Joh. 8, 44. 1 Joh. 3, 8.

Cap. XI. 15. et regnavit; *ibid. deest* Amen. 17. tibi agimus; *ibid. desunt verba* et qui venturus es. 19. fulgora. XII. 1. paruit. 2. et in utero habens et clamans; *ibid.* et cruciatur ut pareat (*sic*). 3. et in capitibus suis septem diademata. 5. recturus erit. 6. ubi habet locum; *ibid.* pascant illam. 7. et factum est proelium (*deest* magnum) in caelo Michahel; *ibid.* proeliabantur. 8. amplius eorum. 9. seducet.

rojectus est in terram, et angeli jus cum illo missi sunt.

10. Et audivi vocem magnam n coelo dicentem: Nunc facta st salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi jus[d]; quia projectus est accusaor fratrum nostrorum, qui accuabat[e] illos ante conspectum Dei iostri die ac nocte.

11. Et ipsi vicerunt eum proter sanguinem Agni[f], et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem[g].

12. Propterea laetamini, coeli, et qui habitatis in eis. Vae terrae, et mari! quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens, quod modicum tempus habet.

13. Et postquam vidit draco, quod projectus esset in terram, persecutus est mulierem, quae peperit masculum.

14. Et datae sunt mulieri alae duae aquilae magnae, ut volaret in desertum in locum suum, ubi alitur per tempus, et tempora, et dimidium temporis, a facie serpentis.

15. Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine.

16. Et adjuvit terra mulierem, et aperuit terra os suum, et absorbuit flumen[h], quod misit draco de ore suo.

[d] c. 11, 15. [e] Hiob. 1, 11. Zach. 3, 1. Luc. 22, 31. [f] c. 7, 14. [g] c. 2, 10. [h] c. 17, 15.

17. Et iratus est draco in mulierem; et abiit facere praelium cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandata Dei, et habent testimonium Jesu Christi.

18. Et stetit supra arenam maris[i].

CAP. XIII.

Bestia Deum blasphemat, sanctos debellat; bestia altera illi maxime favet, cogens adorari ejus imaginem.

1. Et vidi de mari bestiam ascendentem[k], habentem capita septem, et cornua decem[l], et super cornua ejus decem diademata, et super capita ejus nomina blasphemiae.

2. Et bestia, quam vidi, similis erat pardo[m], et pedes ejus sicut pedes ursi, et os ejus sicut os leonis. Et dedit illi draco[n] virtutem suam, et potestatem magnam.

3. Et vidi unum de capitibus[o] suis, quasi occisum in mortem; et plaga mortis ejus curata est. Et admirata[p] est universa terra post bestiam.

4. Et adoraverunt draconem, qui dedit potestatem bestiae; et adoraverunt bestiam, dicentes: Quis similis bestiae? et quis poterit pugnare cum ea?

5. Et datum est ei os loquens magna, et blasphemias; et data est ei potestas facere menses quadraginta duos.

[i] Jos. 15, 12. Dan. 8, 3. [k] Dan. 7, 3. sqq. [l] c. 17, 3. 7—12. [m] Dan. 7, 4—7. [n] c. 12, 3. [o] c. 17, 9. [p] c. 17, 8.

Cap. XII. 9. proiectus est (*deest* et). 10. regnum Domini nostri; *ibid.* ante conspectum Domini nostri. 11. vicerunt illum; *ibid.* animam suam. 13. projectus est in terram et persecutus est. 14. Et datae sunt duae alae mulieri. 17. et qui habent testimonium Jesu (*deest* Christi). 18. harenam. XIII. 1. ascendentem et habentem. 2. et bestiam; *ibid.* sicut ursi (*deest* pedes). 3. et unum de capitibus suis (*deest* vidi); *ibid.* et ammirata. 4. draconem quia dedit. 5. loquens magna blasphemiae et data est illi potestas.

6. Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus, et tabernaculum ejus, et eos, qui in coelo habitant.

7. Et est datum illi bellum facere cum sanctis, et vincere eos. Et data est illi potestas in omnem tribum, et populum, et linguam, et gentem.

8. Et adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram; quorum[q] non sunt scripta nomina in Libro vitae Agni, qui occisus est ab origine mundi.

9. Si quis habet aurem, audiat!

10. Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet; qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hic est patientia et fides Sanctorum.

11. Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, et habebat cornua duo similia Agni[r], et loquebatur, sicut draco.

12. Et potestatem[s] prioris bestiae omnem faciebat in conspectu ejus; et fecit[t] terram, et habitantes in ea, adorare bestiam primam, cujus curata est plaga mortis.

13. Et fecit signa magna[u], ut etiam ignem[v] faceret de coelo descendere in terram in conspectu hominum.

14. Et seduxit habitantes in terra propter signa, quae data sunt illi facere in conspectu bestiae, dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestiae, quae habet plagam gladii[w], et vixit.

15. Et datum est illi, ut daret spiritum imagini bestiae; et ut loquatur imago bestiae; et faciat, ut quicumque non adoraverint imaginem bestiae, occidantur.

16. Et faciet omnes pusillos, et magnos, et divites, et pauperes, et liberos, et servos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis.

17. Et ne quis possit emere, aut vendere, nisi, qui habet characterem, aut nomen bestiae, aut numerum nominis ejus.

18. Hic sapientia est! Qui habet intellectum, computet numerum[x] bestiae. Numerus enim hominis est; et numerus ejus: sexcenti sexaginta sex.

CAP. XIV.

Israëlitae signati cum agno stant, evangelium ubique praedicatur. Venit hora judicii. Babylonis lapsus praedicatur. Terra demessa est et vindemiata.

1. Et vidi; et ecce! Agnus[y] stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia[z] habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis[a].

2. Et audivi vocem de coelo, tamquam vocem aquarum multarum, et tamquam vocem tonitrui

q c. 17, 8. r Matth. 7, 15. s cf. v. 2. 4. 5. 7. t v. 14. c. 19, 20. u 2 Thess. 2, 9. sqq. Deut. 13, 1. 2. Matth. 24, 24. v Luc. 9, 54. Marc. 8, 11. Hiob 1, 16.

w cf. v. 3. 12. x c. 15, 2. y c. 7, 9. 10. 17. z c. 7, 4. a c. 3, 12.

Cap. XIII. 6. in blasphemia. 7. et datum est illi; *ibid.* et vincere illos et data est ei potestas. 8. et adorabunt eum; *ibid.* qui habitant. 10. vadit in captivitatem. 12. habitantes in eam. 13. in conspectum. 14. et seducet habitantes terram. 15. ut et loquatur; *ibid.* et faciat quicumque (*deest* ut); *ibid.* non adoraverit. 16. caracter in dextra manu (*deest* sua). 17. nisi quis habet caracter nomine bestiae. 18. et numerus ejus est sexcenti sexaginta sex. XIV. 1. et cum illo.

magni[b]; et vocem, quam audivi, sicut citharoedorum citharizantium in citharis suis[c].

3. Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, et ante quatuor animalia, et seniores; et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra.

4. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati[d]; virgines[e] enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiae Deo, et Agno,

5. et in ore eorum non est inventum mendacium; sine macula enim sunt ante thronum Dei.

6. Et vidi alterum Angelum[f] volantem per medium coeli, habentem Evangelium[g] aeternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, et super omnem gentem, et tribum, et linguam, et populum,

7. dicens magna voce: Timete Dominum, et date illi honorem! quia venit hora judicii ejus; et adorate eum, qui fecit coelum et terram, mare et fontes aquarum.

8. Et alius Angelus secutus est dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna[h], quae a vino irae fornicationis suae potavit omnes gentes.

9. Et tertius Angelus secutus est illos, dicens voce magna: Si quis adoraverit[i] bestiam, et imaginem ejus, et acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua,

10. et hic bibet de vino irae Dei, quod mistum est mero in calice irae ipsius, et cruciabitur igne et sulphure[k] in conspectu Angelorum sanctorum, et ante conspectum Agni;

11. et fumus[l] tormentorum eorum ascendet in saecula saeculorum[m]. Nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt bestiam, et imaginem ejus, et si quis acceperit characterem nominis ejus.

12. Hic patientia sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, et fidem Jesu.

13. Et audivi vocem de coelo, dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur! Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos.

14. Et vidi et ecce! nubem candidam; et super nubem sedentem similem Filio hominis[n], habentem in capite suo coronam auream, et in manu sua falcem acutam.

15. Et alius Angelus exivit de templo[o], clamans voce magna ad sedentem super nubem: Mitte falcem[p] tuam, et mete[q]! quia venit hora, ut metatur, quoniam aruit messis terrae.

16. Et misit, qui sedebat super

[b] c. 19, 6. [c] c. 5, 8. [d] c. 2, 12. Hos. 5, 3. 6, 10. [e] 2 Cor. 11, 2. [f] c. 8, 13. [g] Rom. 16, 25. 1 Petr. 1, 23. 25. [h] c. 18, 2. [i] c. 13, 12—17.

[k] c. 19, 20. 20, 14. 21, 8. [l] c. 19, 3. [m] c. 20, 10. [n] Dan. 3, 25. 10, 18. [o] c. 11, 19. [p] Marc. 4, 29. [q] v. 13. c. 6, 11. Matth. 13, 30. 43.

Cap. XIV. 4. hi qui secuntur agnum quocumque abierit; *ibid.* hi emti sunt. 5. sunt enim. 6. per medium caelum. 7. dicentem magna voce timete Deum; *ibid.* terram et mare. 8. potionavit (*sic*) omnes gentes. 9. et angelus tertius. 10. qui mixtus est. 11. in saecula saeculorum ascendit; *ibid.* caracterem. 13. dicentem scribe (*deest* mihi); *ibid.* secuntur. 15. et alter angelus.

nubem, falcem suam in terram, et demessa est terra.

17. Et alius Angelus exivit de templo, quod est in coelo, habens et ipse falcem acutam.

18. Et alius Angelus exivit de altari, qui habebat potestatem supra ignem[r]; et clamavit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, et vindemia botros[s] vineae terrae! quoniam maturae sunt uvae ejus.

19. Et misit Angelus falcem suam acutam in terram, et vindemiavit vineam terrae, et misit in lacum[t] irae Dei magnum.

20. Et calcatus est lacus extra civitatem, et exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum per stadia mille sexcenta.

CAP. XV.

Qui bestiam vicerant, Deum laudant; septem Angelis dantur septem phialae ira Dei plenae.

1. Et vidi aliud signum[u] in coelo magnum, et mirabile, Angelos septem, habentes plagas septem novissimas; quoniam in illis consummata est ira Dei.

2. Et vidi tamquam mare vitreum[v] mistum igne, et eos, qui vicerunt[w] bestiam, et imaginem ejus, et numerum nominis ejus, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei.

3. Et cantantes canticum Moysi[x] servi Dei, et canticum Agni[y], dicentes: Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens! justae et verae sunt viae tuae, Rex saeculorum!

4. Quis non timebit te, Domine! et magnificabit nomen tuum! quia solus pius es; quoniam omnes gentes[z] venient, et adorabunt in conspectu tuo, quoniam judicia tua manifesta sunt.

5. Et post haec vidi, et ecce! apertum[a] est templum tabernaculi testimonii in coelo.

6. Et exierunt septem Angeli habentes septem plagas de templo, vestiti lino mundo, et candido, et praecincti circa pectora zonis aureis[b].

7. Et unum de quatuor animalibus[c] dedit septem Angelis septem phialas aureas, plenas iracundiae[d] Dei viventis in saecula saeculorum.

8. Et impletum est templum fumo[e] a Majestate Dei, et de virtute ejus; et nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagae septem Angelorum.

CAP. XVI.

Ad septem phialarum effusionem septem in terra plagae oriuntur.

1. Et audivi vocem magnam de templo, dicentem septem An-

[r] c. 8, 5. [s] Deut. 32, 32. Jer. 2, 21. [t] c. 19, 15. Joël 8, 18. Jes. 63, 3. [u] c. 12, 1. 3. [v] c. 4, 6. [w] c. 13, 10. 18.

[x] Exod. 15, 1. [y] c. 5, 9. 12. [z] Ps. 85, 9. [a] c. 11, 9. [a] c. 1, 13. Lev. 8, 7. [b] c. 4, 6—8. [c] Ez. 22, 31. [d] Exod. 40, 34. 3 Reg. 8, 10. Jes. 6, 4.

Cap. XIV. 16. et messa est terra. 18. angelus de altari (*deest* exivit); *ibid.* qui habet potestatem; *ibid.* qui hab ba et (*sic*) falcem; *ibid.* botrus. 19. falcem suam in terram (*deest* acutam). 20. stadia mille sescenta. XV. 2. mixtum igne; *ibid.* imaginem illius. 3. mirabilia opera tua (*deest* sunt); *ibid.* verae viae tuae (*deest* sunt); *ibid.* rex caelorum. 4. timebit Domine (*deest* te); *ibid.* manifestata sunt. 6. habentes plagas (*deest* septem); *ibid.* vestiti lapide mundo candido. 7. et unus (*sic*) ex quattuor.

gelis: Ite, et effundite septem phialas irae Dei in terram!

2. Et abiit primus, et effudit phialam suam in terram; et factum est vulnus saevum et pessimum[f] in homines, qui habebant characterem bestiae, et in eos, qui adoraverunt imaginem ejus.

3. Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare; et factus est sanguis tamquam mortui; et omnis anima vivens mortua est in mari.

4. Et tertius effudit phialam suam super flumina, et super fontes aquarum, et factus est sanguis[g].

5. Et audivi Angelum aquarum, dicentem: Justus es, Domine! qui es, et qui eras; sanctus, qui haec judicasti!

6. Quia sanguinem Sanctorum et Prophetarum[h] effuderunt; et sanguinem eis dedisti bibere; digni enim sunt.

7. Et audivi alterum ab altari[i] dicentem: Etiam, Domine Deus omnipotens! vera et justa judicia tua[k].

8. Et quartus Angelus effudit phialam suam in solem, et datum est illi aestu affligere homines et igni.

9. Et aestuaverunt homines aestu magno, et blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt poenitentiam, ut darent illi gloriam.

10. Et quintus Angelus effudit phialam suam super sedem bestiae; et factum est regnum ejus tenebrosum[l]. Et commanducaverunt linguas suas prae dolore,

11. et blasphemaverunt Deum coeli prae doloribus et vulneribus suis, et non egerunt poenitentiam ex operibus suis.

12. Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphraten[m]; et siccavit aquam ejus[n], ut praepararetur via regibus ab ortu solis.

13. Et vidi de ore draconis[o], et de ore bestiae[p], et de ore pseudoprophetae[q] spiritus tres immundos in modum ranarum.

14. Sunt enim spiritus daemoniorum facientes signa, et procedunt ad reges totius terrae congregare illos in praelium ad diem magnum omnipotentis Dei.

15. Ecce, venio sicut fur! Beatus, qui vigilat[r], et custodit vestimenta sua, ne nudus[s] ambulet, et videant turpitudinem ejus!

16. Et congregabit[t] illos in locum, qui vocatur Hebraice: Armagedon[u].

17. Et septimus Angelus effudit phialam suam in aërem, et exivit vox magna de templo a throno, dicens: Factum est!

[f] Exod. 9, 9—11. [g] Exod. 7, 17—21. [h] Matth. 23, 34. 35. [i] c. 9, 13. [k] c. 19, 2.

[l] Exod. 10, 21. sqq. Jes. 8, 21. 22. [m] c. 9, 14. [n] Jos. 3, 13. 16. Jes. 11, 15. 16. 51, 10. [o] c. 12, 9. [p] c. 13, 1. 2. [q] c. 13, 11. [r] Marc. 13, 33—37. Luc. 12, 35—40. [s] c. 3, 17. 18. [t] cf. v. 12. [u] Jud. 15, 19. 4 Reg. 9, 27. Zach. 12, 11.

Caq. XVI. 3. et secundus effudit (*deest* angelus). 5. justus es qui es (*deest* Domine); *ibid.* quia haec judicasti. 6. fuderunt; *ibid.* ut digni sunt. 7. et audivi alterum dicens (*deest* ab altari). 8. et quartus effudit (*deest* angelus); *ibid.* afficere. 10. et quintus effudit (*deest* angelus). 12. et sextus effudit (*deest* angelus); *ibid.* in flumen illum magnum Eufraten. 13. inmundos. 14. procedent (*deest* et); *ibid.* proelium; *ibid.* Dei omnipotentis. 16. et congregavit; *ibid.* hebraicae (*sic*) Hermagedon. 17. et septimus effudit (*deest* angelus).

18. Et facta sunt fulgura, et voces, et tonitrua[v], et terrae motus factus est magnus, qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram, talis terrae motus, sic magnus.

19. Et facta est civitas[w] magna in tres partes; et civitates Gentium ceciderunt; et Babylon[x] magna venit in memoriam[y] ante Deum, dare illi calicem vini indignationis irae ejus.

20. Et omnis insula fugit, et montes non sunt inventi.

21. Et grando[z] magna sicut talentum descendit de coelo in homines; et blasphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis; quoniam magna facta est vehementer.

CAP. XVII.

Mulier fornicaria, sive Babylon, mater abominationum terrae, et ebria martyrum sanguine prodit.

1. Et venit unus de septem Angelis[a], qui habebant septem phialas, et locutus est mecum, dicens: Veni, ostendam tibi damnationem[b] meretricis[c] magnae, quae sedet super aquas multas;

2. cum qua fornicati sunt reges terrae[d], et inebriati sunt, qui inhabitant terram de vino prostitutionis ejus[e].

3. Et abstulit me in spiritu in desertum. Et vidi mulierem sedentem super bestiam[f] coccineam, plenam nominibus blasphemiae, habentem capita septem, et cornua decem.

4. Et mulier erat circumdata purpura, et coccino, et inaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione et immunditia fornicationis ejus.

5. Et in fronte ejus nomen scriptum: Mysterium! Babylon magna[g], mater fornicationum et abominationum terrae.

6. Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, et de sanguine martyrum Jesu[h]; et miratus sum, cum vidissem illam, admiratione magna.

7. Et dixit mihi Angelus: Quare miraris? ego dicam tibi sacramentum[i] mulieris et bestiae[k], quae portat eam, quae habet capita septem, et cornua decem.

8. Bestia, quam vidisti, fuit[l], et non est[m], et ascensura[n] est de abysso[o], et in interitum ibit[p]; et mirabuntur inhabitantes terram (quorum non sunt scripta nomina in Libro vitae a constitutione mundi), videntes bestiam, quae erat, et non est.

9. Et hic est sensus, qui habet sapientiam. Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, et reges septem sunt.

10. Quinque ceciderunt, unus est, et alius nondum venit; et

[v] c. 4, 5. 8, 5. 11, 19. [w] c. 11, 8. [x] c. 17, 5. [y] c. 18, 5. [z] Exod. 9, 23. Hiob 38, 22. [a] c. 21, 9. [b] cf. v. 16. [c] Jes. 23, 15—18. [d] c. 18, 9. [e] c. 14, 8. Jer. 51, 7. Nah. 3, 4. [f] c. 13, 1.

[g] c. 14, 8. [h] c. 18, 24. [i] v. 15—18. [k] v. 8—14. [l] c. 13, 1. [m] c. 13, 3. [n] c. 13, 12. [o] c. 11, 7. [p] c. 19, 19. 20. 2 Thess. 2, 3.

Cap. XVI. 18. fulgora. 19. dare ei calicem. 21. et blasphemaverunt homines Deum. XVII. 1. angelis qui habebant (*sic*). 3. Et abstulit me in desertum in spiritu. 4. praetioso; *ibid.* plenum abominationum et inmunditia. 6. ammiratione. 7. ego tibi dicam. 8. bestiam mirabantur; *ibid.* quia erat et non est.

ım venerit, oportet illum breve
mpus manere.

11. Et bestia, quae erat, et
ɔn est, et ipsa octava est; et de
ptem est, et in interitum vadit[q].

12. Et decem cornua[r], quae
idisti, decem reges sunt, qui
gnum nondum acceperunt, sed
otestatem tamquam reges una
ora accipient post bestiam.

13. Hi unum consilium habent,
t virtutem et potestatem suam
estiae tradent.

14. Hi cum Agno pugnabunt;
t Agnus vincet illos; quoniam
ominus dominorum est, et Rex
egum; et qui cum illo sunt, vo-
ati, electi, et fideles.

15. Et dixit mihi: Aquae, quas
ridisti, ubi meretrix sedet, po-
uli sunt, et Gentes, et linguae.

16. Et decem cornua, quae
vidisti in bestia, hi odient forni-
cariam, et desolatam facient il-
lam, et nudam, et carnes[s] ejus
manducabunt, et ipsam igni con-
cremabunt[t].

17. Deus enim dedit in corda
eorum, ut faciant, quod placitum
est illi; ut dent regnum suum be-
stiae, donec consummentur ver-
ba Dei.

18. Et mulier, quam vidisti, est
civitas magna[u], quae habet re-
gnum super reges terrae.

CAP. XVIII.

De Babylonis lapsu, judicio, plagis, et ultione.

[q] v. 8. [r] c. 13, 1. Dan. 7, 20—24. [s] c. 18, 16. [t] c. 18, 8. [u] c. 14, 8.

1. Et post haec vidi alium[v]
Angelum descendentem de coe-
lo, habentem potestatem ma-
gnam; et terra illuminata a glo-
ria ejus.

2. Et exclamavit in fortitudi-
ne, dicens: Cecidit[w], cecidit Ba-
bylon magna! et facta est habi-
tatio daemoniorum, et custodia
omnis spiritus immundi, et cu-
stodia omnis volucris immundae
et odibilis[x].

3. Quia de vino[y] irae forni-
cationis ejus biberunt omnes gen-
tes; et reges[z] terrae cum illa
fornicati sunt; et mercatores ter-
rae de virtute deliciarum ejus di-
vites facti sunt.

4. Et audivi aliam vocem de
coelo, dicentem: Exite de illa,
populus meus! ut ne participes
sitis delictorum ejus, et de plagis
ejus non accipiatis.

5. Quoniam pervenerunt pec-
cata ejus usque ad coelum, et re-
cordatus est Dominus iniquita-
tum ejus.

6. Reddite illis, sicut et ipsa
reddidit vobis; et duplicate du-
plicia secundum opera ejus; in
poculo, quo miscuit, miscete illi
duplum.

7. Quantum glorificavit se, et
in deliciis fuit, tantum date illi
tormentum et luctum; quia in
corde suo dicit: Sedeo regina[a],
et vidua non sum; et luctum non
videbo[b].

[v] c. 10, 1. [w] c. 14, 8. Jes. 21, 9. [x] Jer. 50, 39. 51, 37. Jes. 13, 21. sq. [y] Jes. 51, 7. Nah. 3, 4. [z] c. 17, 2. [a] c. 17, 18. [b] Jes. 47, 7. 8.

Cap. XVII. 11. et in teritum vadet (*verbum* in *altero loco est scripturae diversae forsitan manus secundae*). 12. accipiunt. 13. tradunt. 15. aquas. 16. et decem cornua quae vidisti et bestiam hi odient. 17. quod illi placitum est. XVIII. 1. inluminata est gloria ejus. 2. in forti voce dicens; *ibid.* inmundi; *ibid.* inmundae (*deest* et odibilis). 3. et quia de ira fornicationis. 6. ipsa reddidit (*deest* vobis); *ibid.* quod miscuit miscite.

8. Ideo in una die[c] venient plagae ejus, mors et luctus, et fames, et igne comburetur[d]; quia fortis est Deus, qui judicabit illam.

9. Et flebunt, et plangent se super illam reges terrae, qui cum illa fornicati sunt, et in deliciis vixerunt, cum viderint fumum incendii ejus.

10. Longe stantes propter timorem tormentorum ejus, dicentes: Vae, vae civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis! quoniam una hora venit judicium tuum.

11. Et negotiatores terrae flebunt et lugebunt super illam; quoniam merces eorum nemo emet amplius:

12. Merces auri et argenti, et lapidis pretiosi, et margaritae, et byssi, et purpurae, et serici, et cocci, [et omne lignum thyinum, et omnia vasa eboris, et omnia vasa de lapide pretioso, et aeramento, et ferro, et marmore,

13. et cinnamomum] et odoramentorum, et unguenti, et thuris, et vini, et olei, et similae, et tritici, et jumentorum, et ovium, et equorum, et rhedarum, et mancipiorum, et animarum hominum.

14. Et poma desiderii animae tuae discesserunt a te, et omnia pinguia et praeclara perierunt a te, et amplius illa jam non invenient.

15. Mercatores horum, qui divites facti sunt, ab ea longe stabunt propter timorem tormentorum ejus, flentes ac lugentes,

16. et dicentes: Vae, vae civitas illa magna! quae amicta erat bysso, et purpura, et cocco, et deaurata erat auro, et lapide pretioso, et margaritis.

17. Quoniam una hora destitutae sunt tantae divitiae; et omnis gubernator, et omnis, qui in lacum navigat, et nautae, et qui in mari operantur, longe steterunt,

18. et clamaverunt videntes locum incendii ejus, dicentes: Quae similis civitati huic magnae?

19. Et miserunt pulverem super capita sua[e], et clamaverunt flentes et lugentes, dicentes: Vae, vae civitas illa magna, in qua divites facti sunt omnes, qui habebant naves in mari de pretiis ejus; quoniam una hora desolata est!

20. Exulta super eam, coelum[f], et sancti Apostoli et Prophetae! quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa.

21. Et sustulit unus Angelus fortis lapidem[g] quasi molarem magnum, et misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, et ultra jam non invenietur.

22. Et vox citharoedorum, et musicorum, et tibia canentium, et tuba, non audietur in te amplius; et omnis artifex omnis ar-

[c] v. 10. 17. 19. [d] c. 17, 16.

[e] Ezech. 27, 30. Hioh 2, 12. [f] c. 19. 1. Jer. 51, 48. [g] Jer. 51, 63. 64.

Cap. XVIII. 8. et igni coonburetur; *ibid.* judicavit. 12. mercem; *ibid.* praetiosi; *ibid.* praetioso. 13. et cinnamonum et amomum; *ibid.* et ungenti et turis; *ibid.* similae trittici (*deest* et); *ibid.* et redarum. 14. et poma tua desiderii animae discessit a te; *ibid.* pinguia et clara. 16. byssino; *ibid.* deaurata est. 17. omnes qui in locum (*sic*) navigant; *ibid.* et qui maria operantur. 19. et lugentes et dicentes; *ibid.* civitas magna (*deest* illa); *ibid.* qui habent naves. 20. et sancti et apostoli. 21. Babylon illa magna civitas. 22. citharedorum.

a non invenietur in te amplius; et vox molae non audietur in te amplius[h]!

23. Et lux lucernae non lucebit in te amplius; et vox sponsi et sponsae[i] non audietur adhuc in te; quia mercatores tui erant principes terrae, quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes.

24. Et in ea sanguis prophetarum et sanctorum inventus est[k]; et omnium, qui interfecti sunt in terra.

CAP. XIX.

Parantur nuptiae agni. Verbum Dei, cum exercitibus coelestibus veniens, pugnat adversus bestiam et reges terrae eorumque exercitus.

1. Post haec audivi, quasi vocem[l] turbarum multarum[m] in coelo dicentium: Alleluja! Salus, et gloria, et virtus Deo nostro est!

2. Quia vera[n] et justa[o] judicia sunt ejus, qui judicavit de meretrice magna, quae corrupit terram in prostitutione sua, et vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus ejus.

3. Et iterum dixerunt: Alleluja! Et fumus[p] ejus ascendit in saecula saeculorum.

4. Et ceciderunt[q] seniores viginti quatuor, et quatuor animalia, et adoraverunt Deum sedentem super thronum, dicentes: Amen! Alleluja!

5. Et vox de throno exivit, dicens: Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus; et qui timetis eum, pusilli et magni!

6. Et audivi quasi vocem turbae magnae, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium: Alleluja! quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens.

7. Gaudeamus, et exultemus, et demus gloriam ei; quia venerunt nuptiae[r] Agni, et uxor ejus praeparavit se.

8. Et datum est illi, ut cooperiat[s] se byssino splendenti et candido. Byssinum enim justificationes[t] sunt Sanctorum.

9. Et dixit mihi: Scribe: Beati, qui ad coenam nuptiarum[u] Agni vocati sunt; et dicit mihi: Haec verba Dei vera sunt!

10. Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum[v]. Et dicit mihi: Vide ne feceris! conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora! Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiae.

11. Et vidi coelum apertum, et ecce! equus albus, et qui sedebat super eum, vocabatur: Fidelis et Verax[w]; et cum justitia judicat et pugnat.

12. Oculi autem ejus sicut flam-

h Jer. 25, 10. i Jer. 7, 34. 16, 9. k c. 17, 6. Matth. 23, 37. l c. 12, 10. m c. 6, 11. 7, 9. n c. 6, 10. 11. o c. 15, 3. p c. 18, 9. 18. q c. 5, 14.

r c. 21, 2. 9. 22, 5. s Ps. 44, 14, 15. t Jes. 61, 10. Eph. 5, 27. u c. 20, 6. 22, 14. Matth. 22, 2. sqq. v c. 22, 8. w c. 1, 5. 3, 14.

Cap. XVIII. 23. non lucebit tibi; *ibid.* in beneficiis tuis (*sic!* cf. IX. 21.). XIX. 1. quasi vocem magnam tubarum; *ibid.* alleluia laus et gloria. 2. de manibus tuis. 6. vocem tubae magnae. 8. cooperiat se byssinum splendens candidum. 9. et dicit mihi scribe; *ibid.* cenam. 10. ....rum tuorum .....tium testimonium Jhesu .... adora ....imonium enim Jhesu est spiritus prophetiae (*codex hoc loco mutilus est*). 11. et verax vocatur et justitia judicat et pugnat.

ma ignis[x], et in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ipse.

13. Et vestitus erat veste aspersa sanguine[y]; et vocatur nomen ejus: Verbum[z] Dei.

14. Et exercitus, qui sunt in coelo, sequebantur[a] eum in equis albis, vestiti byssino albo et mundo[b].

15. Et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus[c]; ut in ipso percutiat Gentes. Et ipse reget eas in virga ferrea[d]; et ipse calcat torcular[e] vini furoris irae Dei omnipotentis.

16. Et habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium.

17. Et vidi unum Angelum stantem in sole, et clamavit voce magna, dicens omnibus avibus[f], quae volabant per medium coeli: Venite, et congregamini ad coenam magnam Dei!

18. Ut manducetis carnes regum, et carnes tribunorum, et carnes fortium, et carnes equorum, et sedentium in ipsis, et carnes omnium liberorum et servorum, et pusillorum et magnorum.

19. Et vidi bestiam, et reges terrae[g], et exercitus eorum congregatos ad faciendum praelium cum illo, qui sedebat in equo, et cum exercitu ejus.

20. Et apprehensa est bestia[h], et cum ea pseudopropheta[i], qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiae, et qui adoraverunt imaginem ejus. Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure[k].

21. Et ceteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius; et omnes aves saturatae sunt carnibus eorum.

CAP. XX.

Draco mille annos ligatur, et mille annos animae martyrum cum Christo regnant. Posthaec solvitur draco: Gog et Magog consurgunt. Mortui judicantur.

1. Et vidi Angelum descendentem de coelo, habentem clavem abyssi, et catenam[l] magnam in manu sua.

2. Et apprehendit draconem[m], serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas, et ligavit eum per annos mille;

3. et misit eum in abyssum, et clausit, et signavit super illum, ut non seducat[n] amplius gentes, donec consummentur mille anni; et post haec oportet illum solvi modico tempore.

4. Et vidi sedes, et sederunt super eas, et judicium datum est illis[o]; et animas decollatorum propter testimonium Jesu, et

[x] c. 1, 14. [y] cf. c. 14, 20. [z] Joh. 1, 1. [a] c. 17, 14. [b] v. 8. [c] c. 2, 12. [d] Ps. 2, 9. [e] c. 14, 19. Jes. 63, 3. [f] Ezech. 39, 4. 17—20. [g] c. 16, 14.

[h] c. 13, 1. sqq. 17, 8. [i] c. 13, 11. sqq. [k] c. 20, 9. Dan. 7, 11. 26. [l] 2 Petr. 2, 4. Jud. 6. [m] c. 12, 9. [n] 2 Thess. 2, 9. 10. [o] Matth. 19, 28. Luc. 22, 30. 1 Cor. 6, 2. 3.

Cap. XIX. 12. et in capite diademata ejus. 13. vestem aspersam. 14. vestiti byssinum album mundum. 15. et de ore ipsius; *ibid.* gladius acutus (*deest* ex utraque parte); *ibid.* reget eos. 16. femore (*deest* suo). 17. venite congregamini (*deest* et); *ibid.* cenam. 18. ac servorum; *ibid.* ac magnorum. 19. proelium; *ibid.* et cum exercitum (*sic*) ejus. 20. adpraehensa, *ibid.* et cum illo; *ibid.* caracterem bestiae qui et adorant imagines ejus. XX. 2. adpraehendit. 3. et clusit; *ibid.* post haec (*deest* et).

propter verbum Dei, et qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus aut in manibus suis, et vixerunt, et regnaverunt cum Christo mille annis.

5. Ceteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Haec est resurrectio prima.

6. Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima; in his secunda mors non habet potestatem; sed sunt Sacerdotes [p] Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis.

7. Et cum consummati fuerint mille anni[q], solvetur satanas de carcere suo, et exibit, et seducet Gentes, quae sunt super quatuor angulos terrae, Gog et Magog[r], et congregabit eos in praelium, quorum numerus est sicut arena maris.

8. Et ascenderunt super latitudinem terrae[s], et circuierunt castra sanctorum, et civitatem dilectam.

9. Et descendit ignis a Deo de coelo, et devoravit eos[t]; et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia[u]

10. et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum.

11. Et vidi thronum magnum candidum, et sedentem super eum[v], a cujus conspectu fugit terra et coelum[w], et locus non est inventus eis.

12. Et vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni, et libri[x] aperti sunt; et alius Liber apertus est, qui est vitae[y]; et judicati sunt mortui ex his, quae scripta erant in libris secundum opera ipsorum.

13. Et dedit mare mortuos, qui in eo erant: et mors et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant; et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum.

14. Et infernus et mors[z] missi sunt in stagnum ignis. Haec est mors secunda.

15. Et qui non inventus est in Libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis.

CAP. XXI.

De coelo novo et terra nova. Nova civitas Ierusalem, a Deo descendens, describitur.

1. Et vidi coelum novum et terram novam[a]. Primum enim coelum, et prima terra abiit[b], et mare jam non est.

2. Et ego Joannes vidi sanctam civitatem[c] Ierusalem novam, descendentem de coelo a Deo, paratam sicut sponsam[d] ornatam viro suo.

[p] c. 5, 10. Jes. 61, 6. [q] cf. v. 2. 3. [r] Ez. 38, 2. 3. 39, 1. [s] Ezech. 38, 8—12. Num. 22, 5. [t] Ezech. 38, 22. 39, 6. [u] c. 19, 20.

[v] Matth. 19, 28. 25, 31. [w] 2 Petr. 3, 7—12. [x] Mal. 3, 16. Jer. 17, 1. [y] c. 3, 12. Luc. 10, 20. [z] 1 Cor. 15, 26. 54. 55. [a] 2 Petr. 3, 13. Jes. 65, 17. 66, 22. [b] c. 20, 11. Jes. 34, 4. Matth. 24, 29. [c] Ebr. 11, 10. 16. 12, 22. [d] c. 19, 7. 8. Eph. 5, 27.

Cap. XX. 7. sed cum; *ibid.* et exivit; *ibid.* et congregavit eos in proelium. 8. et circumierunt. 9. et diabulus; *ibid.* et sulphoris. 10. Pseudoprophetis et cruciabuntur. 11. inventus ab eis. 13. inferus; *ibid.* mortuos, qui in ipsis erant (*deest* suos). 14. et inferus; *ibid.* haec mors secunda est in stagnum ignis. 15. et qui non est inventus. XXI. 2. Et (*deest* ego Joannes) civitatem sanctam Hierusalem novam vidi descendentem.

3. Et audivi vocem magnam throno dicentem: Ecce! tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis! Et ipsi populus ejus[e] erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

4. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; et mors ultra non erit, neque luctus, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.

5. Et dixit, qui sedebat[f] in throno: Ecce, nova facio omnia[g]! Et dixit mihi: Scribe, quia haec verba fidelissima sunt, et vera.

6. Et dixit mihi: Factum est! Ego sum A, et O; initium et finis[h]. Ego sitienti dabo de fonte aquae vitae gratis[i].

7. Qui vicerit, possidebit haec, et ero illi Deus[k], et ille erit mihi filius.

8. Timidis autem, et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure. Quod est mors secunda.

9. Et venit unus de septem Angelis[l] habentibus phialas plenas septem plagis novissimis, et locutus est mecum, dicens: Veni, et ostendam tibi sponsam, uxorem Agni.

[e] Exod. 19, 6. Ezech. 48, 35. [f] c. 4, 2. [g] Jes. 43, 18. 19. [h] c. 1, 8. [i] c. 22, 17. Ps. 41, 2—5. [k] Ebr. 11, 16. Zach. 8, 8. Jes. 49, 8. [l] c. 17, 1.

10. Et sustulit[m] me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Ierusalem[n], descendentem de coelo a Deo,

11. habentem claritatem Dei[o]; et lumen ejus simile lapidi pretioso tamquam lapidi jaspidis, sicut crystallum.

12. Et habebat murum magnum et altum, habentem portas duodecim[p]; et in portis Angelos[q] duodecim, et nomina inscripta, quae sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israël.

13. Ab Oriente portae tres; et ab Aquilone portae tres; et ab Austro portae tres; et ab Occasu portae tres.

14. Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum[r] Agni.

15. Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam auream[s], ut metiretur civitatem, et portas ejus, et murum.

16. Et civitas in quadro posita est, et longitudo ejus tanta est, quanta et latitudo; et mensus est civitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia; et longitudo, et altitudo, et latitudo ejus aequalia sunt.

17. Et mensus est murum ejus

[m] c. 17, 3. [n] v. 2. [o] v. 23. [p] Ezech. 48, 31. [q] Genes. 3, 24. [r] Act. 1, 13. 26. [s] Ezech. 40, 3.

Cap. XXI. 3. et habitavit cum eis. 4. lacrimam; *ibid.* quae prima abierunt. 5. et dicit scribe (*deest* mihi). 6. aquae vivae gratis. 7. qui vicerit possidebit haec (*haec in margine scripta sunt aliquantum minutioribus literis, eadem linea cum verbis:* aquae vivae gratis. *Verba autem* et ero illi Deus, et ille erit mihi filius, *penitus absunt*). 8. et execcatis (*sic*); *ibid.* venificis et idolatris (*deest* et); *ibid.* et sulphore. 9. fiales; *ibid.* veni ostendam (*deest* et). 10. Hierusalem. 11. lumen ejus (*deest* et). 12. habens portas; *ibid.* et in portis angulos (*sic*) duodecim. 13. et ab occasu portae tres et ab austro portae tres. 15. harundineam. 16. de harundine (*deest* aurea) per stadia; *ibid.* longitudo (*deest* et altitudo et latitudo ejus). 17. et mensus est murus ejus.

centum quadraginta quatuor cubitorum, mensura hominis, quae est Angeli.

18. Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide[t]; ipsa vero civitas aurum mundum, simile vitro mundo.

19. Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata[u]. Fundamentum primum, jaspis; secundum, sapphirus; tertium, chalcedonius; quartum, smaragdus;

20. quintum, sardonyx; sextum, sardius; septimum, chrysolithus; octavum, beryllus; nonum, topazius; decimum, chrysoprasus; undecimum, hyacinthus; duodecimum, amethystus.

21. Et duodecim portae, duodecim margaritae sunt per singulas; et singulae portae erant ex singulis margaritis; et platea civitatis aurum mundum, tamquam vitrum perlucidum.

22. Et templum non vidi in ea[v]; Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus.

23. Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est agnus[w].

24. Et ambulabunt gentes in lumine ejus[x]; et reges terrae afferent gloriam suam et honorem in illam.

25. Et portae ejus non claudentur[y] per diem; nox enim non erit illic[z].

26. Et afferent gloriam et honorem gentium in illam.

27. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitae Agni[a].

t Zach. 2, 5. u Exod. 28, 17. Jes. 54, 11—14. v Jer. 31, 33. sq. w c. 22, 5. Jes. 60, 19. 20. x Jes. 60, 3. 49, 22. 23.

CAP. XXII.

Lignum vitae fluvio aquae vivae irrigatur. Beatus, qui custodit verba libri hujus. Nihil eis addendum, nihil detrahendum.

1. Et ostendit[b] mihi fluvium aquae vitae, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni.

2. In medio plateae ejus, et ex utraque parte fluminis lignum vitae[c], afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem Gentium.

3. Et omne maledictum non erit amplius; sed sedes Dei et Agni in illa erunt, et servi ejus servient illi.

4. Et videbunt faciem ejus; et nomen ejus in frontibus eorum.

5. Et nox ultra non erit; et non egebunt lumine lucernae, neque lumine solis[d], quoniam Dominus Deus illuminabit illos, et regnabunt[e] in saecula saeculorum.

y Jes. 60, 11. z c. 22, 5. a c. 20, 15. b c. 21, 9. c c. 2, 7. Ez. 47, 7. 12. d c. 21, 23. e c. 1, 6. Dan. 7, 18. 27.

Cap. XXI. 18. auro mundo. 19. fundamenta (*deest* et); *ibid.* secundus saphirus tertius calcidonius quartus zmaragdus. 20. quintus sardonix sextus sardinus septimus crisolitus octavus birillus nonus topadius decimus chryssoprassus undecimus iacinthus duodecimus amethystus. 23. ut luceant ea (*deest* in). 24. per lumen ejus. 27. nec intravit in ea aliquid coinquinatum faciens abominationem et mendacium. XXII. 1. aquae vivae. 2. singulos reddentes (*sic*). 3. et sedes Dei. 5. et non egebunt lumen lucernae neque lumen solis quoniam Dominus Deus inluminat illos.

6. Et dixit mihi: Haec verba fidelissima sunt, et vera. Et Dominus Deus spirituum prophetarum misit[f] Angelum suum ostendere servis suis, quae oportet fieri cito.

7. Et ecce, venio velociter[g]! Beatus[h], qui custodit verba prophetiae libri hujus.

8. Et ego Joannes, qui audivi et vidi haec. Et postquam audissem, et vidissem, cecidi[i], ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi haec ostendebat.

9. Et dixit mihi: Vide ne feceris! conservus enim tuus sum, et fratrum tuorum Prophetarum, et eorum, qui servant verba prophetiae libri hujus; Deum adora!

10. Et dicit mihi: Ne signaveris[k] verba prophetiae libri hujus; tempus enim prope[l] est.

11. Qui nocet, noceat adhuc; et qui in sordibus est, sordescat adhuc; et qui justus est, justificetur adhuc; et sanctus, sanctificetur adhuc.

12. Ecce! venio cito[m], et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.

13. Ego sum A et O, primus et novissimus, principium et finis[n].

14. Beati, qui lavant stolas suas in sanguine Agni[o], ut sit potestas eorum in ligno vitae[p], et per portas intrent in civitatem.

15. Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidae, et idolis servientes, et omnis, qui amat et facit mendacium.

16. Ego Jesus misi[q] Angelum meum, testificari vobis haec in Ecclesiis. Ego sum radix, et genus David[r], stella splendida et matutina[s].

17. Et spiritus[t] et sponsa[u] dicunt: Veni! Et qui audit, dicat: Veni! Et qui sitit, veniat; et qui vult, accipiat aquam vitae, gratis.

18. Contestor enim omni audienti verba prophetiae libri hujus: Si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto[v];

19. et si quis diminuerit[w] de verbis libri prophetiae hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitae, et de civitate sancta, et de his, quae scripta sunt in libro isto[x].

20. Dicit qui testimonium perhibet istorum: Etiam venio cito! Amen! Veni, Domine Jesu!

21. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis[y]! Amen.

f c. 1, 1. g c. 3, 11. 12, 20. h c. 1, 3. i c. 19, 9. 10. k c. 10, 4. Dan. 8, 26. l c. 1, 3. m v. 7. n c. 1, 8. o c. 12, 11.

p c. 2, 7. q c. 1, 1. 2. r c. 5, 5. Rom. 15, 12. s Jes. 14, 12. t Rom. 8, 26. 27. u c. 21, 9. v c. 15, 1. 6. 7. 8. 21, 8. w Deut. 4, 2. x c. 20, 12. y 2 Tim. 4, 22. Tit. 3, 15.

Cap. XXII. 6. fidelissima et vera sunt. Et Dominus Deus omnipotens prophetarum misit (*deest* spirituum). 8. Ego Johannes (*deest et*). 9. et dicit mihi; *ibid.* conservus tuus sum (*deest* enim); *ibid.* verba libri hujus (*deest* prophetiae). 11. *Post verba* sordescat adhuc *codex laceratus est laesusque in inferiore parte paginae, ita ut stichus desit. Secunda pagina folii his verbis primum inscripta est:* faciat adhuc et sanctus sanctificetur adhuc. 13. ego *A* et *Ω* primus (*deest* sum). 14. labant stolas suas (*desunt verba* in sanguine agni); *ibid.* et portis intrent. 16. testificiari (*sic*). 17. qui sitit veniat (*deest* et); *ibid.* qui vult (*deest* et). 18. contestor ego omni (*deest* enim). 19. deminuerit de verbis prophetiae (*deest* libri); *ibid.* de ligno vitae (*sic*). 20. cum omnibus Amen (*deest* vobis).

h
u
e
q
e

41

fi
m
ru
de
fi

B
pl

et
dl
a
m

ri
fr
e
ti

ri
te

et
ac
tu
tu

ce
cu

n

as

1,

p
9.
h
es
gi